



# **Universitätsbibliothek Paderborn**

## **Cursus Theologico-Moralis**

Ad usum Tyronum elucubratus, Et in Quotidianis Prælectionibus  
Quoad ea, quæ Moralis Theologia disputat De Sacramentis, & Censuris

**Viva, Domenico**

**Patavii, 1723**

Pars Octava De Censuris.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40650**

# CURSUS THEOLOGICO-MORALIS

Tomus Posterior

Quoad ea, quæ Moralis Theologia disputat  
**DE SACRAMENTIS, & CENSURIS.**  
Ad usum Tyronum elucubratus,

*Et in Quotidianis Prælectionibus*

**A P. DOMINICO VIVA**

SOCIETATIS JESU

SACRÆ THEOLOGIÆ PROFESSORE

Suis Auditoribus Traditus

*In Palestra Collegii Neapolitani ejusdem Societatis,  
Cupientibus, atque instantibus Theologiæ Moralis Candidatis,  
IN LUCEM PUBLICAM EDITUS,*

AC DICATUS

*EXCELENTISSIMO PRINCIPPI*

**D. MARCO ANTONIO**

**BORGHESIO**

SULMONÆ PRINCIPI, ac ROSSANI,

PROREGI JAM NEAPOLITANO, &c.

*P A R S O C T A V A*

*D E C E N S U R I S.*



PATAVII, Ex Typographia Seminarii, MDCCXXIII.

Apud Joannem Manfrè.

*SUPERIORUM PERMISSU, ac PRIVILEGIO.*



# INDEX

## QUÆSTIONUM, & ARTICULORUM,

Qui in hoc tractatu de CENSURIS continentur.

### QUÆSTIO PRIMA.

#### De Censuris in communione.

	2
ART. I. Quid, & Quotuplex sit Censura?	ibid.
ART. II. Quinam possit ferre Censuras?	6
ART. III. Erga quos ferri Censura possit?	9
ART. IV. Quam ob causam ferri possit Censura?	17
ART. V. De forma, seu ritu in Censuris ferendis.	26
ART. VI. Quanam excusat ab incurrenda Censura?	33
ART. VII. De Effectibus Censuræ.	43

### QUÆSTIO II.

#### Quoniam pacto Censura tollatur?

	45
ART. I. An unice per absolutionem tollatur Censura?	ibid.
ART. II. Quisnam possit a Censuris absolvere?	47
ART. III. Quot modis absolutione a Censura conferri possit?	54
ART. IV. Quandonam absolutione a Censuris valeat pro foro externo?	58
ART. V. De Requisitis ad absolutionem a Censuris.	60
ART. VI. De forma, ritu, ac solemnitate absolutionis.	63
ART. VII. Expediuntur reliqua, quæ ad absolutionem a Censuris spectant.	65

### QUÆSTIO III.

#### De Excommunicatione.

	69
ART. I. Quid, & Quotuplex sit Excommunicatio?	ibid.
ART. II. Quinam excommunicati sint ritandi? Et in quibusnam teneamus eos ritare?	72
ART. III. Sub qua culpa, & pena excommunicati ritandi sint?	76
ART. IV. De Excommunicatione minore, ejusque causa, & effectibus.	81
ART. V. Quam ob causam præsertim temporalem ferri potest excommunicatio major?	84

### QUÆSTIO IV.

#### De Effectibus Excommunicationis majoris.

	90
ART. I. De effectibus immediasis, ac remotis Excommunicationis.	ibid.
ART. II. De primo Excommunicationis effectu, qui est privare hominem suffragiis communibus.	92
ART. III. De secundo effectu, qui est privare excommunicatum participatione Sacramentorum.	69
ART. IV. De tertio effectu, qui fert priuationem divisorum officiorum, Ecclesiastice sepulture, & aliarum rerum Sacrarum.	98
ART. V. De quarto, & quinto effectu, qui ferunt Suspensionem ab officio, & Beneficio, & inhabilitatem ad Beneficia Ecclesiastica.	100
ART. VI. De sexto effectu, qui est privatio jurisdictionis.	104
ART. VII. De reliquis effectibus Excommunicationis.	109

QUÆSTIO

## X Q U A E S T I O V.

De nonnullis Excommunicationibus in particulari.

- |  |       |
|--|-------|
| ART. I. De prima Excommunicatione in Bulla Cæne.                 | ibid. |
| ART. II. Perstringuntur reliquæ Excommunicationes in Bulla Cæne. | 119   |
| ART. III. De Excommunicatione ob percussionem Clerici.           | 125   |
| ART. IV. De Excommunicatione ob duellum.                         | 131   |

## Q U A E S T I O VI.

De Suspensione, Depositione, & Degradatione.

- |  |       |
|--|-------|
| ART. I. Quid, & Quotuplex sit Suspensio?                 | ibid. |
| ART. II. A quo ferri possit Suspensio, & Erga quos?      | 137   |
| ART. III. Quam ob causam ferri possit Suspensio?         | 139   |
| ART. IV. De Suspensionis effectibus, ejusque violatione. | 141   |
| ART. V. De Absolutione, & Cessatione Suspensionis.       | 143   |
| ART. VI. De Depositione, & Degradatione.                 | 146   |

## Q U A E S T I O VII.

De Interdicto, & Cessatione a Divinis.

- |  |       |
|--|-------|
| ART. I. Quid, & Quotuplex sit Interdictum?                                       | ibid. |
| ART. II. De Effectibus Interdicti.   | 151   |
| ART. III. Quam ob causam? A quo? Et erga quos ferri possit Interdictione?        | 156   |
| ART. IV. De Violatione Interdicti, & de Participatione cum Personis interdictis. | 158   |
| ART. V. De Relaxatione, seu Absolutione ab Interdicto.                           | 161   |
| ART. VI. De Cessatione a Divinis.  | 163   |

## Q U A E S T I O VIII.

De Irregularitate.

- |   |       |
|---|-------|
| ART. I. Quid, & Quotuplex sit Irregularitas?                      | ibid. |
| ART. II. Quam ob causam incurritur, & quomodo ignorantia excusat. | 169   |
| ART. III. Quisnam possit Irregularitatem imponere, & erga quos?   | 172   |
| ART. IV. An dubium de Irregularitate excusat ab illa incurrenda?  | 173   |
| ART. V. Quomodo tollatur Irregularitas.                           | 176   |

## Q U A E S T I O IX.

De Irregularitatibus in particulari, tum ex delicto, tum ex defectu.

- |   |       |
|---|-------|
| ART. I. De Variis Irregularitatibus ex delicto.   | ibid. |
| ART. II. De Irregularitate, quæ incurritur propter homicidium, aut mutilationem injustum. | 186   |
| ART. III. De Irregularitate ex defectu lenitatis.   | 191   |
| ART. IV. Perstringuntur aliae Irregularitates ex defectu.                                 | 191   |

CUR.

CURSUS  
THEOLOGICO-MORALIS  
Ad usum Tyronum elucubratus.

DE

CENSURI S.

PARS QUARTA.

Proœmium.



Ure merito post tractatum de Sacramentis datur Censuris locus; quippe quæ ad potestatem etiam clavium spectant; siquidem non solum ad claves Ecclesiæ spectat aperire, & claudere cœlum, ligare, & solvere, sed etiam Censuras Ecclesiasticas ferre, ac tollere. Omnibus sane earum cognitio perutilis est, sed Confessariis peropportuna, ut in foro Sacramentali judicium convenienter exerceant. Quoniam autem plures sunt Censurarum species; In prima quæstione agemus de Censuris in genere. In secunda, Quoniam pacto illæ tollantur? In tertia, descendendo ad illas in specie, plura inquiremus de Excommunicatione majori, & minori. In quarta, de Effectibus Excommunicationis. In quinta agemus de celebrioribus excommunicationibus in particulari. In sexta de Suspensione, necnon de depositione, & degradatione, quæ suspensioni affinia sunt. In septima de Interdicto, ubi pariter de Cellatione a divinis, quæ valde cum Interdicto convenit. In octava de Irregularitate, quæ plurimum censuras imitatur. Agemus denique de Irregularitatibus tam ex delicto, quam ex defectu in particulari.

Pars VIII.

A

QUÆ

# QUÆSTIO PRIMA.

## De Censuris in Communi.

**Q**uærendum primo, Quid, & Quotuplex sit Censura? Secundo, Quinam possit Censuras ferre? Tertio, Erga Quos? Quarto, quam ob causam? Quinto, quanam forma ferantur? Sexto, Quomodo quis excusat ab illis incurrendis? Septimo, de earumdem effectibus. In sequenti porro quæstione inquiremus, quonam pacto tollantur?

### ARTICULUS I.

Quid, & Quotuplex sit Censura?

I. *Censura est Pœna medicinalis privans bonis quibusdam spiritualibus.*

II. *Quatenus est pœna, infligitur etiam sine spe emendationis: & quatenus est medicina, emendato reo debet tolli.*

III. *Triplex datur dumtaxat Censurarum species, Excommunicatio, Suspensio, & Interdictum.*

IV. *Irregularitas ex delicto non est inter Censuras recensenda; Nec Cessatio a divinis, Depositio, aut Degradatio.*

V. *Censura alia est ab Homine lata, alia a Jure. Num possit pro peccatis futuris ab Homine censura ferri? Et num ea perseveret post mortem ferentis?*

VI. *Quenam sit formula Censura latæ sententia, quanam ferenda? Et quid in dubio, num sit latæ, an ferenda sententia.*

I. **Q**uæritur primo; Quid veniat nomine Censuræ?

Respondeo, apud antiquos Romanos Censuram significasse tum Censoris dignitatem, cuius erat mores populi corrigere, tum ipsam corre-

sionem, seu pœnam, ac multam, quam delinquentibus imponebant: Unde factum est, ut pœna etiam ab Ecclesia ad correctionem morum institorum dicantur Censuræ.

Definitur autem communiter illuc Censura, Pœna medicinalis privans bonis quibusdam spiritualibus; ut videtur est apud Pal., Hurt., Con., & alios. Dicitur *Pœna*; quia supponit culpam, quam puniat. Dicitur *Medicinalis*, quia per ipsam non solum punio, sed etiam correctio Rei, seu emendatio intenditur. Dicitur demum *Privans bonis quibusdam Spiritualibus*; quia ut sit pœna Ecclesiastica, iis bonis private debet, quæ sunt propria fidelium, videlicet Spiritualibus, puta, Sacramentis, Suffragiis, Ingressu Ecclesiæ, &c. Quod si aliquando etiam bono aliquo temporali Censura privet, (ut excommunicatio, quæ privat communione, & consortio fidelium) eo privat, quatenus aliquanter etiam spirituali; siquidem cum fidibus conversari, bonum quoddam est spirituale; quo excommunicatus privat, tum ne aliis noceat, tum ut ipse resipiscat.

II. Ex hoc autem quod Censura non solum sit medicina, sed etiam pœna, sequitur, quod possit infligi, etiamsi non speretur emendatio; dummodo conferat ad bonum publicum; absterrentur enim communiter homines

nes per talem pœnam a delictis: Ex hoc vero quod Censura non solum sit pœna, sed etiam medicina, sequitur pariter, quod ægrotto curato debat auferri; ut Doctores communiter docent; & ideo Censura dici solet Vinculum, cuius est ita ligare, ut possit solvi. Quare pœna, quæ sine spe remissionis imponitur, dici non potest Censura.

III. Quaritur secundo; Quotuplex sit Censura?

Respondeo, primo dividi Censuram in tres præcipuas species, Excommunicationem, Suspensionem, & Interdictum. Ratio est, quia in Cap. *Quarenti de Verborum significatione* interrogatus Innoc. III., Quid per Censuram Ecclesiasticam intelligatur? Respondeo, ait, quod non solum Interdicti, sed etiam Suspensionis, & Excommunicationis sententia valeat intelligi. Quæ responsio Pontificis, cum sit doctrinalis, debet omnes Censurarum species complecti.

IV. Rejicitur hinc primo opinio Soti, Corneii, Victor., Cani, & aliorum Thomistarum recententium inter Censuras Irregularitatem ex delicto, & Cessationem a divinis. Ratio est, tum quia Innoc. III. illas non numerat inter Censuras; nec ullo alio textu, ratione, aut auctoritate (ut notat Suar. hic num. 3.) habetur, quod inter Censuras recensendæ sint; Tum etiam, quia Irregularitas ex delicto non est pœna medicinalis, quæ post resipiscientiam delinquentis debeat tolli, sed est ex se perpetua; nec tollitur per absolutionem, sicut Censura, sed per dispensationem; & qui eam violat, non incurrit aliam irregularitatem, sicuti violans Censuram: Item Cessatio a divinis, per quam prohibetur, ne in aliquo loco divina celebrentur, non est proprie Interdictum locale, nec Censura, sed quoddam præceptum simile Interdi-

cto locali, quod imponitur ad repellendas injurias Ecclesiæ factas, ut habetur in Clement. i. de Sententia Excommunicationis. Hoc autem ex eo constat, quia violantes Cessationem a divinis non incurruunt irregularitatem, ut ostendunt Navar. & Sylvest. apud Avil. part. i. dub. 4.: Contra vero violantes Censuram; ergo cessatio a divinis non est proprie Censura; Immo nec proprie pœna, ut suo loco dicemus.

Rejicitur secundo opinio Recentiorum addentium numero Censurarum Depositionem, & Degradationem. Etenim istæ pariter sunt pœnae perpetuae, nec infliguntur in medicinalam, ut reus a contumacia desistat, sed præcise ut puniatur.

Ex quibus deducitur, quod virtute Jubilæi non possit tolli irregularitas ex delicto, ut ostendemus quæst. ultima de Irregular. contra plures Thomistas: Quamvis enim tunc tolli possint omnes Censuræ, & pœna Ecclesiastica; At irregularitas ex delicto non est Censura; Et quamvis sit pœna Ecclesiastica, nihilominus, ut notat Navar. cap. 27. num. 250., virtute Jubilæi illæ solum pœna Ecclesiastica tolli possunt, quæ impediunt usum, seu susceptionem Sacramentorum; (ut est suspensio imposta a Confessario, ne per tantum tempus quis celebret, aut communicet, necnon pœna, qua aliqui Canones mandant, ne per aliquod tempus aliquis ad communionem admittatur.) Et ratio est, quia in bulla Jubilæi expresse habentur ea verba: *Per presentes autem super aliqua irregularitate publica, vel osculta non intendimus dispensare.*

V. Dividitur secundo Censura in Latam a Jure, seu per legem, aut statutum, & Latam ab Homine, seu per sententiam hominis. Prima ex natura sua est perpetua, adeoque durat quoadusque contraria lege, aut

A 2 con-

consuetudine revocetur; & semper imponitur pro peccatis futuris, ut scilicet impedianter; puta quando dicitur, Qui percusserit Clericum, sit Excommunicatus. Secunda durat, quādū durat iurisdictio illam ferentis, & plerumque imponitur pro peccatis præteritis, ut scilicet puniantur, & delinquens corrigatur: Verbi gratia, si excommunicentur qui furati sunt, nisi intra mensem satisfaciant. Quamvis etiam aliquando feratur Censura ab homine per sententiam generalem pro peccatis futuris, ut mox dicemus.

Subdividitur itaque Censura lata ab homine in Specialem, & Generalem. Censura specialis, seu per sententiam specialem fertur in personas determinatas ob aliquod peccatum particolare præteritum: Verbi gratia, si Episcopus excommunicet Titium, quia contumaciter diu abest a beneficio; Vel si excommunicet omnes, qui incenderunt agrum alienum, nisi intra mensem satisfaciant. Censura vero generalis dicitur illa, quæ fertur generaliter pro aliquo delicto futuro; verbi gratia, si Episcopus excommunicet omnes, qui furabuntur in templo.

Dubium tamen est apud Doctores; An hujusmodi Censura pro peccatis futuris possit ab homine ferri? Etenim in cap. Romana, de Sententia Excommunicationis in 6. hæc habentur: *Caveant Episcopi, ne sententias excommunicationis sive generaliter, sive specialiter in aliquos pro culpis futuris proferre presumant.*

Sed Con. num. 15. ex Suar. respondet primo, hoc jus non contine re præceptum, sed admonitionem. Secundo in eodem jure subditur, hoc non esse faciendum, nisi rationabilis causa subsit, quæ in sententia exprimatur: Unde sequitur, ex rationabili causa id fieri posse, dummodo prædicta causa exprimatur in ipsa sententia.

Colliges primo ex dictis, quod si Episcopus ferat excommunicationem contra eos, qui furantur in templo, & deinde aut moriatur, aut definet esse ejus loci Episcopus, aut aliter jurisdictionem amittat, in tali casu qui furati sunt ante mortem, vel discessum Episcopi, sunt excommunicati; secus vero qui post Episcopi mortem etiam furantur. Si vero Episcopus excommunicet eos, qui furti sunt, nisi intra mensem restituant, & antequam mensis labatur, ipse moriatur, nullus ex non restituens est excommunicatus; quia ante terminum præfixum excommunicationi incurrandæ desit iurisdictionis Episcopi, atque adeo excommunicationis. Ita communiter Doctores apud Con. disp. 13. dub. 2.

Colliges secundo, Excommunicationem ab homine etiam post mortem excommunicantis remanere excommunicatum. Ratio est, quia jure communione statutum est, quod nemo liberetur a Censura, quam semel incurrit, nisi per absolutionem. Quod si excommunicationis ab homine sit incuria ex defectu alicujus requisiti, & dum expectatur tale requisitum, moriatur, qui tulit excommunicationem, Excommunicationis in tali casu non incurritur, quia tunc desit potestas illam ferentis.

Colliges tertio, censuram, qua fertur per legem, aut statutum, semper incurri, donec lex revocetur; quia nunquam definit potestas legislatoris. Etenim qui condit legem, condit illam in persona ejus, a quo potestatem condendi legem accepit, qui est Deus, vel communitas, qui non moriuntur.

VI. Dividitur demum Censura in Lateæ, & Ferendæ sententiæ. Dicitur censura latæ, Sententiæ, quæ per ipsam legem, aut Sententiam infiguntur; adeoque sine nova sententia incurritur.

curritur: Unde solum ab Episcopo declaratur censuratus, qui talem censuram incurrit. Censura vero Sententia ferenda est illa, quam jus, aut Iudex minatur se inflictum, aut iubet infligi; unde, ut incurritur, requiritur sententia Iudicis, & non mera declaratio.

Censura est latæ sententia, quoties jus, aut Iudex his, aut similibus verbis utuntur, videlicet, Quicumque hoc fecerit, sit ipso jure, aut ipso facto, aut eo ipso excommunicatus, suspensus, &c.; Vel si dicatur, Eum, qui hoc fecerit, excommunicamus: Et quoties verba diriguntur ad reum, non ad Iudicem, qui debeat ferre sententiam; ut si dicatur, Quisquis hoc fecerit, sit excommunicatus, excommunicatum se esse agnoscat, excommunicatus maneat, excommunicationem incurrit. Et idem dicendum ex Con. loc. cit. num. 20. (quamvis aliqui de hoc dubitent) si dicatur, Excommunicationem incurrit, aut noverit, se excommunicationem incursum, aut erit excommunicatus, quia hujusmodi verba non significant sententiam ferendam a Iudice post commissum delictum, sed ipsum jus habere vim sententia censuram infligentis hoc ipso, quod delictum committatur.

Contra vero Censura est sententia ferenda, quoties aliquod prohibetur sub pena censura, & quoties his, aut similibus verbis Iudex, aut jus utitur; videlicet, Qui hoc fecerit, excommunicabitur, vel iubemus, aut volumus eum excommunicari; vel statim excommunicetur: Et universum quoties diriguntur verba ad Iudicem, censura dicitur ferenda sententia, quia exigunt nova actio, seu sententia Iudicis, ut incurritur.

Dubium tamen est; Utrum excommunicationem latæ sententia contineat, an vero ferenda, haec formula,

Qui hoc fecerit, excommunicetur, vel excommunicationem incurrat, vel sub pena excommunicationis? Et haec alia, sub pena excommunicationis statim, seu confessim, vel ex tunc incurrenda?

Respondeo, primam formulam continentem probabiliter excommunicationem sententia ferenda; quia per haec verba videtur requiri sententia Iudicis; Sicuti pena Interdicti, quæ in cap. *Omnis viriusque sexus* infligitur transgressoribus pracepti de annua Confessione, per illa verba: *Alioquin arceantur ab ingressu Ecclesie, & privenur sepulchra Ecclesiastica*, est pena sententia ferenda, ex Suario disp. 35. de penit. sect. 8.; quia videtur requirere sententiam Iudicis: Avila tamen s. p. cap. 2. cum Sylvestro, & aliis putat censuram incurri ipso facto, quoties imponitur absolute per verbum Imperativi modi, dicendo v.g. Qui hoc fecerit excommunicetur. Quod vero attinet ad secundam illam formulam, sub pena excommunicationis statim, vel ex tunc incurrenda, dicendum significare censuram latæ sententia, ut communiter Doctores docent. Præterea ista formula, Sub interminatio ne excommunicationis, seu anathematis significat excommunicationem infligendam, non inflistem; quicquid nonnulli repugnant apud Con. dub. 2. Haec alia vero formula, Qui hoc fecerit, noverit se excommunicationem incursum, seu erit excommunicatus, videtur potius latæ, quam ferenda sententia, ex Con. contra Felin. Et ratio est, quia in fine constitutionum Apostolicarum solet apponi haec formula: Si quis autem attente hoc presumperit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum; Quæ indignatio statim incurrit per transgressionem, ut docent Doctores communiter: Si

ve-

vero dicatur, Noverit se excommunicandum, seu erit excommunicandus; Censura est sententia ferenda.

Verum quoties de aliqua formula dubitatur, sitne latæ, an ferendæ sententiæ? Censura est sententiæ ferenda, ut docent communiter apud Pal. de censuris punet. 2. ex regula 45. juris in 6. In pœnis benignior est interpretatio facienda; & Odia sunt restringenda.

## ARTICULUS II.

Quinam possit ferre Censuras

I. *Potestas instituendi Censuras est in solo Pontifice: Potestas vero illas ferendi est etiam in aliis. Et quidem Ordinaria in iis, qui ratione sui muneris jurisdictionem Ecclesiasticam habent in foro externo;*

*Delegatam vero habent illi, quibus ab habente Ordinariam ea committitur.*

II. Recensentur ii, qui Ordinariam habent potestatem ferendi Censuras.

III. Necnon ii, quibus ea potest delegari.

IV. Num possit ea delegari fæminis?

V. Quinam delegatus possit potestarem hanc subdelegare?

VI. Jurisdictio hac cum sit contentiosa, non gratiosa, nequit extra propriam Diœcensem exerceri.

VII. Quid requiratur ad valide ferendas Censuras?

VIII. Valida est Censura metu extorta, non tamen hujusmodi absolutio a Censura.

IX. Num in causa propria Censura ferri possit?

I. DE fide est contra Heterodoxos, ut late ostendit Suar. t. 5. in 3. p. disp. 1., & 2., a Christo Domino concessam esse Ecclesiæ faculta-

tem instituendi, ac ferendi censuras ad rectam fidelium gubernationem; Unde dixit Chrysostomus hom. 4. ad Hebr. *Nemo contemnat vincula Ecclesiastica; non enim homo est, qui ligatur Christus, qui nobis hanc potestatem dedit.*

Verum potestas instituendi Censuras est in solo Pontifice; tum quia censuræ important ritus quoddam communes toti Ecclesiæ, atque adeo solus supremus Pastor potest illos decernere; tum etiam quia, ut advertit Scotus in 4. dist. 19. quest. 1., quando Episcopus excommunicat subditum suum, eo ipso obligat su modo omnes fideles ad non communicandum cum ipso; hoc autem accidere non posset, nisi censuram ferret in virtute institutionis factæ a Pontifice; ergo solus Pontifex potest censuras instituere, aut Concilium generale a Pontifice congregatum, & approbatum: Quia vero potestas instituendi censuras est potestas jurisdictionis, sequitur, ut idem Suar. notat, posse a Pontifice illam aliis delegari, quamvis hoc non sit juxta usum Ecclesiæ, nec fieri expediat.

Potestas vero ferendi Censuras alia est Ordinaria, alia Delegata, seu commissa: Habent ordinariam illi omnes, & soli, qui ratione sui muneris habent jurisdictionem Ecclesiasticam in foro externo; cum enim censuræ sint pœna Ecclesiastica, & in foro externo coercitiva, ab illo dumtaxat iniungi possunt, qui in foro externo habet Ecclesiasticam jurisdictionem: Delegatam vero hanc potestatem habent illi, quibus ab habente Ordinariam commissa est, prout etiam dicitur de potestate absolvendi. Ratio, quare solus Pontifex habeat potestatem instituendi censuras, non solus vero ille, sed alii etiam a Pontifice habeant potestatem illas ferendi, est, tum alius Ecclesiæ, tum quia non potest solus Pon-

Pontifex per se ipsum illas ferre in omnes delinquentes, unde indiget aliis paatoribus ordinariis, ut Coadiutoribus; Et saepe isti etiam debent illum aliis committere: Hinc dicitur Actor. 20. *Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* His explicatis

II. Quæritur primo; Quinam habent potestatem ordinariam ferendis censuras?

Respondeo: Primo, Habet illam Pontifex relate ad omnes fideles: Secundo, Episcopi relate ad suos Diœcesanos; sicuti etiam Vicarii Episcoporum, quia unum habent tribunal cum Episcopis; non tamen Vicarii foranei, qui delegatam dumtaxat habent jurisdictionem; nec Episcopi titulares, qui jurisdictionem habere non possunt, cum subditis careant. Tertio, habent etiam Archiepiscopi, Patriarchæ, & Primates relate ad suos subditos; & quia Archiepiscopus in Diœcesi suorum Suffraganeorum tantum habet potestatem ordinariam, dum actu visitat, vel quando ad ipsum per appellationem causæ devolvuntur, ideo in his dumtaxat casibus potest censuras ferre in subditos Suffraganeorum. Quarto, Capitulum Cathedrale Sede vacante, sicut & ipsius Vicarius; cum succedat quoad jurisdictionem in locum Episcopi. Quinto, Abbates habentes Episcopalem jurisdictionem. Sexto, Superiores regulares, ut Generales, Provinciales, & Superiores locales; quamvis per specialem dispositionem in aliquibus religionibus id sit prohibitum Superioribus localibus: Demum Concilia generalia per totam Ecclesiam, & Provincialia in suis Provinciis, Legatus a latere, Cardinalis in Ecclesia sui tituli, quidam Archidiaconi, & Archipresbyteri ex veteri consuetudine, ac Inquisitores Sancti Officii. Parochi illam non habent, ut communiter docent contra Archidia-

conum. Et ratio est, quia Parochus jure communi, & ordinario nullam jurisdictionem habet in foro externo, sed solum in foro penitentiae. Quæ omnia multis juribus probant Pal. disp. i. de Censuris punct. 4, Hurt., Con., & alii communiter.

III. Quæritur secundo; Quibusam delegari possit ea potestas?

Respondeo, jure ordinario committi potest etiam Clerico gaudenti privilegiis clericalibus; non tamen Clerico conjugato, praesertim si sit conjugatus cum vidua, atque adeo bigamus; & multo minus committi potest laico, aut foemina: Quamvis possit Pontifex, utpote juris universalis hujus conditor, & legislator, in tali jure humano dispensare, & delegare illam laico etiam infideli, necnon Clerico conjugato, qui in hac materia quasi laicus reputatur.

IV. Utrum possit Pontifex potestatem hanc delegare foemina? Negant communiter cum Avila part. i. dub. 6., & Con. dub. 4. num. 33., videatur enim foemina jure divino incapax jurisdictionis Ecclesiastice, cum haec potestas data sit a Christo Domino solum Apostolis, eorumque aliquo modo successoribus, non vero foeminis; ne Beatissimæ quidem Virginis. Unde dixit Apost. i. ad Corinth. 14. *Foemina in Ecclesia taceant:* Quare cum Clerici, & laici succedant per gradus suos Apostolis, nunquam vero succedant foeminae, ideo illis tantum potestas haec delegari potest jure divino, non vero foeminis: Affirmant tamen Hurt. difficult. 4. num. 13., Pal. disp. i. punct. 4., & alii apud eundem; de jure enim tantum Ecclesiastico videatur foeminae incapaces talis jurisdictionis; & ideo censem potest Pontificem in tali jure dispensare; Solum de jure divino sunt incapaces potestatis Ordinis, non vero jurisdictionis, cum possit foemina beneficia conferre.

Quam-

Quamvis tamen fœminæ non sint Apostolis successores, sicut nec laici in statu laicali, nihilominus sicut laicis, ita & fœminis potest a Pontifice delegari talis potestas.

Ad hoc confirmandum adducunt, quod in cap. *Dilecta*, de *Majoritate* jubeat Pontifex observari suspensionem latam a quadam Abbatissa in Clericos sibi subditos. Verum huic textui communiter respondent, ibi suspensionem sumi lato modo pro prohibitione facta ab Abbatissa, non pro censura, per cuius violationem incurritur irregularitas: Idque satis constat, quia Pontifex commisit eidam Abbatii, ut per censuras cogeret prædictos Clericos ad servandum præceptum illud Abbatis: Quod non fecisset Pontifex, si potuisset ipsa Abbatis suspendere contumaces. Adde, quod Innoc. III. in cap. 3. de *Panit.*, & *Remis*. dicit, potestatem hujusmodi nulli unquam fœminæ commissam fuisse. Advertendum hic, quod ad ferendas censuras cum solemnitate jure communii requiratur Sacerdotium, & non sufficiat Clericatus, nisi in tali jure Pontifex de plenitudine potestatis dispensem.

V. Quæritur tertio; An habens delegatam hujusmodi jurisdictionem, seu potestatem ferendi censuras, possit illam alteri subdelegare?

Respondeo, ex Cap. *Cum causa*, de *Appellatione* apud Con. dub. 4. num. 34., & alios communiter, Primo, posse illam subdelegare delegatum dumtaxat Supremi Principis, seu Papæ, quia reputatur Ordinarius; unde potest subdelegare, non secus ac qui habet hujusmodi potestatem ordinariam, seu ex officio. Secundo, posse illam subdelegare eum, cui delegatur specialiter cum potestate subdelegandi. Utrum autem delegatus ad universitatem causarum possit in casu occurrenti subdelegare? Affirmat probabiliter Sanch. lib. 3. de *Matrim.* disp.

31., & Dian. part. 2. tract. 17. ro. sol. 53., ut diximus in tract. de Pœnitent.

Ubi adverte primo, jurisdictionem hanc, utpote contentiosam, non gratiosam, per mortem concedentis, seu delegantis exprimare, si res sit integra, seu si causa non sit inchoata: Ita habetur in Cap. *Si gratiose*, de *Reffptis* in 6., & in cap. *Licet*, de *Officio delegati*, ut videre est apud Pal. tom. 1. tract. 3. disp. 4. punct. 13.; contra vero qui habet hanc potestatem ordinariam, illam retinet etiam mortuo concedente, uno excepto Episcopi Vicario.

VI. Adverte secundo, jurisdictionem hanc contentiosam in eo etiam differre a gratiose, quæ habetur in foro Sacramentali, quod habens illam sive ordinariam, sive delegatam, possit audire confessiones suorum subditorum extra propriam Diocesim, seu extra locum suæ jurisdictionis, ut diximus in de Pœnitentia: At habens jurisdictionem contentiosam in ordine ad ferendas censuras non potest illam ne valide quidem exercere extra locum suæ jurisdictionis, nisi obtenuit consensu illius, in cuius jurisdictione est, excepto casu, quo talis Episcopus expulsus esset a sua Diocesi; tunc enim petita, licet non obtenta, licentia Ordinarii loci, in quo est, possit suos excommunicare; etenim ex laud. Cap. *Licet* habetur, quod h. in consensu debitus, & injuste negatus valet quantum concessus. Ita communiter Doctores ex Clem. I. de *Foro* cœperint.

VII. Quæritur quarto; Quid requiratur in ferente censuras ad valide las ferendas?

Respondeo, primo requiri legitimam potestatem non impeditam aut per legitimam appellationem, aut per notoriam Judicis excommunicationem, vel suspensionem. Secundo, ut ferens cen-

censuras sit viator; unde Beatus, vel Angelus invalide censuram ferret, Deo aliter non dispensante; quia, ut ostendit Hugolinus, Censura est veluti gladius Ecclesiæ militantis. Tertio, ut sit baptizatus; cum infidelis sit incapax jurisdictionis Ecclesiastice, saltem de jure Ordinario. Quarto, ut non sit laicus, aut Clericus conjugatus, ut supra diximus. Ultimo requiritur, ut dum fert censuram, libere illam ferat, hoc est humano modo, & cum advertentia: Quare invalide censuram ferret amens, & qui nullo modo adverteret ad id, quod agit, aut non cum plena deliberatione, quæ ad peccandum mortaliter sufficeret. Ita etiam communiter Doctores apud Con. dub. 5.

VIII. Dubium tamen est; An ad ferendam censuram requiratur libertas a coactione, seu an censura extorta metu cadente in constantem virum sit invalida? Et communiter Doctores docent esse validam; quia universaliter tam jure naturæ, quam jure positivo, quæ sunt ex metu sunt valida; nisi in aliquo casu contrarium sit jure statutum. Et ratio a priori est, quia cum metu stat libertas sufficiens ad actum humanum, ut patet; quia qui ex metu gravi, verbi gratia, mœchatur, aut fidem abnegat, peccat mortaliter.

Neque dicas, in Cap. I. *De iis, que vi, metusve causa sunt in 6.* habetur, Absolutionem a censura metu extortam esse invalidam; ergo etiam erit invalida infidio censuræ, si metu extorqueatur. Nam, ut bene Con., in jure positivo argumentum a pari nihil probat; Præterquamquod datur disparitas; etenim sèpe Magnates cogunt Superioris Ecclesiasticos ad tollendas, numquam vero, aut fere nunquam ad ferendas censuras; & ideo ne Ecclesiastica disciplina enervaretur, necesse fuit, ut invalidaretur censuræ

Pars VIII.

absolutio metu extorta, non vero censuræ infidio.

IX. Dubium etiam est; An possit quis in causa propria ferre Censuras? Et communiter respondent negative; quia nemo potest simul esse Actor, & Judex; etenim qua parte est actor, est subditus, qua parte est Judex, est Superior; unde simul esset subditus, & Superior suimet. Præterquamquod Judex in propria causa facilime injuriam irrogaret parti adversæ. Excipitur tamen casus defensionis, ut vide re est apud Bonac., & Filluc., quando scilicet aliquis censuram fert in illum, qui sibi manifestam infert injuriam, seu violentiam: etenim licitum tunc est uti propriis armis ad injuriam propulsandam, juxta illud, Vim vi repellere licet; Ita Innoc. in Cap. Dilecta, de Sententia Excommunicationis in 6.

### ARTICULUS III.

#### Erga quos ferri Censura possit?

- I. Censuris ligari possunt, qui sunt pracepti capaces, ac Superiorum in Ecclesia habent in rebus spiritualibus.
- II. Mortuus solum potest declarari excommunicatus; Et quomodo a Censuris absolvatur?
- III. Brutorum excommunicatio est potius maledictio, & imprecatio.
- IV. Impuberes non solent, licet possint, ab homine censurari; Censuras tamen a jure lataς incurrint.
- V. Amens potest solum declarari excommunicatus.
- VI. Communitas interdici, vel suspendi potest, non tamen excommunicari.
- VII. Ligatus una Censura potest & alia ligari, ac divisibiliter ab iis absolvi.
- VIII. Quandonam potest subditus unius Diœcesis ab Episcopo alterius Diœcesis.

cessis excommunicari?

**IX.** Quando Episcopus Censuris ligare potest suum subditum in aliena Diœcesi delinquentem? Et quid, si hic delinquat in loco exemplo?

**X.** Num Edictum ferens excommunicationem comprehendat illos, qui post promulgationem talis Edicti acquirunt in eo loco domicilium, vel quasi domicilium?

**XI.** Quid requiratur, ut aliquis fiat subditus alicujus Episcopi in ordine ad recipienda Sacraenta Pœnitentia, & Eucharistia? Quid in oratione ad suscipiendum Sacramentum Ordinis? Et quid relate ad Censuras, ita ut ab eo possit censuris ligari? Ubi de Peregrinis, & Vagis.

**I.** Certeum est, omnes, & solos præcepti capaces, qui in Ecclesia habent superiorem in rebus spiritualibus posse ligari censuris. Et ratio est manifesta, quia sicut qui potest ferre censuram, debet esse superior habens in foro externo jurisdictionem Ecclesiasticam; ita qui potest censurari, debet esse subditus tali jurisdictioni, & simul præcepti capax: Etenim censura fertur dumtaxat in contumaces, qui culpæ, & emendationis sint capaces; quare qui præcepti capax non est, contumax esse non potest, & consequenter nec potest censura ligari.

Hinc sequitur primo, Papam, utpote nulli in terris subditum, censurari non posse, nisi forte a Concilio in eo tantum casu, quo in haeresim incideret, ex Cap. Si Papa diss. 40., ubi dicitur: *Papa a nemine est iudicandus, nisi deprehendatur a fide devius:* Tunc enim deponi potest a Concilio, ut est certum; Et probabiliter ante depositiōnem per censuras compelli potest ad resipiscendum.

Secundo sequitur, censurari non posse non baptizatos, utpote Ecclesiasticæ

jurisdictioni nullatenus subjectos, dicens Apostl. 1. ad Corint. 5. *Quid enim mihi de iis, qui foris sunt, judicare?*

Tertio, nec pueros ante usum rationis, utpote præcepti incapaces; & eadem ratione nec amentes, cibros, dormientes, furiosos, necnon eos, qui actum sub censura prohibitum faciunt sine actuali advertentia, & libertate requisita ad peccandum mortaliter, dummodo talis actus non fuerit voluntarius in causa.

II. Quarto, nec mortuos, quibus a Superiore humano nihil præcipi potest.

Contradicunt tamen Riccard. Gabriele, & alii Canonistæ; tum quia in Cap. Si quis Episcopus, de heret. præcipitur, ut propter quædam delicta, verbi gratia, propter haeresim, salem post mortem aliqui anathematizentur; tum etiam, quia si potest quis post mortem absolvit a censura, poterit pariter ea post mortem irretiri. Sed communiter respondent cum Suan. hic, post mortem posse aliquem dumtaxat declarari excommunicatum vel propter haeresim, vel quia mortuus est in lupanari, vel propter aliud simile crimen, ut privetur suffragiis, & Ecclesiastica sepultura. Unde patet discrimen inter excommunicationem latam in vivos, & in mortuos. Nam dum mortuus excommunicatur, solum declaratur excommunicatus, & directe præcipitur vivis, ne pro eo orent, aut illum in loco sacro sepiant: Unde indirecte mortuus privat communicatione passiva fidelium: Contra tamen quando excommunicatur vivus, directe præcipitur illi, ut abstineat se a communione fidelium, & a perceptione Sacramentorum; indirecte vero præcipitur aliis, ne cum eo communicent. Eodem modo sicut mortuus excommunicatur per hoc, quod præcipiatur fidelibus, ne pro

pro eo orent; ita mortuus aliquando absolvitur a censuris, quatenus permittitur, ut alii in loco Sacro illum sepeliant, & pro eo orent.

Hinc fit, quod si excommunicetur homicida, & Petrus deinde vulneret graviter Paulum, ex quo vulnere hic postea decedat, Petrus tamen ante mortem Pauli moriatur, Petrus in tali casu non incidit in excommunicationem; non quidem incidit ante mortem, cum nondum fuerit homicida; nec post mortem, quando moritur Paulus; quia Petrus tunc mortuus non potest incidere in excommunicationem; unde potest in loco Sacro sepeliri, & pro eo potest orari.

III. Sequitur ultimo, nec Bruta posse censuris ligari: Neque dicas, aliquando ab Ecclesia excommunicari locutas. Nam, ut notat Suar. disp. 5. sect. 1., verbum excommunicandi, & anathematizandi in tali casu sumitur pro maledictione, execratione, & detestatione; in quo sensu usurpatur etiam contra dæmones in exorcizandis obfessis: Et Apost. in codem sensu ad Galat. 1. ait: *Qui aliud evangelizaverit, quam quod ego, anathema sit, etiamsi sit Angelus.* Quare excommunication locutiarum est potius imprecationis, qua precamur illis interitum, ut nobis nocere desinant.

IV. Quaritur nunc primo; An impuberis post septenium dolii capaces censuris ligari possint?

Respondeo, Sayr., Ugol., & alios apud Bonac. negare; quia ante pubertatem non percipitur ordo judiciarius. Verum communiter affirmant cum Suar., Vasq., Henr., & aliis apud Leand. disp. 3. quæst. 57., quia cum culpam committere possint, cui censura est annexa, non est cur censuram non incurvant; cum nullo iure ab ea inveniantur exempti: Et certum est ex Suar., quod si populus interdicatur, etiam impuberis dolii

capaces comprehendantur, quatenus possunt, & etiam (secluso Interdicto) tenentur die festo interesse Sacro. Verum universim non expedit, per censuram latam ab homine impuberis censurari, quia, ut loquitur Con. virginis potius, quam censuris Ecclesiasticis sunt coercendi.

V. Quaritur secundo; An amens incidere possit in censuram?

Respondeo, ut supra diximus, negative; tum quia peccare non potest; tum etiam quia censura est pena Ecclesiastica medicinalis, quæ respicit emendationem delinquentis; amens autem emendari non potest. Verum si quis incidat in amentiam post patratum delictum, cui est annexa excommunication, potest deinde ob antecedentem contumaciam declarari excommunicatus. Exempli gratia, si Petrus mandet Sorti, ut Clericum occidat, & deinde incidat in amentiam, quando Sortes occidit Clericum, tunc Petrus amens incidit in excommunicationem, & potest declarari excommunicatus. Volunt tamen Doctores cum Suar., Laym., Palao, quod in casu perpetua amentiae debeat statim absolviri, etiamsi ante amentiam non dederit signa penitentiae; quia pena hæc medicinalis non convenit ei, qui nullo pacto corrigi potest.

VI. Quaritur tertio; An possit Communitas aliqua Censuris ligari?

Respondeo, quod sicut potest aliqua Congregatio, vel Capitulum ferre Censuras, ita potest pariter Censuris ligari, atque adeo suspendi, aut interdicci; non potest tamen, ut docet Con. dub. 6., per se, & immediate excommunicari; quia sic posset contingere, quod innocentes talis communitatis excommunicentur; quod jura reputant inconveniens: Posunt tamen omnes, & singula personæ talis Communitatis excommunicari, si innocentes sint, sive propter idem, si

ve propter diversa crimina; ut habetur in *Cap. Romana, de Sententia Excommunicationis in 6.*; Ubi notat Hurt. disp. 12. de Excommunicatione difficult. 2., decretum hoc Innoc. IV. procedere de Excommunicatione lata ab homine, non vero de excommunicatione juri annexa: Verbi gratia, si in jure excommunicetur, qui mandat bellum inustum, & Republica aliqua tale bellum indicat.

Quod si censuretur aliquis vage, dicens, Excommunicamus, vel suspendimus unum ex iis, qui furtum commiserunt, non determinando personam, censura est invalida; quia ex intentione ferentis determinari debet actio ferendi Censuram: Possunt tamen excommunicari omnes, verbi gratia, qui furtum commiserunt; quia jam censura cadit supra personas determinatas, esto non exprimantur in individuo.

VII. Quæritur quarto; An ligatus una censura possit iterum alia etiam ejusdem speciei ligari?

Respondeo cum communi affirmativa: Sicut enim qui plura mortalia committit, potest pluribus titulis privari gratia Dei; ita qui plures est contumax Ecclesiæ per transgressionem legis obligantis sub pena Censuræ, plures Censuras non solum diversæ, sed etiam ejusdem rationis incurre potest; seu potest pluribus titulis privari, verbi gratia, communione fidelium, sepultura sacra, &c.: Cum eo tamen discrimine, quod plura mortalia non possunt seorsim tolli, sicut plures censuræ; quia mortalia tolluntur per gratiam incompossibilem cum quovis mortali, secus vero Censuræ.

Hinc sequitur primum, quod qui ob percussionem, verbi gratia, unius Clerici in excommunicationem incidit, iterum in aliam excommunicationem incidat, si alium Clericum percutiat.

Sequitur secundo, quod universum

quando peccata multiplicantur numero, tunc multiplicentur pariter numero excommunications illis annexæ: Quare quia quando quis uno ictu percutit plures Clericum, unum numero committit peccatum, ideo unam excommunicationem incurrit; & quia quando quis successive cum morali interruptione plures Clericum percutit, plura peccata committit, sive plures excommunications incurrit.

Sequitur tertio, quod si lata fiscus communicatio in fures, & in facti legos, & aliquis furetur in Ecclesia; sicuti per circumstantiam hanc mutantem speciem veluti duo peccata committit, furti, & Sacrilegii, ita duæ pariter excommunications incurrit; Et quia in Clem. I. prohibetur sub excommunicatione sepelire in loco Sacro vel publice excommunicatum, vel nominatim interdictum, aut tempore interdicti in casibus non concessis, vel publicum usurarium; hinc si quis sepeliret in loco Sacro aliquem, qui simul esset publice excommunicatus, & nominatim interdictus, & publicus usurarius, triplicem excommunicationem incurreret.

Sequitur ultimo, quod si quis percutiat aliquem, qui simul sit Clericus, & Monachus, unam excommunicationem incurrat; quia circumstantia Clerici, aut Monachi non est diverse speciei; unde sicut non debet id in confessione aperiri tamquam novum peccatum, ita nec nova excommunicatione incurritur.

VIII. Quæritur quinto; An qui delinquit in aliena Diœcesi, possit Censuris ligari ab Episcopo illius Diœcesis, in qua delinquit; Verbi gratia, Petrus Neapolitanus delinquit Nola, potest ne ab Episcopo Nolano excommunicari?

Respondeo; Vel Petrus Neapolitanus existit in Diœcesi Nolana animo ibi perpetuo permanendi, aut saltē per-

per majorem partem anni, vel non: Si primum, potest excommunicari, quia habitatio cum animo perpetuo permanendi facit domicilium, & cum animo permanendi per majorem partem anni facit quasi domicilium; & quilibet per domicilium, & probabiliter etiam ex Con. per quasi domicilium in aliqua Dicecesi, sit in tali Dicecesi subditus; unde potest, sicut alii subditi, censurari: Quod si non sit Nolæ cum animo ibi permanendi perpetuo, aut pro majori parte anni, iterum subdistinguendum est: Nam vel Petrus delinquit in materia prohibita jure naturali, aut divino, verbi gratia, furando, fornicando, &c.; vel delinquit in materia prohibita per statutum, aut præceptum particolare Episcopi Nolani. In hoc secundo casu non potest censuris ligari; quia cum peregrinus non teneatur legibus loci, in quo versatur, per violationem talis statuti, quo non tenetur, nullo pacto delinquit, adeoque nequit ratione delicti sortiri forum Nolanum. Ita Con. dub. 7., & Hurt. diff. 9. ex Cap. A nobis, de Sententia Excommunicacionis. In primo vero casu, si scilicet Petrus Neapolitanus Nolæ furatus est, potest ab Episcopo Nolano cogi sub excommunicatione ad satisfaciendum; quia ratione talis delicti Nolæ commissi sortitur forum Nolanum; ut docent communiter Doctores apud eundem Con., & Hurt. loc. cit. ex Cap. ult. de Foro Compet. Quod si post delictum statim e Dicecesi Nolanana proficiscatur, dummodo ante egressum fuerit legitime citatus, adhuc alibi existens potest ab Episcopo Nolano excommunicari; quia ratione judicii inchoati retinet hic Episcopus jurisdictionem in illum: Si tamen non fuerit legitime citatus ante egressum, poterit ad requisitionem Episcopi Nolani citari a proprio Episcopo, qui requitus tenetur illum citare, & si non

respondeat, ut tenetur, poterit ab Episcopo Nolano excommunicari, ut docet Avila part. 2. disp. 2. dub. 3. cum aliis.

Adverte tamen ex Con. num. 52. contra Glosam, quod si Episcopus Nolanus excommunicet omnes furantes in sua Dicecesi, & Petrus Neapolitanus suretur Nolæ, ubi est peregrinus, non incurrit excommunicacionem; quia furando solum peccat contra legem naturalem, non vero contra præceptum Episcopi Nolani, cui non est subditus: Nec ratione talis delicti fit subditus Episcopo Nolano, nisi tantum in ordine ad punitionem; unde solum cogi potest sub excommunicatione ad satisfaciendum.

IX. Quæritur sexto; An possit Episcopus censura ligare suum subditem delinquentem, & existentem in aliena Dicecesi?

Respondeo negative. Ita Con. num. 61. cum communī ex Cap. 2. de Constitutionibus in 6., ubi dicitur, Statuto Episcopi excommunicantis fures non ligari eos, qui extra Diaecesim furantur; quia extra territorium ius dicenti non pareatur impune. Quod si extra territorium existens aliquo tamen patet in eo delinquat, potest censurari: Verbi gratia, si Episcopus statuat esse excommunicatos omnes Parochos, qui per duos menses a sua Parochia sine justa causa absunt, tunc si Petrus Parochus sine justa causa abfit per duos menses, etiamsi alibi existat, poterit excommunicari; quia aliquo modo intra Diaecesim peccat per absentiam ab illa; Ita Doctores communiter apud eundem Con.

Ex quo resolvetur primo, quod Episcopus nihil possit valide præcipere, aut vetare existenti extra Diaecesim: Exempli gratia, non potest suis Sacerdotibus præcipere, ne faciant Sacrum, ne ludant aleis extra suam Diaecesim, esto possit illis ex justa causa præcipere,

ne

ne e Diœcesi egrediantur. Ita Con., Avila, Henr., & alii contra Laym. hic cap. 4. num. 7. ex Suar., Sà, Ugo-lin. Ratio est, quia, ut diximus, *Ex tra territoriorum ius dicenti non paretur impune, ex landato cap. 2. de Constitut.* Ubi adverte, quod si Sacerdos a suo Episcopo suspendatur, non potest extra Diœcesim sacrum facere: Etenim ius commune licet non tribuat præcepto Episcopi vim ligandi subditum extra territorium, tribuit tamen hanc vim censuræ, quæ ubicumque terrarum ligat, ut constat ex usu Ecclesiæ.

Resolves secundo, quod si Episcopus per statutum velit, ut homicidæ sint excommunicati, & Petrus deinde vulneret aliquem intra Diœcesim vulnera non lethali, ac deinde extra Diœcesim, aut in loco exempto consummet homicidium inchoatum, non incurrit excommunicationem, ex Laym. loc. cit. num. 6., & Suar. disp. 5. fect. 5.; quia statutum ex propria natura territorium afficit, & intra ejus limites se continet.

Resolves tertio, quod si Petrus Neapolitanus graviter laeserit Titium in Diœcesi Neapolitana, & postea fugiat, poterit ab Episcopo Neapolitano per Censuram cogi, ut satisfaciat partilaesæ; quia quamvis post inflictum vulnus fugerit extra Diœcesim, pergit tamen per laisionem ibi relictam ibi quodammodo peccare; & sic tamquam subditus corrigi per Censuram, & puniri potest.

Ultimo; Si Sacerdos aliquis extra Diœcesim fungatur legatione Episcopi, vel Capituli, tunc ratione talis munera est subditus Episcopo, vel Capitulo, ita, ut si extra Diœcesim delinquit, possit a suo Episcopo per censuras corrigi; ut ex communi docet idem Con.

Adverte tamen primo ex eodem Con. num. 63., pariformiter discurrendum de subdito extra Diœcesim, ac de subdito in loco exempto intra.

Diœcesim existente, & delinquente, quia Episcopus non plus juris habet hic, quam ibi. Ex Suar. autem non intelliguntur loca exempta intra Diœcesim Monasteria, sed aliqua Parochia exemptæ, & similia; quia in Monasteriis Superior tantum habet jurisdictionem in personas, non in locum, unde si subditus Episcopi in aliquo Monasterio existat, & delinquat, protest ab Episcopo puniri; Aliter debet remaneret impunitum, cum Prælatus regularis non possit illud punire per hoc, quod sit factum in Monasterio. Dian. tamen part. 10. trad. 14. resol. 7. ex Baucio, Bord., Bonac, & aliis, putat, eodem modo discurrendum de Monasteriis intra Diœcesim, ac de aliis locis exemptis. Immo addit, quod si in Monasterio exempto crimen committatur, non solum non incurrit excommunicatione, sed nec reservatio peccati facia ab Episcopo, non fecus ac si extra Diœcesim committeretur. Evidet ex illo, a sententia Suarii non esse redendum.

Adverte secundo, quod quamvis Episcopus non possit extra Diœcesim ligare censuris subditos suos, potest tamen Prælatus regularis: Disparitas est, quia Episcopus habet immediata jurisdictionem in territorium, & ratione territorii in personas, quæ dicuntur ei subjectæ ratione domicilii, beneficij, aut Officii: Contra vero Prælatus regularis habet immediate jurisdictionem in personas, adeoque habet potestatem ferendi censuras in suos ubicumque terrarum existentes.

X. Quæritur septimo; An statuto generali continent censuram comprehendantur etiam ii, qui post promulgationem acquirunt in tali loco domicilium, & sic fiunt subditi? Verbi gratia, si Episcopus Neapolitanus excommunicet suo statuto omnes, qui furantur in templo; & Titius post pro-

promulgationem talis statuti acquirat Neapolitani domicilium, & furetur in templo, incurrit ne excommunicatio nem?

Respondeo affirmative cum Suar. disp. 5. sect. 5., Con. dub. 7., Hurt., & aliis communiter. Ratio est, quia tale statutum, seu edictum non solum habet vim, dum publicatur, sed quamdiu durat; quare cum Titius per acquisitionem domicilii fiat subditus, dum vim habet tale edictum, consequenter eo comprehenditur.

Secus accedit, si Censura non fera tur per edictum generale, sed per sententiam particularem, quæ factum aliquod particulare respiciat; Verbi gratia, si Episcopus Neapolitanus post furturn aliquod commissum præcipiat sub poena excommunicationis, ut qui cumque novit fures, debeat illos revelare, & Titius post promulgatum hoc præceptum fiat incola hujus Civitatis, & noscat fures, probabiliter non tenetur eos revelare, ex eodem Con. num. 60., Avil., Sylvestr., & aliis; quia scilicet talis sententia fertur per modum præcepti transeuntis, adeoque simul, & semel totam vim suam exercit, & exercet; Quare eos solum ligat, qui sunt subditi, quando promulgatur, non vero Titius, qui post promulgationem fit subditus per acquisitionem domicilii.

XI. Quæritur octavo; Quid requiratur, ut aliquis dicatur subditus aliquis Episcopi?

Respondeo, aliter discurrendum de subdito relate ad forum gratiosum, & Sacramentale, seu relate ad suscipiendum Sacramentum Pœnitentiae, vel Eucharistie, & aliter de subdito relate ad forum contentiosum, & penale, seu ad censuras, quibus potest ab aliquo Episcopo ligari.

Et quidem relate ad suscipiendum tempore Paschatis Sacramentum Pœnitentiae, & Eucharistie a proprio Sa-

cerdote, dicitur aliquis esse hujus, vel illius Diœcesis, seu Parochiæ per hoc, quod in hac, vel illa habeat domicilium, vel quasi domicilium: Ad acquirendum autem in aliqua Diœcesi, vel Parochia domicilium, vel quasi domicilium, duo requiruntur, ut docet Laym. tract. 6. cap. 7. ex leg. *Domicilium*, videlicet animus, & factum; pro animo intelligitur propositum permanendi ibi saltem diuturno tempore; pro facto intelligitur ipsa actualis habitatio; ita ut actualis habitatio cum animo permanendi ibi perpetuo acquirat domicilium simpliciter; cum animo tamen habitandi ad non modicum anni tempus, seu pro majori parte anni acquirat quasi domicilium.

Hinc sequitur primo, quod si domicilium habens in Urbe ad Villam se transferat ratione vindemiarum, vel messis, non censeatur ad Parochiam illius Villæ pertinere; atque adeo si ibi non electa sepultura decedat, non in Ecclesia Villæ, sed in sua Parochia sepeliendus est, ex Cap. *Qui, de Sepulturis in 6.*

Sequitur secundo, eum, qui Neapolitani studiorum causa versatur, quamvis paternum domicilium habeat alibi, esse tamen quoad Sacramentum Pœnitentiae, & Communionis recipiendum Diœcesis Neapolitanæ, in qua vere habet quasi domicilium: Et idem diccas de militibus, litigantibus, mercatoribus, &c. Verum non est eadem ratio quoad suscipiendum Sacramentum Ordinis; quia ad suscipiendum hoc Sacramentum ab Episcopo alicujus Diœcesis, non sufficit habere quasi domicilium in illa Diœcesi, sed requiritur domicilium simpliciter, vel origo, vel beneficium.

Sequitur tertio, quod si Titius in duabus Parochiis domicilium habeat, & modo in una, modo in altera habitat, liberum sit illi in utralibet Sacraenta recipere,

co

eo quod utriusque Parochiæ censatur. Ita Suar., & alii communiter apud Laym. loc. cit. contra Palud., & Antonin., qui volunt debere Sacra menta recipere in ea Parochia, in qua tunc temporis habitat: Verum Suar. advertit, quod si Sacra menta recipiat in ea Parochia, in qua de facto non habitat, debeat reddere certiorem alium Parochum, in cuius Parochia habitat, quod Sacra menta receperit.

Est tamen difficultas de vagabundis, & peregrinis; A quonam Parocho debeant Sacra menta recipere? Differunt vagabundi a peregrinis; quia isti alicubi domicilium habent; illi vero nullibi, eo quod nullibi habitant animo permanendi.

Circa Vagabundos, Suar. disp. 25. sect. 2. ex Sylv., Sot., Medin. putat teneri ad confitendum Parocho ejus loci, in quo actualiter versantur, vel alteri de ejusdem Parochi, aut Episcopi licentia; quia cum domicilium non habeant, actualis habitatio succedit loco domicilii; Præsertim quia Parochus ejus loci tenet vagabundis administrare Sacra menta, & potest illos ad præceptum Paschale implendum compellere: At Laym. loc. cit. ex Palud., Anton., & aliis putat, vagabundos posse confiteri cuilibet Confessario, qui in ea Diœcesi, in qua versantur, vel ordinariam, vel delegatam habeat potestatem, & a quolibet Parocho talis Diœcesis recipere Sacramentum Eucharistiae: unde si vagus versetur hic, & nunc in Parochia A, potest confiteri, & communicare in Parochia B ejusdem Diœcesis. Ratio est, quia determinatio Ecclesie facta per domicilium non habet locum in vagabundis, qui domicilio carent. Addit proinde Laym. pertinere ad Episcopum, in cuius Diœcesi versantur, illos ad Sacra menta recipienda compellere, vel per Paro-

chos, vel per alios habentes delegatam jurisdictionem.

Circa Peregrinos vero, communis sententia fert, posse illos ex tacio Ordinariorum consensu consuetudine confirmato Sacra menta Confessionis, & Communionis recipere a quolibet Sacerdote habente ordinariam, vel delegatam potestatem in eo loco, in quo versantur; Idque etiam de Confessione, & Communione Paschali intelligendum esse significat Caja V. *Absolutio* ex declaratione Eugen. IV. apud Layman. loco cit., si scilicet ad propriam Parochiam facile accedere non possunt; Debet tamen testimonium annua Confessionis, & Communionis dare suis Parochi illud postulantibus, quando in suam Parochiam sunt reversi.

Rogabis nunc; Quomodo aliquis dicatur subditus alicujus Episcopi relate ad censuras, ita scilicet ut ab illo possit censura ligari?

Respondeo, ut possit aliquis tamquam subditus censurari ab aliquo Episcopo; Primo satis est, quod habeat in Diœcesi talis Episcopi domicilium, vel (ut probabiliter docet Con. dub. 7.) quasi domicilium, vel quod sit membrum alicujus Communilitatis subiecta tali Prælato.

Secundo satis est, si delinquat in territorio ejus, qui præceptum tulit sub censura; nam ratione delicti commissi in tali Diœcesi fit subditus Episcopi illius; dummodo tamen delictum fit contra jus naturale, aut diuinum, ut explicavimus quæst. 5. in quo casu, quamvis non incurrat excommunicationem delinquendo, sicut incurruunt cives, potest tamen sub pena excommunicationis cogi ad satisfactionem parti læsæ: Etenim ratione delicti fit subditus ejus loci, dumtaxat in ordine ad punitionem.

Tertio satis est, si in aliquo territorio sit incepta causa post legitimam

mam citationem; Quare si post citationem Reus mutet locum, & non compareat, potest absens excommunicari, ut notavit Abbas num. 6.

Quarto demum, censurari potest ut subditus a quovis Episcopo quicunque censuram talis Episcopi violavit, communicando, verbi gratia, cum excommunicato ab illo. Et ratio est, quia cum excommunicatus ab uno Episcopo sit ubique terrarum excommunicatus, & quilibet cum eo communicans incurrit excommunicationem minorem, poterit consequenter a tali Episcopo quilibet admoneri, & sub pena excommunicationis majoris compelli, ne cum tali excommunicato communicet, ut patet ex cap. Statutum, de Sententia Excommunicationis in 6.

#### ARTICULUS IV.

Quam ob causam ferri possit  
Censura.

- I. Excommunicatio ferenda sententia quandonam indicitur pro culpa levi? & quando pariter suspensiō, & Interdictum?
- II. Excommunicatio major incurri potest, si imponatur ob rem de se levem, qua tamen ex circumstantiis, aut ratione finis sit gravis.
- III. Minor excommunicatio imponitur etiam pro culpa levi; cum sit pœna levius, quatenus facile tolli potest.
- IV. Pro peccato mere interno censura infligi non potest; Nec pro externo simpliciter levi. Potestas ferendi censuras cum residat in hominibus, quamvis sit spiritualis, non respicit, nisi per accidens, actus internos. Cur possint peccata interna reservari; necnon vota interna dispensari? Ut puniatur censuris actus externus, debet hic de se esse.

Pars VIII.

se malus, quamvis requiratur aliquis actus internus, ut censura incurritur. Cur censuris puniri possit, qui recitat horas sine intentione, aut celebrat sine intentione consecrandi?

- V. Nequit puniri censuris peccatum, quod præcise est contra ius naturale, aut divinum; nisi simul sit contra preceptum Ecclesie. Pro foro interno, ut censura incurritur, requiritur contumacia vera; pro foro autem externo sufficit præsumpta. Hinc pro peccato mere præterito censura infligi non potest, nisi inadequate; Nec sine prævia monitione, & comminatione. Ut autem declaretur quis excommunicatus, prærequiritur citatio, quando delictum non est notorium.
- VI. Etiam si Reus de Crimine sit convictus, nequit sine prævia monitione excommunicari a iudice: Hinc nequit sub excommunicatione ferenda sententia prohiberi peccatum, quod tractum successivum non habet, puta, Blasphemia.
- VII. Propter peccatum alienum potest quidem Suspensiō, aut Interdictum ferri, non tamen Excommunicatio.
- VIII. Ut censura incurritur, requiritur Voluntarium sufficiens ad peccandum mortaliter; Hoc tamen non semper sufficit.
- IX. Peccatum, propter quod incurritur censura, debet esse in suo genere completum.
- X. Censura lata contra aliquid facientes non comprehendit Consulentes, aut Mandantes, nisi id exprimat, & Consilium, aut Mandatum influant. Quando tamen dicuntur influere? Quid si eos paniteat, an requam effectus sequatur? Cur mandans non equiparetur in causa nostro facienti?

C

I. Cer-

I. C<sup>r</sup>etum est, Censuram, cum sit pœna, ferri non posse non præsupposita culpa; unde quando in conscientia nulla datur culpa, censura non incurritur; Esto in publico servari debeat ad vitandum scandalum, quando ob causam præsumptam, & legitimam inflicta est. Dubium nunc est; An possit infligi pro peccato veniali; vel pro mere interno; aut pro peccato, quod solum est contra jus naturale, aut divinum; aut demum pro peccato alieno?

Quæritur itaque primo; An possit pro veniali infligi Censura?

Respondeo cum communi apud Con. dub. 8., Pal. punct. 7. Excommunicationem minorem ferri posse etiam ob culpam levem: Quod patet, quia hæc incurritur ob communicationem etiam levem in rebus civilibus cum excommunicato vitando, quæ solum est venialis: At excommunicationem major ferri non potest ob culpam levem; cum censetur pœna gravissima; & ideo ex Trid. sess. 15. cap. 3. ferri non debet, nisi ob gravissimas causas. Avila tamen 2. part. cap. 5. disp. 1. dub. 3., & Dian. part. 5. tract. 9. resol. 21. docent ex Cajet., Navar., & aliis viris doctissimis, quod quando aliquid prohibetur sub pœna excommunicationis ferendæ, tunc solum prohibetur sub mortali, quando materia est gravis aut ex se, aut ex circumstantiis; vel quando non requiritur monitio Judicis, antequam delinquens excommunicetur, ita ut non aperte id in jure requiratur: Contra vero prohibetur sub levi, si jus expresse requirat monitionem, antequam Judex possit excommunicare transgressorē; (sicut expresse in Trid. sess. 24. cap. 8. imponitur excommunicatione comminatoria adversus Concubinarios, qui ter moniti ab Episcopo non se separaverint; Et sess. 14. cap. 8. imponitur suspensio com-

minatoria contra personas Ecclesiasticas, quæ precedente monitione Ordinarii non gestaverint habitum decentem) Vel si materia sit levis; tunc enim quicquid sit de rigore juris, ex æquitate tamen præsumitur, non esse intentionem Ecclesiæ, quod infligatur excommunicatione ante monitionem Judicis; unde prohibitio est tantum sub levi. Ex quibus Avil. loc. cit. colligit, quod Clericis in Sacris sub mortali prohibeatur, ne assistant agitacioni taurorum, quando id sub pœna excommunicationis prohibetur a Pio V.; quia materia est gravis: Quod si occulte, aut a longe assisterent, peccarent tantum venialiter, quia materia est levis.

Circa Suspensionem, & Interdictum, Cajet., & Navar. putant ferri posse etiam ob culpam levem. Con. pariter dub. 7. cum Filliuc., & Suar. disp. 4. sect. 4. id affirmant, si censentur pœnæ leves; Negant vero, si ferantur, prout communiter feruntur, ita ut sint pœnæ graves. Quod ut pateat, sciendum, suspensionem aliam esse ab officio, aliam a beneficio, aliam ab omni officio, aliam a parte officii, puta ab ordine; immo potest esse ab uno tantum ordine, vel ab aliquibus, & non ab omni. Similiter Interdictum potest esse tantum ab ingressu Ecclesiæ, vel a divinis officiis: Quare si quis suspendetur ab officio parvi momenti, aut alicui personaliter interdicteretur ad breve tempus participatio Sacramentorum sine reservatione talis interdicti; quia hujusmodi censentur pœnæ leves, ferri possunt ob culpam levem. Verum quia non solent communiter ita ferri, sed cum omni amplitudine, ideo censentur pœnæ graves, quæ non nisi ob gravem culpam ferri possunt. Quod si ob levem culpam ferantur, censentur invalidæ a Suar. Tol., & aliis apud Bonac. disp. 1. q. 1. punct. 3. II. Op.

II. Oppones primo; Aliquando Canones infigunt excommunicacionem majorem etiam pro culpa levi; ergo fallsum est, quod solum propter mortale infligi possit. Antecedens probatur, quia in *Can. Si quis, dist. 23.* excommunicatur Clericus, qui comam nutrierat.

Confirmatur; accidere enim potest, quod incurritur excommunicatione major ob retentionem rei alienae in quantitate levi, quod est tantum culpa levi: Nam si plures dilapident bona Petri, tollendo singuli parvam quantitatem, ita tamen ut nemo in alterius peccato participet, in tali casu singuli venialiter peccarunt, & tamen poslunt omnes, & singuli cogi ad restituendum sub excommunicatione majore, eamque incurriter non restituendo quantitatem levem, quam retinerent.

Respondeo, nego antecedens; etenim res, quæ ex se est levis, potest aliquando ex circumstantiis esse gravis, ut est nutrire comam in Clerico ob scandalum, & alias circumstantias. Quod si res sit tam ex se, quam ex circumstantiis levis, procul dubio prohiberi non potest sub excommunicatione majori; & ideo censetur invalida excommunicatio, quæ ferretur contra proferentes mendacium leve, aut verbui otiosum, ut docet Bonac. loc. cit. Quando tamen prohibetur sub excommunicatione majori aliquod indifferens, puta gestatio armorum; quia materia ista supponitur esse gravis in ordine ad finem, ideo supponitur graviter, & sub mortali prohiberi, quamvis id non exprimatur; atque adeo qui gestaret arma, & peccaret mortaliter, & excommunicationem incurriter.

Ad confirmationem dico, quod ex retentione rei levi in casu adducto sequatur proximo damnum grave; & ideo sub mortali prohiberi potest re-

tentio rei levi; Unde qui rem levem non restitueret, peccaret graviter, & excommunicationem incurret, quamvis, quando singuli rem levem Petri furati sunt, noanisi leviter peccaverint. Quod si retentio rei levi non inferret Petro damnum grave, ut accidit, si reliqui omnes jam restituerint suam materiam levem, tunc ex Bonac., Cordub., & aliis, qui rem levem retincret, excommunicationem non incurreret, nec graviter peccaret, cum non esset causa damni gravis. Si tamen lata sit excommunicatione contra fures, & Titius fuerit acum sartori pauperrimo, inferendo illi notabile damnum, pecavit quidem graviter ob injultam damnificationem gravem, sed non incidit in excommunicationem, eo quod furtum non fuerit rei notabilis, ut dicimus quæsit. seq. Quod si sub excommunicatione majori praecipiat restitutio talis acus, tunc certe non restituens, præter novum peccatum inobedientiae, excommunicationem incurreret.

III. Oppones secundo. Excommunicatione minor privat maximis bonis, videlicet receptione Sacramentorum; ergo est maxima pena, quæ pariter ob gravem culpam possit infligi.

Confirmatur, quia minoribus bonis privat Interdictum, & aliquando etiam Suspensio, quam Excommunicatione minor, & tamen illa ferri non possunt, nisi ob culpam gravem; ergo nec ista.

Respondeo, concessso antecedente, nego consequentiam; non censetur enim maxima pena, quod ante absolutionem a tali censura non possint recipi Sacra menta; cum possit id ventari etiam sine ulla prævia culpa; ut accidit, quando quis non jejunus non potest communicare. Præterea neque dici potest maxima pena, quæ facili negotio tolli potest, ut est ex-

C 2 com-

communicatio minor , a qua potest absolvere quilibet Confessarius ; immo etiam quilibet Sacerdos , ut docent Nav. , & Tolet. contra Suar. & alios apud Busemb.

Ad confirmationem , concessio etiam antecedente , nego consequentiam ; disparitas est , quia ingressus Ecclesie , & alia huiusmodi , quae per Interdictum prohibentur , etsi minus bonum sint , quam receptio Sacramenti , quod prohibetur per excommunicationem minorem , censentur tamen poena major , quia non facile tolli possunt .

IV. Quæritur secundo ; An possit censura infligi pro peccato pure interno ?

Respondeo cum communi negative ; quia Ecclesia non judicat de internis ; cum enim ipsa sit visibilis , & sensibilis , tantum fert judicium directe , & per se de peccatis externis , & sensibilibus ; & ideo in Cap. Christiana 32. quast. 5. dicitur : *Non habent latencia peccata vindictam* ; Et in Cap. final. de Simon. dicitur , *Pactio procedens ex animo Simoniaco , si hic non prodatur exterius , ab Ecclesia non puniri*. Et ratio a priori est , quia ad hoc , ut culpa per censuras puniatur , debet esse cognoscibilis a puniente ; animus autem internus simoniacus , nisi externo aliquo signo prodatur , ab Ecclesia cognosci non potest , atque adeo nec per censuras puniri .

Immo addo ex Suar. disp. 4. sect. 2. , nec posse infligi censuram ob peccatum externum , quod ex se , & ex suis circumstantiis externis non sit graviter vitiosum , etiamsi fiat cum intentione graviter peccaminosa : Quare si feratur excommunicatione , verbi gratia , contra fures , & Titius furetur vitrum putans illud esse adamantem , quamvis graviter peccet , non incurrit excommunicationem ; quia talis actus externus non est graviter vitiosus ;

Et idem dicas , si quis furetur acum sartori pauperrimo , ut supra innuimus .

Dices primo cum nonnullis Canonicis , & Theologis apud Suar. loc. cit. , Potestas ferendi Censuras est spiritualis ; ergo potest punire censuras non solum peccata sensibilia , & extera , sed etiam mere interna .

Respondeo , nego consequentiam ; quia talis potestas ita est spiritualis , ut tamen resideat in hominibus , qui non possunt illam exercere nisi circa ea , de quibus possunt ipsi judicare ; Unde sicut directe , & per se potest Ecclesia solum actus externos praepare , vel prohibere , & nonnisi indirecte , & per accidens actus internos , ita pariter per censuras punire .

Hinc inferunt Valsq. tract. de Excommunicatione dub. 13. Suar. Con. & alii , quod non subjaceat excommunicationi lata contra Haereticos , qui male sentit de fide ; ita tamen , ut exterius non manifestet haeresim suam . Adverte tamen , quod si exterius manifestet , sed occultissime , ita ut a solo delinquente cognoscatur , incurrit excommunicationem ; quia tale peccatum est occultum per accidens , non vero per se , ut peccatum pure internum .

Dices secundo ; Potest Ecclesia reservare peccata interna , & Superior in voto pure mentali dispensare ; ergo pariter punire censuras peccata interna ; cum relate ad hac omnia requiratur eadem spiritualis potestas Ecclesie .

Respondeo ex Bonac. punct. 3. , Concessio antecedente , nego consequentiam . Disparitas primo est , quia tam in reservatione , quam in voto habeatur deinde externa manifestatio ; Et enim quando peccata reservata manifestantur , tunc negatur Confessariis inferioribus potestas absolvendi ab illis ; & quando votum mentale manifestatur Superiori , tunc potest in illo dispe-

spesare: Contra vero peccata interna in casu nostro nunquam exterius manifestantur. Secundo ex Medina disparitas est, quia per absolutionem a reservatis, & per dispensationem votorum tollitur obligatio; per censuras vero ponitur: Potest autem Ecclesia ob actus pure internos obligationes tollere, non ponere; quia odia sunt restringenda, favores ampliandi.

Dices tertio; In *Clement. Multorum, de hereticis* fertur excommunicatione in Inquisidores, qui vel odio, vel spe lucri puniunt aliquem innocentem: Item multa jura, & constitutiones Pontificiae excommunicant eos, qui scienter, aut ex presumptione aliquid committunt; ergo per censuram puniri potest odium, & presumption, qui sunt actus interni.

Respondeo, concessò antecedente, nego consequentiam: Etenim in casibus adductis punitur actus externus ceteroqui ex se malus, si fiat ex odio, presumptione, &c.: Sic quando punitur censuris retinens scienter rem alienam, aut scienter usurpans rem Ecclesiae, non punitur scientia, (quae est actus intellectus, non voluntatis) sed punitur actus externus malus, supposita tali scientia. Hinc sequitur, quod si Inquisidores juste aliquem reum damnarent, sed tamen ex odio, vel spe lucri, peccarent quidem, sed excommunicationem non incurrerent: Item si excommunicetur frangens jejunium ex contemptu, qui jejunium frangit, & non ex contemptu, sed ex fragilitate, aut passione, peccat, sed non incurrit excommunicationem: Sicut nec incurrit, qui jejunaret, & simul contemneret legem jejunii. Quare semper quod per Censuram punitur, est actus externus malus, quamvis aliquando requiratur aliquis actus internus ad incurrandam censuram.

Dices quarto; Si feratur censura in non audientes Sacrum, aut in omittentes Horas Canonicas, & Titius audiat Sacrum, aut recitet horas sine ulla attentione, certe censuram incurrit præcise propter parentiam actus interni: Eodem modo si præcipiatur Sacerdoti sub excommunicatione, ut semel in anno faciat Sacrum, hic tamen in faciendo Sacro non habeat intentionem consecrandi, incurrit excommunicationem; ergo puniri potest censuris actus internus.

Respondeo, concedo antecedens, & nego consequentiam; sicut enim Ecclesia in dictis casibus præcipere potest actus internos per accidens, & indirecte, quatenus scilicet spectant ad substantiam actus externi præcepti; (non enim habetur, verbi gratia, Sacrum præceptum sine intentione consecrandi) ita Ecclesia in iisdem casibus per accidens, & indirecte punit censuris actus internos, quatenus sine actibus internis non habentur actus externi præcepti. Quod si substantia actus externi præcepti posset subsistere sine actu interno, censura non incurreretur propter actum internum malum: Verbi gratia, si quis faceret Sacrum cum intentione quidem consecrandi, sed cum prava intentione, puta, ad faciendum maleficium, non incurreret excommunicationem propter hanc pravam intentionem, sed illam incurreret, si careret intentione consecrandi. Ratio est, quia quamvis uterque sit actus internus malus, intentione tamen consecrandi per se pertinet ad substantiam actus externi præcepti; unde ejus omissio per accidens puniri potest censuris; secus vero prava illa intentio.

V. Quæritur tertio: An possit infligi censura propter peccatum, quod est dumtaxat contra jus divinum, aut naturale, puta contra furantes;

in

in quo casu nulla intervenit contumacia, & inobedientia praecpto Ecclesiastico?

Respondeo negative cum communione apud Laym. cap. 5.; Etenim unice ferri potest censura propter peccatum inobedientiae, seu contumacia, per quam reus auctoritatem Ecclesiae praeipientis, ac monentis spernere censeatur. Ratio est, quia censura est poena instituta ad frangendam contumaciam, seu inobedientiam contra Ecclesiam: Quod patet ex illo Matt. 18. *Si Ecclesiam non audierit* (seu si inobediens Ecclesiae fuerit) *sic tibi sicut Ethnicus, & Publicanus;* Ubi ostenditur, excommunicationem ferri propter hanc inobedientiam: Et idem dicitur de aliis censuris, ut colligitur ex Cap. Ex pœna, de verborum significatione; ubi duæ dumtaxat cause censurarum adducuntur, videlicet vel quia reus citatus noluit parere Judici; vel quia iussus noluit se a commissione facinore emendare.

Adverte tamen primo ex Avil. part. 2. cap. 5. disp. 1. dub. 2., & Laym. loc. cit., ad censuram ferendam non requiri inobedientiam, seu contemptum legis formalem; ne dicamus, duplex peccatum committi ab eo, qui facit opus sub censura prohibitum; sed satis esse contemptum interpretativum, & inobedientiam generalem, quæ solet haberi, quoties aliquis transgreditur præcepta fine formaliter contempsu legislatoris.

Adverte secundo, contumaciam dici a verbo, Tumeo; Etenim ea affectus, quasi tumidus factus, jus affernatur, ex leg. *Contumacia ff. de re judicata.* Intervenit autem contumacia, quando aut fit, quod prohibetur, aut non fit, quod præcipitur sub interminatione pœnae. Unde patet, contumaciam non esse quamcumque inobedientiam, seu transgressio nem præcepti Ecclesiastici, sed esse

inobedientiam illam, quæ spernere censeatur Ecclesiam præcipientem simul, & comminante, seu monente.

Adverte tertio, contumaciam aliquid esse Veram; ut quando Judici præcipienti non paretur; Aliquando esse Præsumptam, quando scilicet vel revera non habetur contumacia, vel non constat manifeste, quod adsit, sed præsumitur adesse; puta si delinquens latitet, aut impedit, ne citatio ad ipsum perveniat. Ad valorem censuræ in foro interno requiritur vera contumacia; quia haec culpa deficiente, deficit pena imputata; At ad valorem censuræ in foro externo sufficit contumacia præsumpta, ut docet Filliuc. tract. 1. de censuris cap. 6., alioquin facile contemnerentur censuræ, siquidem posset allegari defectus veræ contumacia.

Infertur ex dictis primo, peccatum contra jus naturale, aut divinum nunquam incurrire censuram, nisi præcedat Ecclesiae præceptum de talibus operibus, quod per transgressionem contemnatur: Quare si sub pena Excommunicationis prohibetur ab Ecclesia furtum, potest excommunicari fur, non ratione furti, sed ratione contumaciae, seu inobedientiae relate ad tale præceptum Ecclesia.

Neque dicas cum Cajet. 2. 2. q. 67. art. 2.; Potest Ecclesia punire peccatum contra jus naturale, aut divinum, puta usuram, adulterium, &c.; ergo etiam propter talia peccata potest ferre censuram. Nam concepsionis antecedente, negatur consequentia; non enim dari potest ab Ecclesia talis pena, quippe quæ dumtaxat propter contumaces instituta est, non propter transgresores divinorum mandatorum.

Infertur secundo, censuram fieri non posse propter peccatum mere præteritum, quod scilicet omnino celavit,

savit, nullamque præsentem contumaciam haber conjunctam; Verbi gratia, propter Sodomiam, aut propter blasphemiam præteritam. Ratio præter dicta est, quia censura non est pura pena, seu vindicta, sed est pena medicinalis ordinata ad Rei correctionem, ac medelam, seu ordinata ad hoc, ut Reus citatus, ac monitus a peccato absistat, vel pro pecato commisso satisfaciat, ut dicitur cit. Cap. Ex Parte, juxta illud 1. ad Corinth. 5. Ut *Spiritus ejus salvus fiat in die Domini*; atqui pena, quæ infligitur propter peccatum mere præteritum est vindicativa, non medicinalis; ergo propter peccatum mere præteritum non potest infligi censura. Quare si feratur Lex, aut statutum, quod sit ipso facto excommunicatus, qui, verbi gratia, furatur in templo, aut qui post furtum intra mensum non satisficerit, non incurrit excommunicationem pro furto commisso in templo, qui illud ante tale statutum commiserit, vel si non possit hic, & nunc obedire Ecclesiæ, & ante mensum satisfacere.

Verum quidem est, posse Ecclesiæ ad bonum regimen aliquid censuræ ferre in delinquentes in puram vindictam; non tamen censuram adequate sumptam, inquantum censura est, ut notat Suar. num. 27.: Verbi gratia, potest Ecclesiæ propter peccatum mere præteritum privare ad tempus Reum humana communicatione, officio, beneficio, celebratione, aut auditione missæ, sumptione Eucharistie, &c., ut constat tum ex usu antiquo Ecclesiæ arcendi ad tempus peccatorum ab Eucharistia, & a Communicatione fideliū, ut habetur in cap. Præsenzi 5. quest. 2.; tum etiam ex usu Ecclesiæ recenti; cum saepè Clerici, qui deliquerunt, etiamsi resipiscant, suspendantur per aliquod tempus ab officio, vel beneficio: Hæc

tamen non sunt censuræ, sed effectus similes effectibus censurarum; non enim deinde tolluntur per absolutiōnem, ut censuræ, sed per lapsum temporis definiti.

Infertur ultimo, censuram infligi non posse sine prævia monitione, & comminatione. Ratio est, quia illi dunitaxat dicuntur contumaces, qui spernunt Ecclesiæ præcipientem simul, & monentem, ac comminatorem. Quare, ut feratur ab homine censura per sententiam specialem proculpa præterita, aut præsente, in qua reus contumaciter persistit, vel pro qua satisfacere iustus recusat, requiritur monitio canonica, & quidem triplex, prout art. seq. explicabimus; Ut incurrit vero censura lata a jure, vel ab homine pro culpa futura, satis est pro monitione ipsa lex, quæ dicat, exempli gratia: Quicumque hoc fecerit, sit ipso facto excommunicatus; Nec requiritur nova monitio, ut excommunicatus declaretur, qui deliquerit, ut habetur in cap. *Reprehensibilis*, de Appellat.; quia lex ipsa admonet, ut merito contumax censatur, qui obedire recusat. Verum tamen est, quod ut iste talis a Judice declaretur in excommunicationem incidisse, requiratur naturali jure citatione, ut possit se defendere, ex Clem. *Pastoralis* 5. ceterum de re judicata. Ita Avil., Suar. disp. 3. sect. 10., Navar. lib. 5. conf. 7.; ubi ait sine citatione, nisi causa omnino notoria sit, declarationem fore nullam. Et in cap. *Pane*, de electione dicitur, quod *Excessus notorius examinatione non indiget*; atque adeo si notorius non sit, citationem requirit.

VI. Dubium tamen est; An quando a jure decreta est excommunicatione sententiæ ferendæ, (verbi gratia, Qui furabitur, excommunicetur) possit Judex procedere ad Censuram infligendam sine prævia monitione, si reus

reus est plene convictus de criminis?

Affirmant Bonac. punct. 9., Sanch. lib. 2. de matr. disp. 24., Avil., Abbas. Sed communius negant cum Laym. cap. 5. Suar. loc. cit. Ratio est, quia in tali casu infligeretur censura ob crimen mere præteritum; nam si reus citatus, & crimen confessus veller ab illo desistere, & Ecclesiæ satisfacere, excommunicari non posset; cum non esset contumax. Immo absolví deberet, si excommunicationem ipso facto incurrisset, ex cap.

*Qua fronte, De appellationibus.*

Et confirmatur a Laym.; quia censura hæc non ferretur a jure, ut patet; quia est ferenda, non latæ sententia; ergo ferretur ab homine; ergo non est satis monitio legis, sed requiritur monitio facta ab homine, ut possit reus censeri contumax saltem ordinarie, & nisi aliud causæ gravitas, seu necessitas postulet.

Hinc recte insert Suar. num. 21., quod non possit sub comminatione censuræ ferenda sententia prohiberi delictum, quod tractum successivum non habet, nec satisfaciendi obligationem parit, ut est blasphemia, sodomia, &c. Ratio est, quia cum lex in tali casu non moneat, sed expectanda sit monitio a Judice, non censetur contumax, qui blasphemat, &c.; nec per monitionem Judicis posset aut desistere a blasphemia præterita, aut satisfacere.

VII. Quæritur quarto; An possit infligi censura pro peccato alieno?

Respondeo cum communi, excommunicationem, cum sit pena inter spirituales gravissima, ferri non posse ob culpas alienas; ut patet ex cap. *Si habes quæst. 3.* & ex D. August. ep. 75. adversus Auxilium Episcopum, qui excommunicaverat filium Capiciani cum conjugi, & tota familia, quæ non peccaverat. Suspen-

sio tamen, & Interdictum ferri possunt ob alienas culpas; saepe enim imponitur Interdictum locale, & suspenditur aliqua Communitas ob delictum unius tantum, puta solus Pralati, etiamsi reliqui sint innocentes; ut patet ex cap. *Si sententia, de Excommunicatione in 6.* idque propter bonum commune, & propter terrorem ejus, qui deliquerit, ut suo loco dicemus.

VIII. Quæritur quinto; quomodo debeat esse voluntarium peccatum, ut censura incurritur?

Respondeo, requiri, ut voluntarium sufficiens sit ad peccatum mortale; Aliquando tamen voluntarium, quod est sufficiens ad peccatum mortale, non satis est ad incurriendam censuram; Sic quando lex dicit: Qui temere hoc fecerit; Qui ausus fuerit; Qui presumperit; Qui scienter, vel ex contemptu hoc egerit, sit ipso facto excommunicatus, non incurritur censura in his casibus per transgressionem præcepti graviter peccaminofam, que oriatur ex negligentia, aut inadvertentia, aut ignorantia graviter culpabili; quandoquidem ex verbis legis requiritur voluntarium directum, & ex certa scientia censuræ. Ita Suar., Avil., & alii apud Bonac. punct. 3.

IX. Quæritur sexto; An peccatum propter quod fertur censura, debeat esse in suo genere completum, ut censura incurritur?

Respondeo affirmative cum Avil., Suar., Sanch. Con. dub. 8. & alii communiter; & habetur in cap. *Perpetuo, de Electione in 6.* ubi dicitur, quod scienter eligentes indigne non incurvant penas constitutas a jure; *Nisi adeo in eo persistenter, quod ex votis eorum communis electio subsequatur.* Et ratio a priori est, quia lex poenalis, utpote odiosa, striete est interpretanda.

Hinc sequitur ex Con., quod qui

co-

conatur Clericum percutere, & ab alio impeditur, excommunicationem incurrat; Et qui vulnerat aliquem lethaliter, donec moriatur vulneratus, non incurrit censuram latam in homicidam; Immo si moriatur, non tamen præcise ex vulnere non lethali, sed ex alia concausa, nec incurrit censura; cum non præcesserit actio lethalis requisita ad censuram latam contra homicidam, ut notat Bonac. loc. cit. Similiter qui, ut obsequatur hæretico, committit actum externum hæresis sine animo hæretico, non incurrit censuram latam in hæreticos: securus vero si censura ferretur in committentes actum externum hæreticalem; Demum qui mittit literas continentis inhonestas ad Moniales, non incurrit excommunicationem latam in hac Dicēsi contra mittentes has literas, nisi literas ad Monialem pervenerint. Et idem dicas de similibus; nisi aliter in lege exprimatur; ut de facto exprimitur in cap. 1<sup>o</sup> de *Homicid.* in 6., ubi excommunicantur mandantes homicidium per Assassinos, etiam effectu non sequito.

X. Quæritur septimo; An censura lata contra facientes aliquid includat etiam consilentes, mandantes, &c.?

Respondeo cum communis negative; nisi aliter exprimatur. Ratio est, quia odia stricte interpretanda sunt. Quod si utrumque prohibetur sub censura, facere simul, & consulere, ut de facto sub excommunicatione prohibetur tam percutere Clericos, quam consulere, seu mandare percussionem; sicuti qui conatur percutere Clericum, re tamen vera non percutit, excommunicationem non incurrit; ita qui percussionem consultit, aut mandat, excommunicationem non incurrit, donec sequatur percussio; ut docent Suar., Valent., Filliuc. & ali apud Bonac. punct. 3. Immo nec illam incurrit mandans, & consulens, etiam si

Pars VIII.

percuſſio sequatur, quando mandatum, vel consilium non influxit in talem percussionem, ut docet idem Bonac. punct. 6.

Ut autem sciatur, quando mandatum, aut consilium non influunt; Notandum primo, quod si mandatum revocetur, & revocatio perveniat ad mandatarium, tunc mandatum non censetur amplius in effectum influere; unde si mandatarius percutiat in tali casu Clericum, non percutit vi, & efficacia mandantis. Hoc tamen non militat in consilio; nam etiam si consilium revocetur, adhuc post revocationem influit in effectum, si rationes adductæ subsistant, ac moveant ad talēm percussionem.

Notandum itaque secundo, quod si quis ductus pœnitentia consilii dati revocet illud, quantum est in se, quamvis consilium in effectum influat, non per hoc incurrit censura, ut docent Pal. disp. 1. dub. 7., Hurt. difficult. 15., Tabien., & alii ex Innoc. in cap. *Mulieres, de Sententia Excommunicationis.* Et ratio est, quia quando sequitur effectus, seu percussio Clerici, tunc qui dedit consilium, aut mandatum, quod, quantum potuit, revocavit, vere est pœnitens, atque adeo non est contumax, nec inobediens Ecclesiæ; ergo in excommunicationem incurrire non potest: Esto irregularitatem incurret, si sequeretur homicidium: cum ad irregularitatem incurrendam non requiratur contumacia. Et idem dicas ex Hurt. loc. cit. si quis propinet venenum Clerico, & ante mortem illius veram pœnitentiam habeat; hic enim excommunicationem non incurrit, quando moritur Clericus, ex defectu contumacia, incurrit tamen irregularitatem.

Notandum tertio, quod quando spectatis omnibus dubitat quis, an suo mandato, vel consilio influxerit in percussionem Clerici, neque in tali

D ca-

casu excommunicationem incurrit, juxta sententiam Filliucci, Rebelli, Nav. apud Bard. disp. 6. de conscientia dubia §. 13. (nisi præsumptio stet contra mandantem, & consulentem; quia in dubio excommunicatio non incurritur; Secus dicendum de irregularitate, si sequatur homicidium, quia in jure exprimitur, quod irregularitas etiam in dubio homicidii incurritur.

Oppones cum Sylvest. V. Excommunicario, & Rosel., est hæc regula juris in 6., *Qui per alium facit, per se ipsum facere videtur.* Unde etiam de Pilato, qui solum mandavit, apprehendi Christum Dominum, & flagellari, dicitur Joan. 19. *Apprehendit Pilatus Jesum, & flagellavit;* ergo quando fertur censura in facientes aliquid, incurritur pariter a mandante, & consulente, quamvis id in jure non exprimatur.

Confirmatur, quia de facto in cap. *Mulieres, de sententia excommunicationis in 6.* habetur, eos, quorum auctoritate, aut mandato alii injiciunt manus violentas in Clericum, esse excommunicatos excommunicatione lata ab Innoc. II. in can. *Si quis suadente Diabolo;* quæ tamen prædicti canonis excommunicatio solum fertur in facientes, seu in percutientes Clericum, nulla facta mentione mandantis, seu consulentis; ergo universum sicut faciens, ita mandans, aut consulens incurrint censuram.

Respondeo, nunquam qui consult aliquid, dicitur ullo pacto facere illud; Et quamvis qui aliquid mandat, aliquando æquiparetur facienti, juxta regulam adductam, *Qui per alium facit, per se ipsum facere videtur;* at in penalibus mandans non æquiparatur facienti, quia odia stricte interpretanda.

Ad confirmationem dico, ex vi Canonis, *Si quis suadente Diabolo,*

non esse excommunicatos mandantes percussionem Clericorum, cum de iis Canon non loquatur; esse tamen excommunicatos ex vi alterius Capitis *Mulieres in 6.* ubi extenditur eadem excommunicatio in mandantes talem percussionem; Sicut etiam in cap. *Quanta, de sententia excommunicationis,* extenditur ad non impedientes, quando tenentur impedit. Hinc reservatio facta a Clem. VII. illorum sex casuum, quibus nequeant Mendicantes intra Italiam extra Urbem absolvere, cum solum loquatur de percussore Clerici, non includit mandantes percussionem, aut illam non impedientes, quando ex officio ad id tenentur.

#### ARTICULUS V.

De forma, seu rito in Censuris ferendis.

- I. *Ad censuram incurriendam præquiritur contumacia, qua haberi non posset sine prævia monitione.* Hac autem duplex est, Canonica, & non Canonica. Vim habet monitionis non Canonica lex prohibet aliquid sub Censura sententia late, non vero ferenda.
- II. *Ut quis declaretur excommunicatus, præquiritur citatio Rei, ut possit se defendere, nisi delictum sit mortuum.*
- III. *Plura requiruntur, ut quis excommunicetur.* Si nulla monitio præcedat, Censura, qua inflatur, est invalida: Est vero injusta, si non præcedat monitio Canonica, saltem virtualiter tria. *Quid si Reus non inveniatur?* *Quid si censura feratur die festivo?* *Quid si non feratur scripto?*
- IV. *Ad formam substantialem Censura plura spectant; videlicet Monitio, Citatio Rei, & quod signis exter-*  
nis

*vis exprimatur tum censura, tum persona determinata, necnon tempus præsens.*

V. Sub quanam conditione possit valide censura ferri? Et quandonam possit suspensi effectus Censura?

VI. Quid requiratur, ut Appellatio suspendens effectus Censura sit legi-  
uma? Quandonam appellatio im-  
pedit sententiam declaratoriam  
Censura incurse?

VII. Ad accidentalem formam Censura plura etiam spectant; præsertim iri-  
na monitio, Scriptura, denunciatio.  
Aliquando non tenetur per acci-  
dens Superior censuram denuncia-  
re, seu publicare. A quonam Ju-  
dice denunciatio isthac fieri debeat,  
aut possit? Ante denunciationem  
prære debet sententia declaratoria  
Criminis, & citatio partis, si  
crimen non sit notorium, & inex-  
cusabile.

I. Duximus art. super., quod, ut  
possit infligi in aliquem cen-  
sura, prærequiratur contumacia, seu  
inobedientia Ecclesiæ præcipiens sim-  
ul, & monentis; ita ut si quis so-  
lum transgrediatur præceptum Eccle-  
siæ sine ulla prævia monitione, con-  
tumax dici non possit, nec capax  
excommunicationis; Quod etiam deducitur ex Cap. Nemo Episcorum 2.  
q[uo]d est 3. ubi habetur, non debere quempiam excommunicari, nisi quia  
aliter non potuerit corrigi; qui autem per Ecclesiam nondum est monitus,  
præsumitur per monitionem Ecclesiæ  
corrigi potuisse; ergo nisi præcedat  
Ecclesiæ monitio, Censura infligi non  
potest.

Duplex autem datur monitio; al-  
tera dicitur Canonica; altera non ca-  
nonica. Monitio non canonica est  
ipsum præceptum juris, vel hominis  
sive generaliter, sive in particulari a-  
liquid præcipiens, vel prohibens sub-

pœna censuræ sive latæ, sive ferendæ  
sententiæ. Monitio vero canonica est  
monitio juxta sacros canones institu-  
ta, quæ auctoritate Judicis fit ipsi Reo  
personaliter coram testibus in scriptis,  
ut a culpa, quæ explicatur in moni-  
tione, resipiscat. Hæc autem canonica  
admonitio esse debet vel tria for-  
maliter, vel virtualiter, seu una pro  
tribus, dato pro singulis sufficienti  
temporis spatio ad deliberaendum, di-  
cendo, verbi gratia, Moneo te semel  
pro tribus vicibus, ut intra tres heb-  
domadas hoc, vel illud facias, con-  
cedendo tibi singulas hebdomadas pro  
singulis monitionibus; de qua moni-  
tione canonica inferius plurima dubia  
solvemus. Interim dicimus, certum  
esse apud Doctores requiri aliquam  
monitionem saltem non canonicanam,  
ut censura incurritur. Certum pariter  
est, quod lex prohibens aliquid sub  
pœna censuræ ipso facto incur-  
rendæ vim habeat monitionis non ca-  
nonicæ; ac proinde talis lex sufficit,  
ut patrato criminis prohibito statim  
censura incurritur, nec requiratur nisi  
citatio Rei ad defensionem, ut de-  
claretur in censuram incurisse; nisi  
delictum ita sit notorium, ut nulla ter-  
giversatione celari possit, unde cita-  
tio sit superflua.

Dubium vero est apud Doctores;  
an lex prohibens aliquid sub censura  
ferenda sententiæ habeat vim moni-  
tionis non canonica? Et nos art. su-  
per. diximus cum Suar., Pal., & com-  
muniori sententia contra Sanch., &  
Filliuc., non habere hanc vim; unde,  
ut censura incurritur propter talen  
legem, prærequiritur nova monitio  
canonica, ac deinde inflictio cen-  
surae.

II. Quæritur nunc primo; Quid re-  
quiratur, ut aliquis declaretur excom-  
municatus, vel alia censura irretitus?

Respondeo ex dictis requiri primo  
ut commiserit delictum prohibitum sub-

D 2 pœ-

pœna excommunicationis ipso facto incurrēdā : Secundo , ut si delictum non sit notorium, præmittatur citatio Rei, qui possit se defendere, & si convincatur , sequatur sententia declaratoria criminis; aliter invalida est tam sententia declaratoria, quam ipsa denunciatio censuræ, ex illo principio juris generali, *Contra inauditam partem* zibil potest in iudicio definiri. Quod si delictum sit notorium, potest omitti citatio, ex Suar. disp. 3. sect. 10., & Leand. quæst. 2. Tertio requiritur, ut reum sui criminis non pœnituerit; si enim ostenderit signa pœnitentiae, absolutionem petierit, & satisfactionem debitam exhibuerit, non est denuncianus excommunicatus, sed ab excommunicatione absolvendus, ex Cap. *Qua fronte, de Appellat.*; quia censura finis jam est obtentus, videlicet emendatio Rei.

III. Quæritur secundo ; Quid requiratur, ut aliquis excommunicetur, suspendatur, &c.?

Respondeo, requiri primo, ut commiserit delictum prohibitum sub pœna excommunicationis ferenda sententiæ. Secundo, ut præmittatur monitio canonica supra explicata: Nec satis esse solam citationem, etiamsi crimen sit notorium, diximus cum communiori sententia apud Leand. quæst. 26.. Tertio , ut elapsò tempore a monitionibus præstituto adhuc in inobedientia persistat; tunc enim potest excommunicari, suspendi, inter dici.

Diximus tamen, monitionem canoniam debere esse trinam vel formaliter, vel saltē virtualiter, hoc est unam pro tribus , assignato pro singulis aliquorum dierum intervallo, ut habetur in Cap. *Constitutionem, de Sententia excommunicationis in 6.* unde ex Suar. sufficit, ut iudex constituat sex dies, explicando, quod binos dies concedat pro singulis monitionibus . Quod si periculum est in mora, pos-

sunt pro singulis monitionibus assignari singula horæ, vel singuli quadrantes, vel minus , spectata necessitate, ut videre est apud Leand. quæst. 28., & Laym.

In eodem etiam Cap. dicitur, quod urgente necessitate satis sit una tantum monitio ; sicut etiam si delinquens ad primam admonitionem apparet incorrigibilis , tunc secunda, & tertia admonitio, tamquam superflua, possunt omitti.

Dubitatur hic primo; invalida ne sit, an solum iusta, & illicita censura, quæ feratur pro peccato præterito si ne ulla prævia monitione?

Respondeo, Vasq. , Avil. , & alios communiter docere esse invalidam; cum de essentia censuræ videatur esse aliqua monitio , ex illo Christi Domini : *Si Ecclesiam non audierit, si tibi tamquam Ethnicus.* At Cajet. , Cor-dub. , & plurimi Canonista apud Filiiuc. , & Leand. quæst. 8. putant, esse tantum illicitam , non invalidam; præterquam in casibus a jure exprefsis , qui sunt duo; Primus, si feratur excommunicatione contra participantes cum excommunicatis ab eodem iudice; Nam in Cap. *Statuimus, de Sententia excommunicationis in 6.* permititur, hoc fieri solum prævia canonica monitione; unde si monitio omittatur, censura est nulla; Secundus casus est , si iudex accipiat jurisdictionem ferendi censuram sub hac conditione expressa, quod præcedat monitio, ut habetur in Cap. *Cum expressa, de Prescript.* Ratio autem , quare reliquæ censuræ latæ sine prævia monitione propter peccatum præteritum non sint invalidæ, videtur esse quia Alex. III. in Cap. *Romana, de Sententia excommunicationis in 6.* vocat eas iustas, non irritas . Quare illa verba Christi Domini , *Si Ecclesiam non audierit, &c.* videntur intelligenda aut de correctione fraterna , aut de

de potestate ordinaria Ecclesiae, quae non possit sine prævia monitione ferre censuras, non vero de potestate extraordinaria, seu de plenitudine potestatis.

Arridet mihi communis sententia, quæ docet, esse invalidam censuram, si nulla monitio præcedat; Esse vero iustitiam, ut dixit Alex. HI. citatus, si non præcedat monitio canonica triana vel formaliter, vel virtualiter: Ex quo infert Leand. quæst. 18., quod stando in jure communi judex peccaret mortaliter, & incurriter suspensionem ab ingressu Ecclesie latam ab Innoc. HI. Cap. Sacro, de Sententia excommunicationis in 6., si hanc trianam monitionem omittet. Advertendum tamen, poenam hanc suspensionis, aut interdicti, nisi de ipsis expressa mentio fiat, non incurri ab Episcopo omittente trianam monitionem, quia in Cap. Quia periculosem, eodem titul. dicitur, quod Episcopi non comprehenduntur in sententia generali suspensionis.

Dubitatur secundo; cuinam facienda sit monitio, si reus ita se abscondat, ut nequeat inveniri?

Respondeo, debere in tali casu affigi monitionem domui ipsius, vel alteri loco publico, unde ad ejus notitiam pervenire possit; videlicet ad valvas Ecclesie matricis, vel in platea, vel in tribunali: Quod si reus per vim impedit, ne id fiat in sua civitate, aut provincia, satis est si fiat in loco viciniori: Et post publicationem hanc præsumitur in foro externo deveniente monitionem in notitiam Rei, nisi contrarium probetur. Adverte tamen, monitionem debere aut tradi reo, aut affigi secundum ordinem juris, id est non solum nomine Judicis, qui latus est censuram, sed etiam coram idoneis testibus, ex Suar. disp. 3. se st. 2., & aliis communiter, & fieri debet ejusmodi monitio sub

comminatione censuræ.

Dubitatur tertio; an possit ferri censura die festivo?

Respondeo, denunciationem censuræ frequenter fieri die festivo, dummodo præcesserit cognitio causæ; quia sic in plurim notitiam devenire potest: At censura non solet ferri die festivo; quia, ut rite feratur, plerumque requirit cognitionem causæ, a qua abstinentum est die feriato, ex Cap. final. de Feriis. Si tamen die festivo feratur censura, non est invalida, ut docent Suar., & alii communiter, contra Leand. quæst. 28. disp. 7.

Dubitatur quarto; Sitne invalida censura, quæ verbo dumtaxat feratur, non scripto continente causam censuræ?

Respondeo, Sayr. putare esse invalidam; quia in Cap. final. de sententia, & re judicata exigitur necessario scriptura. Sed Layni. part. I. cap. 6., Avil., Pal., & alii communiter putant, esse tantum illicitam; quia jus exigens scripturam non irritat censuram aliter latam. Quod dicitur in Cap. final. adducto a Sayr. intelligendum est de sententia punitiva criminis, & decisiva litis, non vero de sententia ferente censuram, quæ non tam ad puniendum, quam ad corrigendum, & præcavendum delictum infligitur.

Peccat tamen mortaliter Judex, & incurrit suspensionem ab ingressu Ecclesie per mensem, si censuram ferat aut solo verbo, aut sine expressione causæ, aut si parti petenti exemplar talis scripturæ non concederet illud intra mensem. Ita Bonac. punct. 8., Avil., Con.. Ratio est, quia peccat contra jus in materia gravi, quod idcirco talem scripturam exigit, ne Judex in ferenda censura sit præceps; & ut ligatus censura possit ad superiorem appellare, qui non posset facile judicare, nisi per scripturam nota esset causa censuræ.

Ab

Ab hac poena suspensionis eximuntur Primo Episcopi, qui censuram ferrent solo verbo, propter rationem supra adductam, videlicet, quia de Episcopis in textu laudato expressa mentione non sit. Secundo, qui non excommunicant, sed tantum denunciant excommunicatum. Tertio, si propter urgenterem, & justam causam Judex ferret censuram sine scriptura; quia scilicet aliter fieri non posset. Quarto, qui bona fide hoc facit, & ex inadvertentia. Quinto demum ex Henr., & Sayr. contra Navar., & Ugolin., si sit Praelatus regulatis, ex privilegio Leon. X. apud Leand. disp. 6. quest.

17.

IV. Quæritur tertio; Quānam pertineant ad formam substantialem censuræ, seu ad ejus valorem? Quānam vero ad formam accidentalem?

Respondeo. Ad formam substantialem censuræ ea pertinere, sine quibus censura est nulla; Ea vero ad formam accidentalem pertinent, qua iure positivo ad censuræ solemnitatem spectant; ita ut sine iis adhuc censura sit valida, quamvis illicita. Agimus nunc de forma substanciali, postmodum de accidentalī.

Primo itaque ad formam substancialē spectat, ut censuram præcat aliqua monitio vel non canonica, vel canonica. Quod autem monitio canonica sit tria, non spectat ad valorem, seu ad formam substancialē censuræ, sed ad accidentalem. Secundo, ut ante sententiam præcedat citationis partis; quamvis ipsa monitio canonica, quando præcedit, habeat vim citationis. Tertio, ut censura non per folam internam voluntatem Judicis, sed per signa exteriora feratur, sive ea sint verba, sive scripture, &c.

Quarto, ut verba, seu alia signa experimentia censuram exprimant censuram determinatam; si enim Judex dicat, *Qui hoc fecerit, sit censura*

*ligatus, nullam censuram determinando, nulla censura incurritur a reo; quia illa verba sunt indifferentia ad excommunicationem, vel suspensio nem, vel interdictum; & nisi determininentur ad unam potius, quam ad aliam censuram, nihil efficiunt. Nec ulla censura incurritur, si Judex dicat, Qui hoc fecerit, sit suspensus; quia pariter multiplex datur suspensio, videlicet ab officio, beneficio, & ab uno que: (Avila tamen 3. p. disp. 2: ex Sp. & Henr. docet suspensum abloire esse illimitate suspensum, videlicet ab Ordine, ab Officio, & a Beneficio) Et eadem est ratio de interdicto, quod etiam dividitur in locale, & personale; Secus vero, si Judex dicat, Qui hoc fecerit, sit excommunicatus; quia quamvis excommunicatio dividatur in majorem, & minorem, antonomastice tamen excommunicatio sumitur pro excommunicatione majori. Adde, Ugolin., Henr., & alios apud Bonac. punct. 7. putare, quod si feratur vel excommunicatio, vel suspensio sub disjunctione, nulla censura incurritur, cum non sit major ratio de una, quam de alia. Verum Bonac. cum Suar., & Filliuc. putant in tali casu incurri unam censuram ad libitum poenitentis, vel si nullam eligat, utramque incurri, aut faltem neglecta una, teneri illico servare alteram.*

*Quinto, sicut verba debent exprimere censuram determinatam, ita pariter debent personam determinatam exprimere, verbi gratia, Petrum, vel saltem relate ad delictum, aut aliud munus determinatum, puta, latrones, Parochos, &c. Quare ex Bonac., Suar., & aliis, si superior dicat, Excommunicato unum ex illis duobus, qui furati sunt, neuter est excommunicatus.*

*Demum verba debent etiam exprimere tempus praesens; unde non incurritur excommunicatio, si dicat Su-*

pe.

perior, Excommunicabo Petrum.

V. Quæritur quarto; Possitne valide ferri censura sub conditione?

Respondeo, posse censuram non solum valide, sed etiam licite ferri sub conditione pertinente ad causam, sive sit de præsenti conditio, sive de præterito, sive de futuro; Verbi gratia, si quis hoc fecerit, vel nisi intra mensem satisfecerit pro furto, sit ipso facto excommunicatus. Poteſt etiam valide, quamvis illicite, ferri sub conditione de præsenti, seu de præterito impertinente; Verbi gratia, si Turca dormit, si fulmen cecidit; nam in his casibus cum conditio actu extet, non suspenditur effectus censuræ. Verum invalida est censura sub conditione de futuro, quæ non pertineat ad causam; Verbi gratia, si cras pluet. Ratio est, quia hujusmodi censura continet intolerabilem errorem; ergo est invalida. Consequentia sequitur ex Cap. Per tuas, & cap. Solet, de Sententia excommunicationis in 6. Antecedens probatur, quia, ut optime Ugolin., & Suar., est intolerabilis abusus spiritualis potestatis velle, quod effectus dependeat a futuro eventu impertinente: quare ad formam etiam substantiali censuræ spectat, ut non feratur sub conditione de futuro, quæ ad causam non pertineat.

Petes hic; An, & quomodo suspen-di possint effectus censuræ latæ sub conditione de futuro ad causam per-tinente?

Respondeo, quando fertur censura sub conditione de futuro ad causam pertinente, ut si dicatur, Nisi intra mensem fur satisfecerit, sit excommunicatus, hac conditione pendente pos-sunt suspensi effectus censuræ, ita ut purificata conditione censura non incurritur; Primo quidem per appellatio-nem legitime factam, antequam im-pleatur conditio, ut patet ex Cap. Præterea. Secundo, ut notat Paludan.,

per alias causas æquivalentes appella-tionis; ut si quis non potens, aut ne-sciens appellare committat se protec-tioni Sedis Apostolicæ, ex Cap. Ad audi-entiam, de Appellar. ; vel si ad Se-dem Apostolicam iter arripiat, ex Cap. Dilecti filii, ibidem; vel demum si Superior, vel Papa causam ad se a-vocet tollendo inferiori jurisdictionem; Tertio, per voluntatem ejus, in cu-jus favorem censura lata est; Quare si ad instantiam creditoris præcipia-tur sub censura, ut intra mensem fiat restitu-tio, & creditor velit tempus hoc prorogari, suspenduntur effectus ex-communicationis. Etenim sicuti ces-sante causa excommunicationis, ces-sat excommunicatio; ita suspensa, vel prorogata causa excommunicationis, ipsa etiam suspendetur, aut proroga-bitur. Si tamen post terminum pro-rogatum conditio impleatur, hoc est debitor non restituat, probabilius est, statim incurri censuram absque novo consensu Judicis, ut docent Leand-quæst. 2. disp. 4. Suar., & alii contra Navar., Ugolin., Sylvestr., quia vo-luntas illa Judicis moraliter perseve-rat.

VI. Rogabis ulterius; Quid requi-ratur, ut appellatio sit legitima?

Respondeo, primo requiri, ut cau-sa sit probabilis, non frivola, & ad litis dilationem. Secundo, ut fiat, antequam conditio impleatur, ex Cap. Præterea 2. de Appellar. apud Bonac. quæst. 3. punct. 3. : Idemque docent Suar. lect. 6., Navar., Covarr., & a-lii contra Abbat., & Ugolin., qui re-quirunt, ut fiat intra decem dies, ex Cap. Quoad consultationem, de Sen-tentia, & re judicata: Propterea docet Suar., priorem sententiam, quod ap-pellatio fiat, antequam conditio im-pleatur, esse tutam in conscientia, & posse pro illa Judices judicare in fo-ro exteriori; quia textus adductus ab Abbat. non loquitur de censuris; ve-rum

rum sententia Abbat., quod appellatio fiat intra decem dies, aptior est ad lites dirimendas.

Advertendum tamen primo, quod impleta conditione, quamvis a censura conditionata non possit amplius appellari quoad effectum suspensivum, cum vere talis censura sit executioni mandata, nec possit nisi per absolutionem tolli; At potest ab ea appellari quoad effectum devolutivum, seu ita ut remaneat reus excommunicatus, sed devolvatur iurisdictio ad superiorem, ut docent communiter Doctores, ex cap. *Pastoralis* cum Suar. loc. cit.; ubi dicit, oppositum sententes graviter in hac parte errasse.

Advertendum secundo, quod ante denunciationem appellari possit a sententia declaratoria censuræ incurse, ita ut post talem appellationem denunciatio fieri non possit ab eodem Judice, ut notavit Filliuc. ex Navar., & Covarr. Verum hoc militat, quando fertur censura a jure, vel quando denunciari debet a delegato, & quando factum non est notorium; Etenim quando factum est notorium, & quando censura fertur ab homine, & denunciari debet a Judice ordinario, si post sententiam declaratoriam criminis interponatur appellatio, adhuc Judex ordinarius procedere potest ad denunciationem; quia cum jam sententia sit lata a proprio Judice, non potest deinde impediri ejus effectus, videlicet denunciatio. Ita Leand. quæst. 12., Suar., & alii contra Sanchez., & Navar., qui putant nullo pacto posse denunciari.

VII. Quaritur ultimo; Quotuplex sit forma accidentalis in ferenda censura?

Respondeo, esse triplicem, videlicet Antecedentem, Comitantem, & Consequentem. Pertinet ad formam accidentalem antecedentem tria monitio supra explicata: Ad Comitan-

tem pertinent illæ circumstantia engemeratæ, videlicet quod feratur scripto continente causam censuræ, quod tradatur exemplum parti illud petenti, quod non feratur nisi die feriato, &c. Ad Consequentem demum pertinet ipsa denuntiatio, seu publicatio censuræ: Quod ideo fieri debet, ut ipsis excommunicatis ubique occulatur aditus Ecclesiasticus, & ut exclusionis causa omnibus auferatur, ex Cap. Cœr. sit quæst. 3.

Dubium tamen est; Utrum ex precepto denunciatio censuræ fieri debet a Superiori, an vero possit illam pro arbitrio omittere?

Respondeo, de denunciatione Suspensionis, & Interdicti nullum extare sufficiens præceptum; unde tunc solum obligatur Judex ad talium censurarum denunciationem, quando delicti gravitas, & Rei contumacia requirit illam; necnon in casibus a jure expressis. De excommunicatione vero extat, per se loquendo, præceptum denunciationis in laud. Cap. *Cœr.* si; quamvis modus denunciandi ibi præscriptus non cadat sub præceptum, sed satis sit juxta consuetum loci morem facere denunciationem, videlicet publicando censuram in Ecclesiis, demde in scriptis præ foribus Ecclesiis, aliisque publicis locis cum expressione causæ; In solemini vero anathemate, ut narrat Gratian. apud Leand. quæst. 22. circumstant Episcopum duodecim Sacerdotes nigris vestibus induiti, & lucernas tenent ardentes in manibus, quas in conclusione excommunicationis projiciunt, & pedibus conculcant, aliæque cærenomia ibi adiungunt ad terrorem Rei.

Advertendum tamen, aliquando Judicem per accidens non obligari ad faciendam denunciationem excommunicationis, si videlicet aut scandalum sequatur, aut periculum alicuius damni ex denunciatione immineat. Quan-

Quando vero bonum privatum , vel  
commune talem denunciationem po-  
stulat , ad illam tenetur ; sicuti etiam  
quando pars instat , ut communiter  
docent apud Leand. disp. 7 quæst. 15.  
P. hinc uterius : A quoniam Ju-

Dubitatur ulterius; A quoniam iudice facienda sit denunciatio Censura?

Respondeo cum communi contra  
Ugolin., & Geminian., denunciatio-  
nem censuræ in delictis omnino cer-  
tis, & notoriis fieri debere ab ha-  
bente ad hoc potestatem ordinariam,  
vel delegatam ; cum denunciatio sit  
actus executivus censuræ pertinens ad  
potestatem correctivam : Quare si cen-  
sura lata fuit ab homine vel per sen-  
tentiam particularem , vel per statu-  
tum , denunciatio primo , & per se  
fieri debet ab ipso , ( cum ad ipsum  
pertineat exequi sententiam suam) dein-  
de ab aliis Episcopis , vel Pastoribus ,  
si fuerint ab ipso requisiti , ex Glossa .  
Quod si censura lata sit a jure com-  
muni , tunc denunciatio non solum fieri  
potest ab Episcopo illius Dicecensis ,  
ubi patratum est delictum , ut do-  
cent Suar. , Bonac. , & alii cum Leand.  
quæst. 6. , eo quod ratione delicti ibi  
commissi Reus factus sit quoad hoc  
subditus ; sed etiam fieri potest a pro-  
prio Ordinario ipsius delinquentis ;  
ut iidem docent contra Filluc. , Cor-  
nejum , & Alter.

Advertendum denique, quod supra innuimus, videlicet ante denunciationem præcedere debere sententiam declaratoriam criminis, ratione cuius lata fuit censura. Ita communiter Doctores contra Panormit., & Felin., qui putant hoc non requiri, quando crimen est ita notum, ut nullam habeat excusationem, nec ulla possit tergiversatione celari; quod tamen raro accidit, siquidem vix fieri potest, ut crimen quocumque sit omnino inexcusabile: Quoniam vero sententia declaratoria criminis est actus judicialis,

debet consequenter illam præcedere  
citatio Rei , ut declaratio fieri possit  
cum cognitione causæ ; jure enim na-  
turali conceditur unicuique copia de-  
fensionis , antequam damnetur . Quod  
si citatio non præcedat , sententia non  
solum est injusta , sed etiam invalida ,  
ut ipsemet Pontifex testatur Cap . I.  
de Causa possessionis , & proprietatis di-  
cens : Nec nos contra inauditam par-  
tem possumus aliquid definire . Ita et-  
iam communiter Doctores , qui pa-  
riter docent , quod si Reus citatus sta-  
tim compareat , crimen fateatur , &  
satisfactionem offerat , non possit juste  
denunciari , sed debeat absolviri , ut no-  
tat Leand . quæst . 10. , & Suar . disp .  
3. sect . 10. , quandoquidem pœna me-  
dicinalis , reo correcto , non debet  
amplius perseverare ; & multo minus  
debet augeri per denunciationem .  
per quam & ab aliis vitandus est .  
& coram aliis infamatur .

## ARTICULUS VI.

Quenam excusent ab incurrenda  
Censura?

- I. Septem de causis excusari alignis potest ab incurrenda Censura.
  - II. Potest censura esse nulla ex quadruplici capite. Multipliciter etiam potest esse nulla sententia censura.
  - III. Quenam iustitia cause reddat nullam sententiam censura? Quid si appellatio, quam putas legitimam, a Judice ut frivola repellatur?
  - IV. Quandonam innocens tenetur ad vietandum scandalum se gerere us excommunicatum? Et quando tenetur obtemperare judici sub censura aliquid praeципienti? Probabilius solum tenetur peccatum, & scandalum vitare.
  - V. Num possit iudex ad instantiam partis excommunicare aliquem secundum

E *dm*

- dum allegata , & probata Reum , si de illius innocentia certam habeat scientiam privatam ?
- VI. Quanam impotentia excusat ab incurrienda censura ? Qui culpabiliter redditur impotens ponere , quod sub censura præcipitur , ab ea non excusat .
- VII. Ignorantia invincibilis sive juris Ecclesiastici , sive facti , sive pœna excusat ab incursu censura ; sive ignorantia sit antecedens , sive concomitans . Num etiam excusat ab incurrienda Irregularitate ? Ignorantia vincibilis quando excusat ?
- VIII. In dubio sive juris , sive facti regulariter a censura excusaris .
- IX. Metus gravis excusat a censura , etiam si hæc feratur pro crimen prohibito lege naturali , nisi in contemptu censura metus inuteretur .

I. **S**epem causas ab incursu censuræ excusantes enumerat Escobar in summa cap. 6. ; Primo censuræ nullitatem ; Secundo injustitiam cause ; Tertio hominis innocentiam ; Quarto ignorantiam ; Quinto impotentiam ; & ad ignorantiam reducitur dubium , seu incertitudo sive juris , sive facti ; Sexto metum ; Septimo necessitatem . De singulis hic agendum .

II. Quæritur itaque primo ; quandonam censura sit nulla ?

Respondeo , Ex quadruplici capite oriri posse censuræ nullitatem . Primo , si nulla sit lex , ob cuius transgressiōnem fertur censura ; Secundo , si data validitate legis , ipsa censuræ sententia sit nulla ; Tertio , si data validitate legis , & sententia , interponatur legitima appellatio ; Quarto , si interponatur consensus partis , in cuius favorem fertur censura .

Primo itaque nulla est sententia censuræ , seu ipsa censura , si nulla sit lex ; Accessorium enim sequitur na-

turam principalis . Lex autem multipliciter potest esse nulla . Primo , ex defectu jurisdictionis , seu potestatis in legislatore : Secundo , ex defectu rei præceptæ ; nam si hæc sit manifeste aut turpis , aut communis bono contraria , aut undeque levis , tam secundum se , quam relate ad finem , lex illam præcipiens sub gravi est nulla ; Quamvis si res præcepta secundum se sit levis , sed relate ad finem sit gravis , lex , & censura illi annexa sunt valida ; puta , si sub excommunicatione præcipiat , ut uniusquisque restituat modicum , quod furatus est ab illo , qui propter plurima modica furtæ incidit in miseriā : Tertio , ex cessatione finis , aut totalis , aut præcipui ipsius legis ; cessante enim tali fine cessat lex : Quarto demum , ex defectu sufficientis promulgationis , & acceptationis .

Deinde nulla est censura , atque adeo non incurritur , si nulla sit ipsa sententia censuræ , quæ pariter potest esse multipliciter nulla . Primo quidem , ex defectu justitia , ut mox explicabimus quæsit . sequent . Secundo , ex defectu jurisdictionis in ferente sententiam , vel quia non est Superior , vel quia non est judex competens , vel quia excommunicatus , aut suspensus nominatim denunciatus , vel quia extra suam Dioecesim existit , extra quam subditum suum excommunicare non potest , vel quia sententiam tult post interpositam legitimam appellationem , vel demum quia sententiam tult post consensum partis , in cuius favorem fertur censura , juxta ea , quæ diximus art . super . quæsit . quarto .

III. Quæritur secundo ; Quandonam injustitia cause excusat ab incurrienda censura ?

Respondeo , censuram non incurrit ex injustitia cause , quando forma iudicii in ea forenda non servatur , & quando injuria irrogatur reo . Potest au-

autem sententia censuræ esse nulla ;  
Primo, ex defectu justitiae legalis, vi-  
delicet, quia non est servatus in ea  
juris ordo, seu forma substantialis,  
ad quam spectat monitio, citatio par-  
tis, & alia, quæ diximus art. super.  
Quod si sententia sit injusta per de-  
fectum ordinis juris accidentalis, non  
per hoc est invalida ; Verbi gratia,  
quia monitio non fuit tria, quia cen-  
sura non lata scripto cum inserta cau-  
sa, &c. & in hoc sensu S. Gregorius  
dixit, *Sententia Pastoris sive justa, si-  
ve injusta timenda est*; Quod refertur  
a Gratian. 2. quæst. 3. cap. 1. Est  
enim timenda, quia valida, si deficiat  
in accidentaliter ordine juris. Secundo,  
sententia est nulla ex defectu justitiae  
commutativa; quia videlicet fertur  
cum injurya Rei; vel quia non citatus  
damnatur; vel quia sine causa legitima,  
& proportionata, quæ censuram  
mereatur; vel quia per delictum non  
sufficienter probatum in foro externo.

Ubi adverte, quod si censura sit in  
foro interno invalida ex defectu cul-  
pa commissæ, potest esse valida in  
foro externo, si culpa sit juridice pro-  
bata; & ideo ad vitandum scandalum  
servanda est in foro exteriori. Quod  
si violetur, non incurritur irregulari-  
tas, ex Suat. num. 19.; quia vere cen-  
sura non violatur; cum in foro inter-  
no non habeatur censura. Quamvis  
etiam in tali casu violator censuræ  
debeat se gerere ut irregularem, ad  
vitandum scandalum, & ut talis in  
judicio damnari potest.

Adverte ulterius, quod si interponas  
appellationem, quam putas legiti-  
mam, & Judex repellat illam ut  
frivolam, & te excommunicet, non  
es excommunicatus in foro interno;  
sed pro foro externo debes te gera-  
re ut excommunicatum, donec Judex  
appellationis declareret, illam appella-  
tionem fuisse legitimam. Ita Laym.  
part. 2. cap. 2., Avil. part. 2. cap. 5.

disp. 5. dub. 12., Pal., & alii com-  
muniter.

IV. Quæritur tertio ; Quando In-  
nocentia excusat a censura incurrenda?

Respondeo, Tripliciter aliquem pos-  
se esse innocentem, Primo, in utroque  
foro interno, & externo, seu coram  
Deo, & hominibus. Secundo, tantum  
in foro externo, seu coram homini-  
bus, quamvis coram Deo sit nocens.  
Tertio, tantum in foro interno, cum  
in foro externo probetur nocens.

Qui primo modo est innocens, vi-  
delicet in foro externo simul, & in-  
terno, quamvis aliquando possit inter-  
dicto comprehendendi, non potest ta-  
men directe ulla censura ligari; ad-  
eoque si excommunicetur, excommu-  
nicatio nulla est, nec timenda, ut  
communiter docent Doctores apud  
Pal. disp. 13. punct. 8.; quia videlicet  
talis censura continet errorem intole-  
rabilem, quod scilicet arbitrio Judi-  
cis ea posit in fungi sine merito cau-  
sa.

Qui vero innocens est secundo mo-  
do, videlicet in foro tautum externo,  
neque potest directe, & nominatim  
censura ligari, quamvis Judex priva-  
tim sciat ejus culpam. Ratio est, quia  
sententia ferens censuram est actus ju-  
dicis publici, & forensis; unde nisi  
culpa probetur in foro externo, sen-  
tentia est nulla; Ita communiter cum  
Navar. ex Cap. Cum contingat; Potest  
tamen iste talis excommunicari in ge-  
nerali; si verbi gratia, feratur ex-  
communicatio contra omnes, qui do-  
minus aliquam furati sunt, nisi intra  
domensem fatisfaciant; in tali casu qui-  
libet ex illis excommunicatur, nisi  
fatisfaciat, etiam in foro externo de  
nullo nominatim probari possit talis  
culpa.

Qui demum est innocens tertio mo-  
do, videlicet tantum in foro interno,  
debet in foro externo censuram, qua  
ligatur, observare; quod requiritur

E 2 ad

ad vitandum scandalum, ut supra diximus.

Dubium tamen est; An qui in foro tantum interno est innocens, sed probatur in foro externo nocens, tenetur obedire Judici præcipienti aliquid sub censura: Verbi gratia, si præcipiat Judex sub censura Petro, ut intra mensem satisfaciat Titio reddendo centum, quæ tamen revera non abstulit; aut si præcipiat Paulo, ut cohabitetur cum Berta, quæ in foro externo probatur esse ejus uxor, cum tamen ille sciat propter impedimentum dirimens non esse veram uxorem?

Huic difficultati alii aliter respondent. Primo aliqui cum D. Th. in 4 dist. 18. quæst. 2. art. 1. quæstūn. 4. dicunt, quod teneatis obedire, quando non est intrinsece malum, sed licet id, quod præcipitur, ut in primo casu; Quare Petrus tenetur dare Titio centum, si in foro externo probetur ea sustulisse; & nisi id fecerit, peccabit contra præceptum Superioris, & censuram incurret; quamvis possit deinde uti occulta compensatione, (ut notat Con. dubitat. 13. num. 113.) quam nullus Judex potest tibi prohibere. Non potest vero Paulus in secundo casu reddere debitum Bertæ, quæ in foro externo probatur esse ejus uxor, cum tamen non sit propter impedimentum dirimens; Et ratio est, quia præcipitur in tali casu fornicatio, quæ est intrinsece mala.

Secundo alii cum Cajet. 2. 2. quæst. 74. ad 2. putant, Petrum non teneri in foro conscientiae dare centum Titio, sed solum teneri vitare scandalum; quia in tali casu sententia Superioris est injusta, & solum est iusta quoad præsumptionem; præsumptione autem non prævalet veritati; unde sententia est nulla.

Tertio putant alii cum Con. loc. cit.

num. 110. quod si Petrus non det Titio centum, peccet quidem contragitatum præceptum Superioris, sed censuram non incurrat in foro interno, quia Judex non intendit punire censura tuam inobedientiam, nisi ex suppositione, quod nolis reddere, quod debes.

Equidem censeo secundam sententiam probabiliorem, videlicet hujusmodi innocentem teneri dumtaxat peccatum, & scandalum vitare; Unde Paulus non potest reddere debitum Bertæ, & si excommunicetur, gerere se debet ut excommunicatum dumtaxat coram iis, qui nesciunt eum innocentiam ad scandalum vitandum: Petrus vero si potest citra scandalum non dare Titio centum, non tenetur dare, & si non det cum scandalo, peccabit contra charitatem peccato scandali, non contra obedientiam; unde excommunicationem in foro interno non incurret.

Dubium est secundo; An quando Judex cognoscit privata scientia innocentiam Petri, qui secundum allegata, & probata est reus, possit illum ad instantiam partis excommunicationis?

Respondeo, D. Th. 2. 2. quæst. 77. cum Thomistis communiter aliter, quod possit Judex etiam punire pena mortis illum, quem scit scientia privata esse innocentem; si tamen secundum allegata, & probata penam illam mereatur; quia Judex condemnat ut persona publica; & ideo dirigi solum debet a notitia publica. Hanc tamen doctrinam ceteroquam probabilem rejiciunt Less. lib. 2. cap. 29. dub. 10., Sæ, Filluc., Bonac., Lug. de justitia disp. 37. fect. 14.; quia directe occidere innocentem est intrinsece malum; in casu autem nostro directe occideretur innocens; nam quando constat de innocentia hominis, uti scientia publica ad illum con-

condemnandum, est uti potius errore, quam scientia.

Verum Less., Bonac., Laym. docent, tam in causis civilibus, quam in criminalibus minoribus posse uti scientia publica judicem contra eum, quem fecit notitia privata esse innocentem; quia Respublica habet potestatem in bona suorum Civium, quando bonum publicum id requirit; ut accidit in casu nostro, ne forma publicorum judiciorum cum scandalo evertatur.

Equidem censeo cum Con. dub. 113., quod judex teneatur saltem ex charitate liberare se, quantum potest, ab onere condemnandi innocentem, & efficere, ut veritas eluceat. Quod si nequeat, distinguendum est; nam vel id, quod ad instantiam partis praepciendum est sub censura, potest licite ponи; (ut in primo illo casu licite potest Petrus dare Titio centum, quamvis illa ipse non sit saturatus) vel non potest licite ponи; (ut in secundo casu non potest licite Paulus reddere debitum Berta, si constet de impedimento dirimente) Si primum, potest judex Petro, qui secundum allegata, & probata est fur, praepcipere sub censura, ut det Titio centum, etiam si privata scientia cognoscat illum esse innocentem; quia potest Respublica, ne evertatur forma judiciorum, tollere centum Petro innocentii, & dare Titio; Si secundum, non potest judex praepcipere Paulo, ut reddat debitum Berta, si privata scientia cognoscit dari impedimentum dirimens; quia in nullo casu potest praepcipi malum intrinsece malum, sicut est in casu nostro forniciatio; Et propter eandem rationem non potest damnare penam mortis, quem notitia privata cognoscit innocentem, cum occidere innocentem sit intrinsece malum.

Quod diximus de Judice, dicendum

pariter de publice denunciante sententiā excommunicationis. Etenim in primo illo casu, qui cognoscit Petrum esse innocentem, & secundum allegata, & probata est fur, potest in bonum Reipublicae denunciare sententiam excommunicationis in Petrum non dantem Titio centum, & sic compellere Petrum ad danda centum; siquidem non compelleret ad aliquod intrinsece malum: Econtra in secundo casu qui scit notitia privata dari impedimentum dirimens matrimonium inter Paulum, & Bertam, non potest denunciare publice excommunicationem contra Paulum non cohabitentem, & non redditem debitum Berta; quia tali denunciatione compelleret Paulum ad id, quod est intrinsece malum.

Quæritur quarto; Quānam impotentia excusat a censura incurrenda?

Respondeo, illam impotentiam si ve physicam, siue moralem ponendi opus praeceptum sub censura, quā excusat a culpa gravi, excusare etiam a censura incurrenda, ut patet. Ex quo sequitur primo, quod non restituens propter impotentiam sicut non peccat, cum ad impossibile nemo teatur; ita nec ligatur censura, quā est poena peccati. Secundo, eodem modo qui restituere non potest sine gravi damno bonorum superioris ordinis, ut vitæ, famæ, &c., aut sine gravi alio incommodo, sicut excusat a precepto restituendi, ita a censura. Tertio, qui vero potens restituere, quando præcipiebatur restitutio sub censura, non tamen restituit, ita incidit in censuram, ut si deinde evadat impotens restituere, non proinde a censura liberetur, ut notant Filliac., Bonac., Suar. apud Leand. disp. 9. quæst. 30.; quia censura incurfa unice per absolutionem tolli debet. Demum qui ad tempus propter impotentiam excusat a restituzione,

si

si habeat deinde , unde solvat aut totum , aut partem , ita tunc tenetur , ut aliter tunc incidat in censuram .

Dubium nunc est ; An qui ex malitia sit impotens , excusetur a censura , quando non ponit id , quod præcipitur . Escobar in sum. cap. 6. putat , probabilius esse , quod non excusetur : Verbi gratia , si præcipiatur horarum recitatio sub censura , & aliquis projiciat in mare breviarium , ne possit horas recitare , hic censuram incurrit ; quia qui obligat ad finem sub censura , obligat etiam sub censura ad ponenda media necessaria ad finem ; & ideo lex , quæ obligat recitare horas , obligat etiam ad non projiciendum breviarium , quod est necessarium ad horas recitandas : Eodem modo si præcipiatur sub censura restitutio intra quindecim dies , & fut prima die projiciat numeros , ita ut ex malitia reddatur impotens deinde restituere , elapo decimoquinto die censuram incurrit non restituendo , etiamsi tunc sit impotens , quia est impotens ex malitia . Non negaverim tamen , quod si interim illum paeniteat culpæ commissæ , censuram non incurrit , ut supra diximus in casu simili ; videlicet si Petrus vulneret Cajum lethaliter , & deinde illum paeniteat , quando postea Caus ex vulnere moritur , Petrus non incurrit censuram latam contra homicidas ; quia tunc abest contumacia prærequisita ad censuram incurrendam ; ut multi docent apud Dian. part. 8. tract. 7. resol. 85.

Addit Bonac. quæst. 3. punct. 3. , quod excommunicationem etiam incurrat , qui iussus restituere ante quindecim dies , prævidens se fore impotentem sine sua culpa ultimis diebus , non restituit primis diebus , quando erat potens : Ratio est , quia tenebatur prævenire impotentiam : Sicuti qui tenetur audire missam , si prævidet

futurum se impotentem ultimis horis , tenetur illam primo mane audire .

VII. Quæritur quinto ; Quanam ignorantia censuræ excusat ab illa incurrenda ?

Ante responsonem advero primo , multipliciter Ignorantiam dividi . Primo enim dividitur in ignorantiam juris , facti , & poena . Ignorantia juris est , quando ignoratur lex aliquid prohibens , vel præcipiens : Ignorantia facti , quando ignoratur , num factum sit contra aliquam legem certo cognitam ? Verbi gratia , si ignores , num fuerit clericus , quem percussisti . Ignorantia poena dicitur , quando habetur notitia certa tam juris , quam facti , sed ignoratur , quod jus prohibeat tale factum sub tali poena ; Verbi gratia , scis prohibitam esse percuSSIONEM Clerici ; & scis quem percussisti esse clericum , nescis tamen prohibitam esse sub censura percuSSIONEM clerici .

Secundo dividitur Ignorantia invincibilem , seu inculpabilem , & vincibilem , seu culpabilem . Invincibilis est , quæ per diligentiam humanam superari non potuit , vel quia non occurrit menti ulla dubitatio , a qua moveri posset homo ad inquirendam veritatem ; vel quia si occurrit dubitatio , non proinde potuit veritas acquiri . Vincibilis ignorantia habetur , quando potest subortum dubium factum non est moralis diligentia ad veritatem acquirendam , per quam diligentiam talis ignorantia vinci poterat : Quod si ignorans vincibiliter potest se obligari ad tales diligentiam , & illam omissit , tunc non solum laborat ignorantia vincibili , sed etiam culpabili ; si vero non potest se obligari ad illam diligentiam , & ideo illam omissit , tunc laborat ignorantia solum vincibili , sed inculpabili ; quamvis ignorantia vincibilis , quæ simul est inculpabilis , appellari etiam soleat invincibilis .

Ter-

Tertio Ignorantia vincibilis, seu culpabilis subdividitur in affectatam, & crassam, seu supinam. Habet affectatam, qui studiose, & data opera vult ignorare, quod se debere scire cognoscit, juxta illud Psalm. 35. *Nolus intelligere, ut bene ageret.* Talis ignorantia, cum sit aperte voluntaria, dicitur in jure apertus dolus esse, & malitia potius, quam ignorantia. Habet vero ignorantiam crassam, seu negligenter, & supinam, qui ignorat, quæ scire debet ex quodam animi torpore, vel ex nimia sollicitudine erga res alias, a qua redditur negligens in addiscendis iis, quæ scire debet: Talis autem ignorantia est solum indirecte voluntaria; Et aliquando est gravis, aliquando levus; quamvis in jure non vocetur absolute crassa, & supina, nisi quando intercedit gravis culpa.

Quarto dividitur ignorantia in Antecedentem, & Concomitantem. Antecedens est causa actus, qui non fieret, si ignorantia illa decesset; ut quando quis occidit Clericum neficiens ejus clericatum, quem si sciret, illum non occideret. Concomitans est, quæ ita actum comitur, ut adhuc si illa decesset, actus fieret; puta quando quis casu putans occidere feram, occidit inimicum, eo tamen animo, ut libenter occasionem illam faceret, si sciret ibi esse suum inimicum.

Demum dividitur Ignorantia in Actualis, & Habitualis. Habet habitualis, (quæ absolute ignorantia dicitur) qui nunquam cognovit illud, quod ignorat: Habet vero Actualis, (quæ dicitur inadvertentia, seu inconsideratio, & oblivio) qui quod alias novit de facto in mente non habet. His explicatis

Dico primo; Ignorantia invincibilis juris Ecclesiastici, etiam stante cognitione juris naturalis, aut divini, excusat ab incursum censuræ: Verbi gra-

tia, si scias furtum esse jure naturali prohibitum, nescias vero esse prohibitum sub censura jure Ecclesiastico, furando peccas, sed censuram non incurris. Ita communiter cum Con. dub. 10. Hurt. difficult. 22. Ratio est clara, quia ad incurriendam censuram requiritur, ut peccans sit contumax, seu inobediens Ecclesiæ præcipienti aliquid sub censura; ergo si ignoretur præceptum, seu jus Ecclesiasticum, cessat contumacia, & sic censura incurri non potest.

Hinc infertur, neque censuram incurri, si detur ignorantia invincibilis facti; quia sicut ignorantia juris reddit involuntarium actum, inquantum malum, seu prohibitum, ita ignorantia facti reddit actum secundum se, & simpliciter involuntarium. Idque est verum etiamsi quis det operam rei illicitæ; Verbi gratia, si quis dans operari venationi prohibitæ occidat Clericum, nesciens illum esse Clericum; ut docet Sanch., Leand. quæst. 9. & alii communiter contra Sylvest. & alios. Immo neque censura incurritur, si detur ignorantia invincibilis solius poenæ, ut docet Con. dub. 10. ex Suar., Avil., & aliis contra Covarr., & Hurt. diff. 22. apud Leand. quæst. 7. Quare ignorantia tam juris, quam facti, & poenæ, si sit invincibilis, excusat a censura. Adde idem dicendum, sive ignorantia juris Ecclesiastici, aut facti, aut poenæ sit ignorantia habitualis, sive sit ignorantia actualis, hoc est inadvertentia; ut communiter Doctores apud Leand. quæst. 24. Et idem dicendum, sive ignorantia sit antecedens, sive sit concomitans, ex Suar., & aliis communiter contra Sanch., Ugolin., Henr., & alios apud Leand. quæst. 22. Etenim ignorantia concomitans supra actum nihil aliud addit, nisi pravum animum ponendi talem actum, etiamsi esset prohibitus sub censura; hic autem pra-

pravus animus, cum sit tantum conditionatus, nihil ponit in esse, nec causat actum externum; & ideo non est capax censuræ: Unde sequitur, quod qui Clericum occidit nesciens ejus clericatum, eo tamen animo, ut etiam illum occideret, quamvis sciret esse clericum, censuram non incurrit.

Oppones ex Hurt.: qui ignorat peccatum mortale prohiberi sub reatu pœnæ inferni, adhuc pœnam inferni meretur, si peccatum mortale committat; ergo pariter qui ignorat peccatum aliquod, puta percussionem Clerici, prohiberi ab Ecclesia sub pœna censuræ, adhuc censuram incurrit, si clericum percutiat; atque adeo ignorantia invincibilis pœnæ non excusat ab incursu censuræ.

Confirmatur, quia irregularitas etiam ignorata incurrit; ergo pariter censura.

Respondeo, concessio antecedente, nego consequentiam. Disparitas est primo, quia pœna inferni est punitiva; pœna vero censuræ est medicinalis; non est autem necesse, ut pœna punitiva, seu vindicativa cognoscatur, ut peccato sit debita; secus vero pœna medicinalis. Etratio est, quia medicina, ut mederi possit, debet ægroti applicari; applicatur autem pœna medicinalis spiritualis peccatori ægroti solum per cognitionem illius; ergo nisi pœna medicinalis cognoscatur, non est debita peccato.

Secunda disparitas est, quia pœna inferni de se debetur cuilibet mortali; at censura non debetur ulli peccato secundum se, sed solum quando peccator est contumax; atqui ut habeatur contumacia, requiritur, ut peccator contra monitionem Ecclesiæ, & contra comminationem censuræ operetur; atque adeo requiritur, ut cognoscatur monitio, & comminatio censuræ; ergo nisi censura cognoscatur,

non incurritur. Adde, quod sicut non dicitur operari contra legem, qui legem non cognoscit; ita nec operatur contra monitionem committantem censuram, qui talem monitionem non cognoscit; ergo qui censuram ignorat, contumax non est; atque adeo nec capax censuræ.

Ad confirmationem primo dico, Irregularitatem ex delicto, cum sit pœna, non incurri, si ignoratur, ut docet Sanch. lib. 4. de Matrim. disp. 32.; quamvis irregularitas ex defectu etiam ignorata incurritur, quia non est pœna, sed impedimentum canonicum. Secundo, concessio antecedente, & dato, quod irregularitas ex delicto etiam ignorata incurritur, ut docet Laym. tract. 4. cap. 20. afferit, nego consequentiam. Disparitas est, quia irregularitas non est pœna medicinalis, sicut est censura, quæ cognosci debet ab ægroti, ut possit illum curare; sed irregularitas ex defectu est impedimentum canonicum, & irregularitas ex delicto est etiam pœna vindicativa, & perpetua, non medicinalis.

Dico secundo; Ignorantia vincibilis sive juris, sive facti, sive pœnæ, nisi sit talis, ut excusat a culpa mortali, non excusat ab incurrenda censura. Ita communiter cum Suar. sect. 10. qui non audet dicere oppositam sententiam esse practice probabilem, cum non habeat pro se nisi unum, vel alterum Recentiorum, qui non valido fundamento, sed quadam pietate erga delinquentes ducitur ad tundum oppositum. Ratio conclusio- nis ex Suar. est, quia ignorantia vincibilis mortaliter culpabilis vel est crassa, seu supina, vel (quæ pejor est) affectata; atqui si sit crassa, seu supina, videlicet orta ex gravi negligencia, non excusat a censura; ergo a fortiori non excusat, si sit affectata; & consequenter nulla ignorantia vin-

ci

cibilis mortaliter culpabilis excusat a censura. Minor probatur, quia in Cap. *Ue animarum, de constitution.* in 6. dicitur aperte, *Statutis Ordinariorum non ligari ignorantes, nisi eorum ignorancia sit crassa, vel supina:* Et ratio a priori est ex Con. dub. 11. ; quia videtur incredibile, quod nolit Ecclesia punire eam negligentiam mortalem, quæ committitur in sciendis censuris.

Adverte tamen, quod quamvis ignorantia vincibilis mortaliter culpabilis regulariter loquendo non excusat ab incurrienda censura, aliquando tamen excusat; præsertim si sit crassa, seu supina; videlicet quando lex comminans censuram addit particulam aliquam, quæ requirit scientiam, ut sunt hæ particulae, *Scienter, Confusio, qui præsumperit, qui temere, vel temerarius violator extiterit, &c.*, ut docet Leand. quæst. 20., & alii communiter. Utrum autem in tali casu etiam ignorantia affectata excusat? Affirmat Hurt.: Sed communiter negant Doctores apud Leand. quæst. 21., quia ignorantia affectata in jure aequiparatur dolo, & ipsi scientiæ, ex Cap. *Eos qui, de temporibus ordinat.* in 6.

Dico tertio; Censura lata per sententiam Judicis in eum, qui monitus noluit resipiscere, incurritur etiam ab ignorantie illam, quando Judex intentionem habet ligandi delinquentem, antequam illi censura innotescat. Ita communiter.

Ratio est clara; quia talis censura ex una parte supponit jam in delinquente contumaciam, ex alia parte potest ferri in absentem; ergo non est cur ab ignorantie illam non incurritur. Unde fit, quod in tali casu sic excommunicatus careat jurisdictione, incapax sit beneficii, &c., quamvis id ignoret.

Neque dicas; Posset talis delinquens resipiscere, dum infligitur illi censura;

*Pars VIII.*

ergo censura sic lata in ignorantem est invalida. Nam concessio antecedente, nego consequentiam: Censura enim non fertur propter contumaciam delinquentis usque ad tempus, in quo fertur censura, sed propter contumaciam usque ad tempus in monitione præfixum. Quare cum supponatur ulque ad tale tempus perseverasse contumaciam, licet potest delinquens censura ligari, etiamsi dum ligatur censura, vel ante, coram Deo resipuerit; dummodo non resipuerit coram Ecclesia, præsentando se Superiori, & exhibendo obedientiam, & satisfactionem: Itaque licet probabilis sit sententia Filliuc. tract. 1. cap. 8., & aliorum apud Dian. part. 8. tract. 7. resol. 85., quod censura a iure non incurritur ab eo, qui sit actu peccit, & de peccato doleat, ob quod deberet censuram incurrire; ut si quis vulneret graviter alium, & an tequam sequatur homicidium, contetur, non incurrit deinde censuram in jure latam contra homicidas, quia per pœnitentiam cessavit contumacia in foro interno, & sic nulla incurritur in foro interno censura: At in casu nostro cum feratur censura per sententiam Judicis, incurri debet in foro externo; quicquid sit, an si tunc restituerit, in foro interno ab ea sit immunis.

VIII. Quæritur sexto; An dubium censuræ excusat ab illa?

Respondeo, tam dubium juris, quam dubium facti a censura excusare. Ita communiter cum Sanch. lib. 1. in Decalog. cap. 10. num. 56., & aliis apud Tambur. lib. 1. in Decalog. cap. 3. §. 7. V. *Censuræ.* Ratio est, quia stat in possessione libertas. Si tamen rationabiliter dubites, & veritatem inquirere negligas negligencia graviter culpabili, debes te gere ut censura ligatum; quia laboras ignorantia vincibili, quæ, ut diximus,

F non

non excusat a censura; Præterquam quod in tali casu assimilari possesso-ri malæ fidei: Ita Tambur. loc. cit. Et idem dicas, si dubites, an fueris absolutus. Quod si prudenter dubi-tes, an censura contra te lata sit ju-sta, an a legitimo superiore, an cum debitiss requisitis, &c. Multi cum Bar-di de conscient. disp. 6. cap. 7. putant, quod debebas te gerere tamquam censura ligatum; quia possessio stat pro censura, & pro Judice ferente illam, qui in dubio præsumitur rite protulisse sententiam. Tambur. vero putat, quod in foro externo debebas te gerere ut censura ligatum, propter rationem adductam, non tamen in foro conscientiæ; siquidem in foro con-scientiæ possessio stat pro libertate, & in dubio melior est conditio pos-sidentis. Ita etiam Dian. part. 4. tract. 3. resol. 8. ex Vasq., & Salas.

IX. Quæritur ultimo; An metus, & vis etiam excusat ab incurru censura?

Respondeo, certum esse, quod metus levis non excusat; Metus vero gravis cadens in constantem virum, puta, metus mortis, infamiae, exilii, aut gravis detrimenti, sive spiritualis, sive temporalis, communiter docent, quod a censura excusat, eo quod ex-cusat a transgressione præcepti Ecclesiastici; cum Ecclesia piissima mater nunquam velit obligare suis præceptis cum magno incommodo. Quare si non habetur transgressio præcepti Ecclesiastici, non habetur contumacia, & consequenter nec censura.

Dubium est; An metus gravis ex-cusat a censura, quando hæc fertur pro criminè alias lege naturali prohibito? Sanch., Pal., Hurt., & alii apud Le-and. quæst. 26. docent, quod qui ex metu gravi etiam mortis, verbi gra-tia, adulteraret, posito quod adulterium sit prohibitum sub censura, il-lam incurreret; quia sicut metus in

tali casu non excusat a peccato mor-tali; ita neque a censura. Verum Suar. disp. 4. seçt. 3., Bonac., Avil., Con-dub. 10. cum eodem Leand. putane, in tali casu adulterantem, licet non excusat a peccato, a censura ta-men excusat. Ratio est, quia men-s gravis non excusat a transgressione præcepti naturalis, sed excusat trans-gressione præcepti Ecclesiastici; unde qui vi, & metu cogeretur ad adulterandum, peccaret mortaliter con-tra legem naturalem, sed non pecca-ret cum contumacia, seu cum trans-gressione præcepti Ecclesiæ, que non-quam obligat cum tanto onere; atque adeo non incurreret censuram ab Ec-clesia latam contra adulterantes.

Quod si quis per gravem metum com-pelleretur ad adulterandum in con-temptum Ecclesiæ prohibentis adul-te-rium sub censura, probabilius est, quod in tali casu censuram incurret; ut docent Henr., & Suar. contra Can-didum, & Salas apud Leand. loc. cit.; quia probabilius est velle Ecclesiam in tali casu obligare sub censura, ne contempnatur. Et idem dicas, si quis per gravem metum adulteraret in con-temptum Dei prohibentis adulterium: Et ideo in cap. Sacris, de iis, quæ vi, metusve causa sunt dixit Pontifex, quod excommunicationem incurrit, qui ex metu gravi communicat cum excommunicato, quando scilicet id prohibetur sub mortali; quia in con-temptum Ecclesiæ talis metus iniuste-tur.

Demum circa Necessitatem dicen-dum, quod necessitas, quæ a pecca-to mortali in lege humana excusat, etiam excusat a censura.

non

A R.

## ARTICULUS VII.

## De Effectibus Censuræ.

- I. *Duplex est Censura effectus; alter Remotus, & extrinsecus, qui est Rei emendatio; alter Proximus, & intrinsecus, qui est privare hominem quibusdam bonis spiritualibus, ac temporalibus.*
- II. *Ante judicis sententiam privatur iis bonis etiam excommunicatus toleratus; Cuius acta juridica id eo sunt valida, quia in bonum publicum Ecclesia supplet defectum jurisdictionis, qua ille caret.*
- III. *Irreitus censura in aliqua Diocesi ubique Gentium privatur iis bonis; nec aliter quam per absolutionem in integrum restituitur.*
- IV. *Appellatio non suspendit effectus censura jam late; nisi hac late sit sub conditione, & interim appellatur.*
- V. *Potest Pontifex, non tamen Episcopus in effectibus censura dispensare. Num possit Episcopus dispensare, ut valide retineatur Beneficium collatum tempore Excommunicationis?*

I. **Q**uæritur primo; Quinam sint censuræ effectus?

Respondeo, effectum censuræ coincidere cum ejusdem fine: qui duplex est. Alter proximus, & intrinsecus, Alter remotus, & extrinsecus. Effectus, seu finis remotus nihil aliud est, quam fructus bonus, quem intendit ferens censuram; Hic tamen fructus vel est spiritualis, videlicet observantia Ecclesiastica disciplina, & emendatio peccatoris, juxta illud 1. ad Corinth. 5. Ut tandem spiritus ejus salvus fiat in die Domini; vel est temporalis, videlicet restitutio rei temporalis, aut reparatio damni, quod il-

latum est innocentis; nam ex Trident. sessi. 24. cap. 3. potest quis excommunicari, nisi restituat temporale. Effectus censuræ intrinsecus, & proximus est privare censuratum aliquibus bonis spiritualibus, & etiam temporalibus, quatenus spiritualibus sunt annexa, ut constat tum ex definitione censuræ, tum inductione; nam excommunicatio privat tam participatione Sacramentorum, quam communione fidelium, quorum primum est spirituale, secundum temporale: Suspensio ab officio privat usum officii tam Ordinis, quam jurisdictionis spiritualis; & quia beneficium datur propter officium, privat etiam jure percipiendi fructus a beneficio Ecclesiastico. Interdictum privat divinis officiis, & privat etiam ex Suar. contra Sanch., Con., & alios apud Busemb. jure contrahendi licite matrimonium; Quare omnes censuræ bonis spiritualibus simul, & temporalibus privant.

II. His explicatis, certum est primo, quod reus censuram incurrens privetur statim ante Judicis sententiam spiritualium rerum usu, & statim obligetur ad carendum temporalibus bonis enumeratis: Verbi gratia, excommunicatus obligatur non communicare cum aliis, suspensus non celebrare, &c. Communiter enim receptum est illud Juris proloquium, *Censura lata per se fert executionem*, ex Cap. Pastoralis, de Appellat.; Et ratio est, quia cum censura sint pœnae spirituales, nullam ad execucionem tui exequentis actionem exigunt. Quare excommunicatus, licet toleratus, non potest licite missam audire, verbi gratia, nisi excusat ignorantia, aut necessitas vitandi scandalum, &c. Nec potest excommunicatus, aut suspensus a beneficio, juxta probabilitatem opinionem, facere suos fructus beneficii, etiamsi nulla præcesserit sententia Judicis, & etiamsi præstet officium,

& onus, propter quod datur beneficium. Denunciatio itaque censura non deserbit, ut reus obligetur servare leges censurati, sed solum ne alii possint cum eo agere, recipere ab eodem Sacraenta, &c., ut habetur in Extravag. Mart. V. apud Leand. disp. 2. quæst. 4.

Neque dicas; excommunicatus occultus, & toleratus non privatur iurisdictione, cum ex leg. Barbarius, ff. de off. Pretoris valida sint ejus acta; ergo falsum est, quod effectus censuræ itatim ante Judicis sententiam incurvantur.

Nam, ut bene Suar. disp. 6. sect. 2., etiam excommunicatus occultus, & toleratus privatur habitualiter iurisdictione ante sententiam judicis, & solum Ecclesia propter bonum publicum supplet in eo defectum jurisdictionis.

III. Certum est secundo, effectus censuræ perseverare, donec per absolutionem tollantur, ut dicemus art. seq., & ideo dici solent perpetui, non quidem positive, sed negative, quatenus non habent tempus fixa durationis definitum, sed perpetuo perseverant, donec reus a censura absolutatur.

Certum est tertio, quod etiam censuratus a Prælato Inferiori ubique terrarum privetur usu spiritualium, ut docent communiter contra Scotum; cuius sententiam Sotus apud Leand. disp. 2. quæst. 5. vocat novam, & inauditam. Et ratio est, quia dum excommunicatur, verbigratia, Petrus ab Episcopo Neapolitano, non obligat Episcopus reliquos Christifeles, ne pro eo orent, sed obligat illos jus commune, quod ad omnes pertinet, & a quo præcipitur, ne quis cum excommunicatis communicet; ut constat ex can. 5. Concilii Nicæni; ubi dicitur: *Serveatur ista sententia, ut si qui ab aliis excom-*

*municantur, ab aliis ad communionem non recipiantur.*

IV. Quæritur secundo; An possint aliquando suspendi, seu impediri effectus censuræ jam lata, aut per appellationem, aut per dispensationem Papæ, vel Episcopi ferentis censuram?

Respondeo, per appellationem nullatenus impediri, ut supra diximus ex Cap. Pastoralis, de Appellat., quia censura lata secum trahit executionem; quare cum appellatio non tollat censuram, nec tollere potest executionem, seu effectus censuræ: Secundus dicendum, si censura sit lata sub conditione; etenim antequam purificetur conditio, potest per legitinam appellationem suspendi censura, & sic etiam effectus censuræ, ut supra etiam diximus, & communiter docent cum Suar. disp. 6. sect. 4., Leand. quæst. 6. Et ratio a priori est, quia censura lata sub conditione non dicitur perfecta, nec absolute, & similiiter sententia.

V. Per dispensationem vero Pontificis possunt effectus censuræ suspendi, quatenus possunt licite exerceri, quæ ratione censuræ sunt prohibita; Et ratio est manifesta, quia Pontifex potest dispensare in iis, quæ tantum iure humano prohibita sunt, ut sunt actus, qui per censuram prohibentur: Et de facto dispensavit aliquando Pontifex in aliquibus censuræ effectibus; nam per Extravagantem Martini V. datur facultas communicandi cum excommunicatis toleratis, quod jure antiquo erat prohibitum.

Episcopus tamen nullatenus dispensare potest in effectibus censuræ; etiamsi ab ipso sit lata, & ipsimet reservata, ut communiter docent Doctores contra nonnullos Canonistas; Et ratio est, quia Episcopus non potest in iure communi dispensare, nisi quando in ipso iure hoc illi conceditur, aut aliqua recepta consuetudine,

ne, & traditione, ut colligitur ex cap. *Dilectus, de temporibus Ordinationis,* Atqui effectus censuræ jure communii decernuntur, & Episcopis nec jure communi, nec consuetudine conceditur ut possint in iis dispensare; ergo nunquam possunt per dispensationem impedire effectus censuræ; Unde fit, non posse Episcopum dispensare, ut excommunicatus, verbi gratia, valide beneficium recipiat: Pos-

set solum dispensare, ut excommunicatus post absolutionem retineat valide beneficium collatum tempore excommunicationis; quia hoc videtur Episcopo concedi in Cap. *Postlaistic,* de Clerico excommunicato ministrante; Quamvis de hoc dubitet etiam Filius, hic cap. 7. ex praxi Sacrae Penitentiariæ, ad quam in his casibus solet recurreri.

## Q U Ä S T I O II.

## Quonam modo Censura tollatur?

**E**xaminabimus in hac questione; Primo, an possit aliter, quam per absolutionem tolli censura? Secundo, a quonam tolli possit? Tertio, quotupliciter absolutio detur? Quarto, quandonam absolutio valeat pro foro exteriori? Quinto, quanam sint requisita ad absolutionem, tam ex parte absolvientis, quam ex parte absolvendi? Sexto, quanam forma, ritu, ac solemnitate absolutio conferatur? Ac demum expediemus paucis reliqua, quæ ad hanc absolutionem pertinent.

## ARTICULUS I.

An unice per absolutionem tollatur censura?

I. *Censura neque tollitur per obitum fermentis illam, neque per obitum, aut emendationem censurati; sed unice per absolutionem; que mortuis etiam conferatur, quamvis indirekte.*

II. *Quando quis suspenditur ad tempus determinatum, puta per mensem, talis suspensio non est proprie censura; cum non possit ea sic ferri.*

III. *Qui excommunicatur, donec satisfecerit, praesita satisfactione, immunitis est a censura, quin tamen hec dicatur tolli citra absolutionem.*

I. **Q**uæritur primo; An possit censura tolli non solum per absolutionem, sed etiam per mortem fermentis censuram, aut per mortem censurati, aut per satisfactionem datum parti læsa, & emendationem delinquentis?

Respondeo cum communi apud Leand. disp. 2. quæst. 4., unice per absolutionem proprie, & perfecte tolli posse censuram; quod constat tum ex illo Matth. 16. *Quocumque ligaveris, &c., & quocumque solveris, &c., tum ex Cap. Cum desideres, de sententia excommunicat.;* tum demum a sufficienti partium enumeratione, cum censura nec per mortem fermentis illam, nec per mortem censurati, nec per terminationem causæ tollatur: ergo unice per absolutionem tollitur.

Et primo non tollitur censura per mortem fermentis illam, ut communiter

ter Doctores docent ex *Cap. Pastorale*, & constat ex usu Ecclesiæ; etenim censuræ ita institutæ sunt, ut solum in fieri, non vero in conservari dependeant a vita, aut jurisdictione ferentis; quamvis verum sit, quod censura lata ab homine non habeat effectum suum, si antequam incurritur, ille moriatur.

Secundo, non tollitur per mortem censurati: tum quia etiam excommunicatio non liget mortuos, qui si decesserunt cum contritione, sunt etiam in loco salutis; tamen etiam post mortem ligat alios, ne cum excommunicato defuncto communicent, offerendo pro illo sacrificia, aut ejus cadaver sepeliendo in loco sacro; tum etiam, quia ex *Cap. Sacris*, de *Sententia excommunicat*. mortui indigent absoluzione, non quidem directe, seu quoad ipsos, cum sint extra jurisdictionem, & forum Ecclesiæ, sed indirecte, seu quoad alios fideles, ne cum illis modo dicto communicent.

Tertio, neque tollitur censura per datam satisfactionem parti læse, aut per emendationem delinquentis: damnatur enim ab Alex. VII. propositio 44. dicens: *Quoad forum conscientie reo correcto, ejusque contumacia cessante, cessant censura*. Et ratio est, quia quamvis ad censuram ferendam requiratur contumacia; at ut censura perseveret, non requiritur perseverantia contumacia; cum pendeat a contumacia in fieri, non in conservari. Quare jure ordinario unice tolli potest censura per potestatem D. Petro concessam solvendi ligatos, cuius actus est absolutio, ut communiter docent cum Pal. disp. 1. dub. 2. Quamvis de potentia absoluta, & extraordinaria posset aliter censuram tollere Pontifex, qui est Auctor juris.

Neque dicas, cessante fine, cessat lex; ergo cessante contumacia cessat censura propter illam inficta. Nam

verum quidem est, quod cessante contumacia tolli debeat censura; At sic hæc per juridicam, & publicam protestatem fuit inficta, ita per eamdem potestatem tolli debet, ut docent Doctores, ex *Cap. Cum desideres, de Sententia excommunicat*. Præfertim quia debet juridice constare de satisfactione sufficienter data pro culpa commissa, ut possit dari absolutione.

H. Quæritur secundo; An saltē sine absolutione tollatur censura, quando fertur pro tempore determinato, verbi gratia, per mensem, per triennium, &c.?

Respondeo, Censuram propriam ferri non posse ad tempus determinatum; quia cum feratur ad correctionem Rei, qui potest citius, aut tardius corrigi, non potest certo tempore illa durare; atque adeo non potest censura cestare per lapsum temporis determinati. Præfertim quia si daretur delinquenti occasio permanendi in sua contumacia, eo quod sciret, quod ab ea censura non possit liberari ante tempus præfixum, etiam emendetur. Potest quidem in penam alicujus delicti præcipi alicui, ut per triennium, verbi gratia, sit suspensus; at hæc non est censura proprie dicta, nec est pena medicinalis, sed vindicta, ut alias diximus, & docet Laymhic; hæc profecto per lapsum temporis præfixi sine alia absolutione cessare potest.

III. Quæritur tertio; An saltē censura tollatur sine absolutione, quando lata est sub ea conditione, *Dones satisfeceris*? Solet enim aliquando censura ferri tali pacto: Præcipimus tibi sub pena excommunicationis ipso facto incurriendæ, ut Cajo intra tres dies satisficias, siisque excommunicatus, donec illi satisfeceris..

Respondeo, in tali casu posita satisfactione te fore liberum ab excommunicatione, in quam incurras, & qui-

quidem sine alia absolutione , ut docent Covarr. in Cap. Alma mater , part. I. §. 2. Avila , Pal. , Leand. disp. 2. quæst. 5. , & alii communiter . Ratio est , quia in tali casu , ut bene notat Suar. num. 12. , non tollitur censura sine prævia absolutione , eo quod a ferente censuram simul cum censura detur absolutio ab illa sub ea conditione de futuro , donec satisficeris ; qua conditione purificata statim absolutionis sortitur effectum suum : Sicut enim censura per legem , aut per generalem sententiam fertur sub conditione , quod tale peccatum commiseris , & eo commissio statim incurritur ; ita absolutio data sub conditione , quod satisficeris , posita satisfactione , habet effectum suum . Unde fit , nullam omnino censuram sine absolutione tolli , si valida fuerit ; Quod si fuerit nulla , & vera reputetur , satis est declaratio nullitatis , ut ea tollatur , seu potius ut intelligatur numquam fuisse tam censuram . Advertit tamen Bonac. quæst. 3. pñct. 9. , hæc verba , Sis excommunicatus , donec satisficeris , aliquando significare , quod excommunicatus non possit absolvi , nisi post satisfactionem ; in quo casu posita satisfactione , procul dubio requiriatur nova absolutio ; & ea est praxis Ecclesiæ , ut post satisfactionem absolvatur , qui sic est excommunicatus .

## ARTICULUS II.

Quisnam possit a Censuris absolvere ?

- I. *Censura lata per statutum alicuius Diœcesis , vel Provinciæ comprehenduntur sub censuris latis a Jure .*
- II. *Universim a censuris non reservatis absolvere potest , qui jurisdictionem erga censuratos habet pro foro externo .*
- III. *Parochus , & alii Sacerdotes , qui possunt a mortalibus absolvere , so-*

- lum ex delegatione juris absolvere possunt a censuris non reservatis .*
- IV. *Habens facultatem absolvendi a mortalibus reservatis potest absolvere etiam a censuris reservatis quoad casus Pontificios , non vero quoad Episcopales .*
  - V. *Probabiliter simplex Sacerdos potest ab excommunicatione minore absolvere , etiam extra confessionem sacramentalem .*
  - VI. *A censuris juris reservatis absolvere potest , qui eas reservavit , aut ejus Successor , vel Superior , ac Delegatus ; & in multis casibus alii .*
  - VII. *Mendicantes non possunt absolvere a casibus Episcopo in tabella reservatis ; possunt tamen a reservatis in Synodo ; ac ab iis , quos ius commune Episcopo reservat .*
  - VIII. *Quando absolutio conferenda est satisfacta parte , quonam satisfactio est premittenda ? Et an valide conferatur , parte nondum satisfacta ?*
  - IX. *A censura lata ab homine per sententiam generalem pro peccatis futuris , si non sit reservata , quilibet Confessorius absolvere potest .*
  - X. *A censura lata ab homine per sententiam sive specialem , sive generalem pro peccatis prateritis quoniam , & quomodo absolvere possit ?*
  - XI. *Quid si excommunicatus ab Episcopo domicilium mutet , aut Religionem ingrediatur ?*

I. **Q**uoniam censuræ aliae sunt latæ a Jure , aliae ab homine , aliae reservatae , aliae non reservatae , de singulis querendum , a quoniam absolviri possint ? Notando interim , censuras latas per statutum comprehendendi sub censuris a Jure , quia statutum , licet non sit jus universale , est tamen jus particolare Diœcesis , vel Provinciæ , ut bene Suar. disp. 7. sect. 3.

II. Quæ-

H. Quæritur itaque primo; Quisnam possit absolvere a censuris juris non reservatis?

Respondeo, quod possint ab iis suis subditos absolvere omnes illi, qui in foro externo habent jurisdictionem erga illos, ut sunt Episcopus, Abbates, Prælati regulares, &c. Ita Navar., Henr., & alii communiter apud Pal., ex Cap. *Nuper, de Sententia excommunicationis*.

III. Dubium est, an Parochi, & alii Sacerdotes, qui possunt a mortalibus absolvere, possint pariter absolvere a prædictis censuris?

Respondeo, Gloss. in Cap. *Si Episcopus, de penit., & remis.*, Riccard. in 4. dist. 18., Sayr., & alios negare; quia sicut ad ferendam, ita ad auferrandam censuram videtur requiri jurisdictione in foro externo, quam Parochus, & alii Sacerdotes non habent. Sed quamvis hæc sententia negativa sit communior, contra quamplures relate ad absolutionem a suspensione, & interdicto, ut suo loco dicemus: At relate ad absolutionem ab excommunicatione, communior sententia affirmat, cum Suar. disp. 7. sect. 3. D. Th., Pal., & aliis, ex Cap. *Nuper, de Sententia excommunicationis*, ubi dicitur: *Quando conditor Canonis specialiter absoluti non sibi non reservavit, eo ipso aliis videtur facultatem concessisse relaxandi.* Præterea Benedictus XI. in *Extravag.*, de Privileg. 5. Observent, ait: *Inconveniens existimamus, ut a peccato absolvat, qui excommunicationem, qua infligitur, maxime a jure, removere non potest*; ergo quilibet Confessarius potest absolvere ab excommunicatione juris non reservata. Immo Bonac. quæst. 3. punct. 2. docet, idem etiam dicendum de absolutione a suspensione, & interdicto. Nam ex Suar. disp. 38. sect. 2., qui habet facultatem absolvendi a mortalibus, potest etiam absolvere ab interdicto personali spe-

ciali non reservato, quamvis non possit a locali, aut generali personali, cum ad hoc requiratur jurisdictione in foro externo. Adde, eam esse proxim Ecclesiæ, ut absolventes a mortalibus absolvant prius non solum ab omni vinculo excommunicationis, sed etiam suspensionis, & interdicti.

Ad rationem tamen in contrarium respondeatur, quod quamvis Parochus, & alii Sacerdotes, qui possunt a mortalibus absolvere, non habeant vi sui muneric jurisdictionem in foro externo, atque adeo nec potestatem ad absolvendum a censura, habent tamen hanc potestatem ex delegatione juris.

IV. Neque dicas: Si verum esset, quod qui potest a mortalibus, posset consequenter a censuris juris non reservatis absolvere, sequeretur primo, quod qui habet facultatem absolvendi a mortalibus reservatis, haberet pariter facultatem absolvendi a censuris reservatis.

Secundo, quod simplex Sacerdos, qui potest a venialibus, possit etiam absolvere ab excommunicatione minore, quæ propter veniale incurritur.

Nam respondeo cum Suar. loc. cit. concedendo primam sequelam quoad casus Pontificios; quia Pontifex non solet reservare casus, nisi ratione censoriae; atque adeo non aliter dat facultatem absolvendi a peccatis fibriservatis, quam dando facultatem absolvendi a censuris sibi reservatis. Negatur tamen prima sequela quoad casus Episcopales; quia solent Episcopi reservare sibi aliquos casus sine censura; unde qui habet solum facultatem absolvendi a peccatis Episcopo reservatis sine censura, non proinde habet facultatem absolvendi ab aliis censuris, & peccatis reservatis.

V. Ad secundam sequelam respondeo a multis negari, præsertim a Cajet., Ugolin., & aliis apud Suar. loc. cit., & Pal. disp. 2. punct. 21. cum Avila, Vasq.

Vasq. & aliis. Et ratio est, quia quamvis non possit quis absolvit Sacramentaliter a venialibus liceat, non praemissa absolutione ab excommunicatione minori; at possunt venialia aliter, quam per Sacramentum pœnitentia tolli; unde non fuit opus, ut cui concederetur facultas absolvendi Sacramentaliter a venialibus, concederetur pariter facultas absolvendi ab excommunicatione minore: Quod tamen dici non potest de mortalibus, quæ unice tolli possunt per Sacramentum sive in re, sive in voto suscepimus; atque adeo qui potest a mortalibus absolvere, debet posse pariter absolvere a censuris juris non reservatis; cum talis absolutio per se prærequiratur ad mortalium absolutionem.

Verum quamvis hæc sententia negativa sit probabilior, adhuc tamen est probabilis sententia affirmativa docens, a simplici Sacerdote posse conferri absolutionem ab excommunicatione minore, etiam extra confessionem; & etiam illi, qui habet mortalia; immo qui cum mortali excommunicationem minorem incurrit; Ita Navar., Tolet., & Tabien., & alii cum Hurt. disp. 26. de Excommun. diff. 2., ut dicemus quæst. 3. art. 3. Et ratio est, quia cum excommunicatione minor non exigat peccatum mortale, ut incurritur, consequenter neque exigit, ut habeat facultatem absolvendi a mortalibus, qui potest ab ea absolvere.

VI. Quaritur secundo; Quisnam possit absolvere a censuris juris reservatis?

Respondeo, quod ab iis non possit absolvere, nisi qui illas sibi reservavit, aut ejus successor, aut Superior, aut Delegatus. Ita communiter, ex Cap. Nuper, de Semenit excommunicat. Sunt autem multi casus, in quibus conditor Canonis facultatem hanc absolvendi aliis concedit.

Pars VIII.

Primo in cap. Mulieres, de sententia excommunicat. in 6. committitur Episcopis, ut possint absolvere tam mulieres, quam impuberes ab excommunicatione lata per Canonem, *Si quis suadente: & in cap. Monachi ibidem*, etiam conceditur, ut Abbates, & alii Prælati regulares possint absolvere religiosos subditos, qui se multo percuserint; sicut etiam Clerici ejusdem Cleri, qui se multo percutiunt, possunt a suo Episcopo absolvit.

Secundo in Trident. sess. 24. cap. 6. conceditur Episcopis facultas absolvendi subditos in sua Diœcesi ab omnibus occultis Sedi Apostolica reservatis in foro conscientia tantum.

Tertio per Bullam Cruciatæ quilibet Sacerdos ab Ordinario approbatu potest absolvere a reservatis, etiam in Bulla Cœnæ semel in vita, & semel in morte, absque onere comparendi apud Superiorum, si convaleseat, ut notat Pal. disp. 1. punct. 2.

Quarto ex cap. Quamvis, de sententia excommunicat. potest Episcopus absolvere quolibet legitime impeditos adire Pontificem cum onere comparendi saltem per procuratorem cessante impedimento sub pena reincidentia; Sicut etiam quilibet Sacerdos potest in articulo mortis absolvere a quibusvis peccatis, & censuris reservatis cum eodem onere; si tamen censuratus sit publice denunciatus.

Demum Mendicantibus, & aliis, qui cum iis communicant in privilegiis conceditur, ut possint absolvere ab omnibus casibus Sedi Apostolica reservatis, ut docent communius contra nonnullos apud Pellizzar. tract. 8. cap. 3. num. 80., & apud Dian. part. 3. tract. 2. resol. 13., exceptis casibus Bullæ Cœnæ, & sex Clem. VIII. in Italia extra Urbem, qui sunt Violatio Claustra Monialium ad ma-

G lum

lum finem, Percusso Clerici, Simonia realis, Confidentialia beneficialis, Provocatio, & pugna duellistica, & Violatio immunitatis Ecclesiasticæ.

Advertendum tamen ex Suar. disp. 7. sect. 5. circa delegationem hujusmodi facultatis primo, quod cui conceditur indulgentia plenaria, etiam per modum jubilæi, non proinde censetur concessa facultas absolvendi a reservatis; (quicquid contradicant Grafis, Peyrin., Escob., Rodriq., Vega, Filliuc., Bossi, & alii apud Dian. part. 10. tract. 16. refol. 1.) quia ista duo privilegia sunt inter se longe diversa, & unum non trahit aliud, ut ostendimus in Opusculo de Jubilæo quæst. 1.

Secundo, Is, cui conceditur facultas absolvendi a casibus Papæ reservatis, potest etiam absolvere a censuris eidem reservatis; quia, ut modo diximus, peccata solum ratione censuræ reservantur Papæ: Contra vero, quia multi casus reservantur Episcopis sine censura, cui conceditur facultas absolvendi a casibus Episcopo reservatis, non proinde conceditur facultas absolvendi a censuris reservatis; ut docet Bonac. cum Navar., Suar., Sanch.

Tertio per concessionem facultatis absolvendi a censuris Papæ reservatis intelliguntur etiam censuræ reservatæ Episcopis; quarvis id negent Navar. in Summ. cap. 22. n. 261., Bonac., & alii. Ratio, quam adducit Suarez num. 14., est; tum quia hoc fert consuetudo, quæ est optima legum interpres; tum etiam quia Pontifex per dictam concessionem dat facultatem absolvendi ab omnibus censuris, a quibus ipse potest absolvere; sed ipse potest absolvere etiam ab Episcopilibus; ergo concedendo facultatem absolvendi a censuris Papalibus, concedit etiam ab Episcopilibus.

VII. Verum tamen est, quod Men-

dicantes ex speciali Bulla non possunt absolvere a casibus Episcopo reservatis, quamvis possint absolvere ab omnibus Papalibus: & ideo damnata est ab Alex. VII. prop. 12. dicens: *Mendicantes possunt absolvere a casibus Episcopo reservatis, non obtenta ad id Episcoporum facultate.* Quia tamen datur triplex genus casuum Episcopo reservatorum, primum eorum, qui ex consuetudine, vel jure Episcopo reservantur, ut Percusso levis Clerici, &c., & hi possunt a Mendicantibus absolvvi; ut ostendimus in Trutina, exponendo Thesim duodecimam ab Alex. VII. confixam; Siquidem solum prohibetur regularibus, ne absolvant a casibus, quos ipsi sibi reservant, non vero a casibus a iure communi, vel consuetudine Episcopis reservatis. Ita Avers., Lezan., & alii plurimi apud Dian. part. 8. tract. 7. refol. 71., & apud Thomam Hunt. tom. 1. tract. 5. ref. 17. Notatque Suar. de penit. disp. 29. sect. 3., quod casus hujusmodi non dicuntur Episcopo reservati, sed delegati. Secundum genus est eorum casuum, qui in Synodo reservantur; & de his docent communius contra nonnullos, quos in loc. laud. Trutinæ retulimus, effare reservationem per hoc, quod ab Episcopo non exponantur in tabella; quia *Non expressum habetur pro omni*, ex pluribus legibus Civilibus, & Canoniciis. Tertium genus est eorum, qui exponuntur in tabella, & de his loquitur propositio damnata ab Alex. VII., ut constat ex dictis.

Quarto per concessionem absolvendi ab omnibus censuris non solum intelligitur concessa facultas absolvendi ab omni specie censurarum, videlicet ab excommunicatione, suspensione, interdicto, sed etiam a censuris reservatis. Ita Bonac., Azor., & Sanch. contra Suar. disp. 7. sect. 5. Ratio est, quia quilibet Sacerdos potest abfol-

ve-

vere a censuris non reservatis; ergo in casu nostro, ne privilegium sit inutile, debet posse absolvere etiam a censuris reservatis.

Quinto per concessionem absolvendi ab omnibus reservatis Sedi Apostolica non intelliguntur comprehensici Bullæ Cœnae; sicut nec per concessionem absolvendi a reservatis in Bulla Cœnae intelligitur data facultas absolvendi ab hæreti; quamvis probabile sit oppositum, quod docet Jacobus de Gratia de hæretico occulto. Ratio horum omnium est, quia ex reg. 81. juris in 6. habetur, quod In Generali concessione non veniunt, quæ quis non esset verisimiliter in specie confessurus.

VIII. Sexto demum, quando facultas absolvendi a censuris datur sub ea limitatione, videlicet satisfacta parte, sensus est, si sit opus satisfactione partis; quod si non sit opus, potest procul dubio conferri absolutio absque illa satisfactione. Nomine autem partis, cui satisfaciendum est, non venit Prælatus præcipiens, vel excommunicans, sed tertia persona, quæ sit offensa aut in honore, aut in fama, aut in aliis bonis. Ratio est, quia offensio Judicis est generalis, & habetur, quotiescumque contrahitur qualibet censura: Sicut etiam in omni censura requiritur obedientia, vel cautio parendi Ecclesia; ergo quod specialiter requiritur in delictis exigentibus satisfactionem partis est restitutio honoris, vel famæ, vel rei familiaris tertiae personæ offensæ.

Notandum tamen ex Avila 2. part. cap. 7. disp. 3. dub. 12., & aliis, quod quando vi Jubilæi excommunicatus denunciatus absolvit potest satisfacta parte, tunc non satis est, quod satisfaciat persona laicæ, sed debet etiam satisfacere Ecclesia laicæ, per hoc quod excommunicatus præsentet se, ac se humiliet Judici, qui Cedulones

affixit, ut illi rationabiliter post absolutionem tollantur: Aliter enim absolutio cederet in contemptum Judicis, & Jurisdictionis exterioris.

Dubitatur; Sitne valida absolutio, quæ datur parte nondum satisfacta? Respondeo cum Hurt. disp. 14. de excommunicat. diff. 5., & altis communiter, quod si præmitti non possit absque gravi incommmodo satisfactio partis, & absolutio per longum tempus differenda esset, possit absolutio non solum valide, sed etiam licite conferri parte nondum satisfacta; præstando tamen cautionem pignoratiæ, aut saltem fidejussionariam, aut ad minimum juratoriam de satisfaciendo, cum primum poterit.

Ratio est, quia non est credibile, Pontificem velle conditionem moraliter impossibilem; sicut nec est credibile, ut notat ex Navar. Suar. num. 45., velle Pontificem obligare ad satisfactionem exhibendam, quando debitum satisfactionis est dubium; sed ad summum tunc pro qualitate dubii deberet ad arbitrium prudentis viri satisfactione præstari.

Quod si satisfactio præmitti possit absque gravi damno, immo etiam si absque levi, & de facto ea non præmitteretur, certe absolutio collata esset iniulta, non tamen esset invalida, non solum si conferatur ab Ordinario, vel a generaliter delegato, sed etiam si conferatur ex privilegio, seu ex commissione particulari; dummodo in dicta commissione absolvendi satisfacta parte, aut in privilegio non addatur formula expresse irritans absolutionem concessam parte nondum satisfacta. Ita Avil., Sanch., & alii apud Hurt. loc. cit. contra Suar., & Vasq. Ratio est, quia illa verba, satisfacta parte, tantum monent delegatum de obligatione juris communis; unde si delegatus non præstet hoc, ad quod obligatur, videlicet si

satisfactionem parti non curet præmitti, illicite absolvet, sed non invalide; non secus ac ipse Ordinarius; Quod communiter docent.

IX. Quæritur tertio; Quinam possit absolvere a censuris latis ab homine per sententiam generalem pro peccatis futuris, quando, verbi gratia, excommunicantur omnes, qui furabuntur in templo?

Respondeo, probabile esse, quod possint etiam ab iis absolvere omnes illi, qui possunt absolvere a censuris juris non reservatis, seu omnes iij, qui possunt a mortalibus absolvere. Ita Bonac. quæst. 3. punct. 1., Suanum. 23., Filliuc. hic cap. 9., Pal., Con. dub. 16.; quanvis multi alii Doctores probabilius censeant, illos dumtaxat absolvere posse, qui possunt absolvere a censuris latis ab homine per sententiam specialem; videlicet qui illas tulit, aut ejus successor, aut superior, aut delegatus, aut Judex appellationis, ut infra dicemus. Ratio conclusionis est, quia talis censura æquiparatur censuræ latæ a jure; cum proprie non sit sententia, sed præceptum; ergo non debet sequi leges censuræ latæ a Judice, sed censuræ latæ a jure. Quare quando in cap. Nuper, de sententia excommunicationis dicitur absolutio a censura lata a jure pertinere ad Episcopum, vel Parochum, a censura vero lata a Judice pertinere ad eum, qui eam tulit, probabiliter sermo est de absolutione a censura lata a Judice per sententiam specialem pro peccatis præteritis, non vero de absolutione lata a Judice per sententiam generalem pro peccatis futuris, quæ potius habet vim præcepti, quam sententiae. Quare si talis censura non sit reservata, absolvi poterit a quolibet Confessario; si vero sit reservata, absolvi poterit ab eo, qui eam reservavit, aut ab ejus successore, aut superiore, aut delega-

to; non secus ac diximus de censuris latis jure.

X. Quæritur quarto; Quinam possit absolvere a censuris latis ab homine per sententiam sive specialem, sive generalem pro delicto præterito? Verbi gratia, si excommunicentur omnes, qui tale furtum commiserunt in tali Ecclesia; quæ censura dicitur lata per sententiam particularem, etiamsi neminem nominet, quia respicit factum illud particolare, & determinatum.

Respondeo, quod extra mortis articulum possit ab iis absolvere, qui eas tulit, (nisi sit illi specialiter interdictum) vel ejus superior, vel successor in officio, vel delegatus, vel judex appellationis. Ita communiter a pud. Pal.

Probatur per partes; Primo potest absolvere, qui eas tulit, ex cap. Pastoralis, de Officio Ordinarii; Et ratio est, quia cum potestas ferendi censuras concessa sit in salutem animarum, potius concessa est ad absolvendum, quam ad ligandum; ergo qui potest ligare, a fortiori potest absolvere. Duxi tamen, Nisi sit ei specialiter interdictum, quia in multis casibus qui censuram tulit, non potest deinde illam tollere. Primus casus est in cap. Tua nos, de Sententia excommunicat., ubi dicitur, quod incendiarios ab Ordinario nominatim excommunicatus, & denunciatus ad Sedem Apostolicam remittendus sit. Secundus, quando qui sententiam tulit, committit deinde jurisdictionem per excommunicationem, aut ex alio capite, ut patet. Tertius, quando alicui committitur actus ferendi aliquam censuram absque ulla cognitione causa; in tali enim casu cum sit merus executor, qui fert censuram, neque censuratum absolvere; secus vero si etiam cognitio causa esset commissa, ut adverterit Con. dub. 16. Quartus ex Cap.

Cap. Quarenti de Officio delegati ubi dicitur, quod delegatus Sedis Apostolica excommunicatum a se, eo quod sua definitiva sententia parere noluerit, ab incursa excommunicacione nequeat absolvere post annum elapsum; solumque intra spatum integrum anni ab ea potest absolvere.

Secundo potest absolvere superior ejus, qui censuram tulit; dummodo non sit Superior dumtaxat dignitate, sed etiam jurisdictione, ut Papa relate ad omnes inferiores, Generalis relate ad Provinciale; non vero Archiepiscopus relate ad Episcopos, nisi dum actu visitat, vel in casu appellationis; tunc enim est superior jurisdictione, ex Cap. *Venerabilibus, de sententia excommunicationis in 6.* Nec legatus a latere relate ad judices inferiores, nisi in casu appellationis, ut docet Laym. tract. 5. part. 1. cap. 7. Neque Episcopus relate ad Praelatos regulares: Quare Regularis excommunicatus a Praelato suo ex causa pertinente ad regularem disciplinam non potest ab Episcopo absolviri; (nisi forte non sit exemptus, & ad Episcopum ab insulta sententia proprii Praelati appellebit, ut notat idem Laym.) poterit tamen a suo Provinciali, aut Generali absolviri; quia isti absolvendo nullam injuriam faciunt Praelato inferiori, cum utantur jure suo.

Adverte tamen, quod quamvis superior possit valide, non potest tamen licite absolvere censuratos ab Inferiori, nisi prius plenam satisfactionem exigat, & inferiorem Praelatum admoneat; ne scilicet hujus auctoritas exponatur contemptui, ut ex multis iuribus docent apud eundem Laym.

Tertio potest absolvere successor ejus, qui censuram tulit, ut habetur in cap. *Si Episcopus 2. quæst. 3.*; quia qui succedit in eodem munere, seu dignitate, censetur eadem persona cum prædecessore. Valer autem hoc

tam pro successore Judicis delegati, quam pro successore ad tempus; unde Capitulum, Sede vacante, quia ad tempus succedit Episcopo, potest per Vicarium capitularem absolvere excommunicatos ab Episcopo, ut habetur in Trident. sess. 24. cap. 16.

Quarto potest absolvere delegatus ab habente jurisdictionem ordinariam, ut habetur in cap. *Pastoralis, de Officio Ordinarii*; dummodo delegans non sit jurisdictione privatus, quando debet delegatus absolvere, ut docent communiter Doctores; siquidem jurisdictione delegati non est alia, quam delegantis; Quare in articulo mortis ex delegatione juris potest quilibet Sacerdos a censuris absolvere; Et extra mortis articulum Superiores nostræ Societatis, & ex eorum speciali delegatione etiam alii absolvere possunt etiam externos excommunicatos ab homine generaliter in foro conscientiæ, non tamen nominatim excommunicatos, ut habetur in compendio privilegiorum V. *Absolutio*.

Quinto demum potest absolvere Judex appellationis; qui tamen, ut ea potestate legitime utatur, servare debet modum in jure præscriptum, videlicet ut non absolvat, nisi prius constiterit censuram fuisse inique latam; alioquin relinquere debet, quod absolutio conferatur a judice, qui illam tulit, nisi vel sit periculum in mora, vel ille impendere eam nolit, ut Canonista docent.

Ubi etiam notandum, in casu appellationis posse abolutionem conferri etiam a judice, a quo appellatum est, sive talis judex sit ordinarius, (de quo est communis opinio) si ve sit delegatus, ut putat Suar. disp. 7. sect. 2. cum aliis contra nonnullos, qui cum Sayr. docent, jurisdictionem delegati per appellationem cessare. Ratio est, quia judex sive ordinarius, sive delegatus per appellationem faciat

etiam

Etiam Superiori non amittit suam jurisdictionem quoad ea, quæ appellationi non obstant; atqui non obstat absolutio appellationi; cum propter absolutionem interponatur appellatio; ergo potest judex, a quo appellatum est, etiam post appellationem absolvere.

XI. Infertur ex dictis primo, excommunicatum a proprio Episcopo, etiamsi domicilium mutet, non posse absolviri ab Episcopo, in cuius Diœcesim domicilium translulit, sed debere a priore Episcopo, vel ejus superiori, aut successore, aut delegato absolviri, si excommunicatio fuit specialis. Ita Doctores communiter, ex cap. *Propositi*, de foro competenti apud Con. dub. 16., & Suar. disp. 7. sect. 2. Ratio est, ne Judicium jurisdictionis perturbetur, eorumve auctoritas contempnatur. Quod si excommunicatio lata fuerit per sententiam generalis, potest probabiliter absolviri ab alio Episcopo, in cuius Diœcesim domicilium translulit; immo etiam a Parrocho, atque adeo etiam a quolibet Confessario, qui possit absolvere a mortalibus, si censura non sit reservata, ut docet Laym. part. I. cap. 7. ex citat. cap. *Nuper*.

Infertur secundo, quod si excommunicatus ab homine per sententiam generalis, vel per statutum Religionis ingrediatur, possit a Prælato Religionis absolviri: Contra vero si sit excommunicatus per sententiam specialem, secluso privilegio; nam ratione causa inchoata in tali casu jurisdictione maneret penes priorem Judicem, a quo fuit excommunicatus: Habetur enim regula generalis in cap. *Propositi*, de foro competenti, quod *Præventus a judice forum ipsius in ea causa declinare non potest*.

Infertur tertio, quod si Advena Nolanus, exempli gratia, incurrat Neapoli excommunicationem latam

per sententiam specialem ratione delicti Neapoli commissi, non possit ab Episcopo Nolano, sed solum a Neapolitano absolviri; secus vero si excommunicationem latam per statutum incurreret.

Advertit hic Con. num. 259., quod si tam Episcopus, quam subditus excommunicatus existant extra propriam Diœcesim, possit Episcopus suum subditum absolvere; quia potest extra territorium exercere jurisdictionem voluntariam, seu gratissimam, quæ fit sine strepitu judiciali, ut docent communiter cum Covarr.

Rogabis: Si excommunicatus per sententiam specialem non possit exlegitimo impedimento adire latorem censuræ, & paratus sit debitam satisfactionem præstare, poteritne ab alio aequali, vel ab inferiore Judice absolviri?

Respondeo, ex cap. *Quamvis*, de *Sententia excommunicationis* affirmative; dummodo det prius juramentum, quod, quamprimum poterit, ei se prætentabit, cui de jure absolutione competebat.

### ARTICULUS III.

Quot modis absolutio a Censura conferri possit?

I. *Absolutio a censuris dari potest vel conditionate, vel ad causam, vel ad reincidentiam.*

II. *Cur censura ferri possit sub conditione de futuro, non tamen absolutio a censura regulariter?*

III. *Num sine nova culpa possit aliquis in priorem excommunicationem recidere?*

IV. *Qui tenetur adire Pontificem pro absolutione, si impedimento laborret, poterit adire per Procuratorem, vel per Epistolam, sed adid non obligatur.*

V. Ab-

V. *Absolutus ad reincidentiam ab Inferiore, nisi intra mensem, verbi gratia, satisfaciat, num teneatur Papam adire pro absolutione, si satisfecerit intra illum mensem?*

I. Quæritur primo; Quotupliciter dari possit absolutio a censura?

Respondeo quadrupliciter, videlicet vel absolute, vel conditionate, vel ad cautelam, vel ad reincidentiam. Primo datur aliquando absolutio *Absolute*, & simpliciter, quando scilicet reus emendatus absolute liberatur.

Secundo datur *Conditionate*, ita ut purificata conditione reus sit omnino liber a censura: Verbi gratia, si absolvatur Titius statim ac parti læsæ satisfecerit, parte satisfacta remanet absolutus. Nonnulli cum Antonin., Sylvest., & aliis apud Dian. part. 5. tract. 9. resol. 14. dixerunt, absolutionem sic collatam sub conditione de futuro esse invalidam, non secus ac absolutio a peccatis data sub conditione de futuro. Sed Covarr., Nav., Con. num. 218., & alii communiter id negant, si detur sub conditione de futuro pertinente ad causam; quia absolutio sic data nullo jure irritatur, nec prohibetur; ergo non solum est valida, sed etiam ex rationabili causa est licita; ut fuse diximus quest. I. art. 5. loquentes de censura lata sub conditione. Verum tamen est, quod si absolutio daretur sub conditione sine rationabili causa, esset illicita; tum quia contra usum Ecclesiæ daretur; tum etiam quia relinquetur iudicio censurati decernendum, an purificata esset conditio, & consequenter an dici deberet absolutus, ut notat Villalob. apud Dian. loc. laud.: Contra tamen absolutio a peccatis non solum est illicita, sed etiam invalida, si conferatur sub conditio-

ne de futuro; quia positis omnibus constitutivis Sacramenti, non potest effectus sacramenti suspendi, ut diximus in de Sacramento matrimonii; Ubi notavimus ex Perez, posse Sacramentum matrimonii confici sub conditione de futuro, non solum quia hoc fert natura contractus elevati a Christo Domino ad rationem Sacramenti, sed etiam quia contractus sub conditione celebratus tunc habet rationem contractus absoluti constituentis Sacramentum, quando purificatur conditio; & consequenter neque in tali casu suspenditur effectus Sacramenti matrimonii positis omnibus suis constitutivis.

II. Inquirit hic Suar. num. II. quare possit licite ferri censura sub conditione de futuro pertinente ad causam; absolutio vero a censura non licite conferatur sub eadem conditione, nisi ex rationabili motivo; (quod tam raro accidit) Etenim vel quando datur absolutio a censuris, reus est dispositus, vel non; Si primum, non debet absolutio differri, quoisque purificetur conditio; Si secundum, absolutio simpliciter non est danda, ne sub conditione quidem.

Respondeat idem Suar., disparitatem esse; quia cum peccata occulte fiant, & a peccatoribus plerumque abscondantur, expedit aliquando ea puniri ipso facto, & sic minari censuram ipso facto incurriendam sub ea conditione, quod tale peccatum committatur, ut sic facilitas peccandi coercentur: Contra vero, cum satisfactio, seu resipiscientia per se loquendo non abscondatur, non est opus dare absolutiōnem sub conditione resipiscientiæ, vel sub alia conditione de futuro, sed statim post resipiscientiam dari debet absolutio absoluta. Dixi per se loquendo, cum possit accidere casus, in quo licite detur sub conditione de futuro, si scilicet excommunicatus debeat abire

ire in regionem longinquam, & non possit, nisi post mensem, verbi gratia, satisfacere, ne se infamet; tunc certe dari potest absolutio sub conditione, quod intra mensem satisfaciat.

Neque dicas, in Regula 50. juris in 6. habetur, *Quod actus legitimi conditionem non recipiunt*; ergo absolutio nunquam dari potest sub conditione. Nam contra est, quia ibi non est sermo de omnibus, sed de quibusdam actibus legitimis, qui enumerantur in leg. *Actus legitimi*.

Dubitatur; Num absolutio sub conditione de futuro ad causam impertinente sit valida? Verbi gratia, Absolvo te, si cras pluet.

Suar. disp. 3. sect. 3. cum Filliac., Ugolin. aliisque communiter putat esse invalidam, ut diximus quæst. 1. art. 5. de censura lata sub ea conditione; quia scilicet talis absolutio contineret intolerabilem errorem, & abusum potestatis Ecclesiasticae, dum vellet absolvens ejus effectum pendere a futuro contingenti nullatenus ad rem pertinente. Ex cap. autem *Per tuas, de sententia excommunicationis* habetur, quod invalida sit censura lata, nec non absolutio continens errorem intolerabilem.

Sed Bonac. punct. 7. ex Con. putat esse validam, nec continere intolerabilem errorem; nam sicut non est invalida, nec continet talem errorem absolutio data sub conditione impertinente de præterito, vel de præsenti, (quod adversarii concedunt) verbi gratia, Absolvo te, si heri, vel nunc pluit in Indiis; ita nec absolutio data sub conditione impertinente de futuro: Quamvis enim utraque contineat aliquem abusum Ecclesiasticae potestatis, non tamen errorem intolerabilem; qui certe continetur in inflictione censuræ sub tali conditione: Plura enim requiruntur ad ligandum.

quam ad solvendum; ergo, &c. Evidem sententiam Suar. existimo probabiliorem.

Tertio, datur aliquando absolutio *Ad Cauelam*; quando enim ignoratur, an quis censuram incurrit, & absolvens vult cavere damno, quod ex censura ignota provenire posset, tunc datur illi absolutio ad cauelam. Hinc ante solutionem sacramentalem præmitti ad cauelam solet abolutio a censuris, etiamsi nulla suspicio fit, quod poenitens censuram incurrit; idque in reverentiam Sacramenti, ne impediatur ejus susceptio a censura aliqua forte ignorata. Præmitti etiam solet ante susceptionem Ordinum, ante beneficiorum, aliorumque privilegiorum collationem, ne hæc invalida postmodum inveniantur. Notant vero Doctores, quod præsupponi debet ignorantia censuræ in petente, ut possit conferri sic absolutio, ex cap. *Solet, de sententia excommunicationis in 6.* Quia tamen absolutio ad cauelam peti potest vel in foro conscientie, vel in foro externo, sciendum, quod si petatur in foro conscientia, standum est dicto petentis, qui promittit se satisfactum, si forte consenserit esse censura innodatum; ut docet Savr. lib. 2. cap. 16.: Si vero petatur in foro externo, distinguendum est; nam vel petitur generatum absolutio a censuris, quando nullius in particulari suspicio habetur, & procul dubio concedenda est; vel petitur absolutio ab aliqua speciali censura ad cauelam, & tunc præmittenda est aliqua cognitio causæ. Et absolvendus debet faltem semiplene putare, se non esse illa censura innodatum; vel quia, verbi gratia, sententia continet errorem, vel quia lata fuit post legitimam appellationem interpositam, vel ob aliam causam; ut docet ex multis iuribus, & Doctoribus Pal. disp. 1. punct. 11.

Ro-

Rogabis: An possit absolutionem concedere ad cautelam, non solum Ordinarius, de quo nemo dubitat, sed etiam delegatus?

Respondeo cum Laym. num. 9. ex Suar. lect. 8., & Ugolin., delegatum tunc solum posse ad cautelam absolvare a censuris, quando necesse est, ut testimonium alicujus recipiatur ad praesentem causam decidendam; (quia scilicet aliorum testimonia haberi nequeunt) non tamen posse ad alios fines absolvare ad cautelam, puta ad collationem beneficii, &c.

Quarto demum concedi solet absolution ad Reincidentiam, ita scilicet, ut nisi absolutus rem injunctam intra praefixum terminum exequatur, in eandem censuram incurrat. Ita in Cap. *Eos qui, de sententia excommunicacionis in 6.*; ubi dicitur, quod absolutus ab eo, qui de jure non poterat ob legitimum impedimentum, si postea, cum commode possit, coram suo iudice non compareat, paratus exequi ejus mandata, in eam reincidit excommunicationem: Ubi advertit Laym. cap. 7. ex Sanch. lib. 2. Moralium cap. 17., non posse excommunicatum reincidere in eandem numero, sed solum in similem excommunicationem, atque adeo in eandem moraliter.

III. Quæritur secundo; An possit quis in priorem censuram reincidere absque nova culpa?

Respondeo, ab omnibus admitti, quod id fieri possit a Pontifice, si expresse velit, quod Titius, verbi gratia, excommunicatus tantum per mensim liber sit ab excommunicatione: Verum quando nihil Pontifex exprimit, & quando censuræ feruntur ab aliis Pontifice inferioribus, putant Suar. disp. 7. lect. 8., Hurt. disp. 14. de excommunicat. diff. 3., quod possit quis mere ob culpam præteritam in eandem excommunicationem reincidere; Si enim pena temporalis, puta e-

Pars VIII.

xili, potest pro aliquo tempore suspendi, quidni etiam pena spiritualis? Sed communius cum Pal. disp. 1. punct. 11., Navar., Henr., Leand., Dian. part. 5. tract. 9. resol. 15. negant; quia censura ex sui institutione est pena medicinalis; atque adeo semel sublata nequit absque nova causa, seu absque actuali inobedientia, & contumacia iterum infligi: Ad quid enim infligeretur? Non est idem de pena temporali, quæ in puram punitionem, non in medicinam infligitur.

Advertendum tamen, absolutionem ad reincidentiam aliquando dari in ordine ad aliquem tantum effectum, puta, ut censuratus sit capax alicujus beneficii, vel ut impletat præceptum confessionis, & communionis annuæ, ut lucretur jubilæum, &c., ita ut transacto tali actu statim redeat in eandem censuram. Hac tamen absolutio non est proprie a censura, sed ab aliquo effectu censuræ; unde non est mirum, quod sine nova culpa iterum incurritur præcedens obligatio. Ceterum solus Pontifex potest hoc modo absolvare ad reincidentiam, uno casu excepto, quando scilicet necesse est, ut aliquis censuratus testimonium dicat, eo quod non possit alia via veritas comprobari; in hoc enim casu quilibet Judex, etiam delegatus, potest absolvare reum ad hunc dumtaxat effectum, ut docent communi- ter Doctores cum Laym. cap. 7. ex Cap. *Veniens, de testibus.*

IV. Quæritur tertio; An obligatio- ni comparandi cessante impedimen- to coram Pontifice, vel legitimo iu- dice, satisfaciat quis, si compareat per Procuratorem, aut per Episto- lam?

Respondeo, Pal. disp. 1. punct. 11. cum Ugolin., & aliis negare; quia scilicet, si posset per procuratorem, aut per epistolam comparere, non esset expectandum, quod ceterum im-

H pe-

pedimentum, ut compareat; nam eo durante posset per epistolam comparere. Alii tamen cum Sayr., Navar. apud Leand. quæst. 21. affirmant; quia juxta regulam Juris, *Quod per alium facis, per te ipsum facere videbis*; quamvis in percussione Clerici requiratur præsentatio personalis, quia sic exprimitur in jure.

Utrum autem, si possit per Epistolam comparere, aut per Procuratorem, ad id teneatur? Bonac. quæst. 3. punct. 2. affirms, quia non est credibile, quod Papa velit ab Episcopo absolutionem impendi, quando haberi potest recursus ad ipsum per epistolam; ut dicitur, cum de impedimentis matrimonii. Sed verius negat Henr. lib. 12. cap. 3.; quia nemo tenetur uti privilegiis; est autem privilegium, quod possit censuratus per epistolam recurrere ad Pontificem pro absolutione, quando non potest personaliter comparere.

V. Quæritur quarto; An qui ab inferiore absolvitur ad reincidentiam ob aliquod impedimentum legitimum a censura Papæ reservata; ita ut nisi intra mensem parti satisfaciat, reincidat in censuram; si deinde ante terminum præfixum satisfaciat, teneatur adhuc se præsentare Papæ?

Respondeo cum Leand. quæst. 20., Navar., & aliis contra Cordub., & Rodriq. negative; quia scilicet in tali casu cessat finis talis obligationis, quæ imponitur in cap. *Eos qui*: In foro autem præsertim conscientiæ magis attendendus est finis, quam verba præcipientis, ex cap. penult., de regul. *juris in 6.* finis autem comparendi Papæ est, ut satisfaciat parti; ergo parte satisfacta non est amplius comparendum; præsupposita jam absolutione habita ab inferiore pro quanto habebat talem facultatem. Quod si ad instantiam partis sit aliquis excommunicatus, & deinde parti satisfaciat,

non est liber a censura, donec absolvatur, ut supra diximus art. 1., quia ad tollendam censuram requiritur jurisdictionis.

#### ARTICULUS IV.

Quandonam absolutio a Censuris valeat pro foro externo?

- I. Num absolutio a censuris virim habet, aut Privilegii collata valens etiam pro foro externo?
- II. Si detur facultas absolvendi a censuris, Auditis confessionibus, vel pro foro conscientiæ, non præreqüitur ad illam confessio sacramentalis.
- III. Neque si dicatur dari facultas absolvendi pro foro paenitentia.
- IV. Mendicantes privilegiati non debent absolvere a censuris reservatis, si probabiliter deducenda sint ad forum judiciale, aut cum offensione Ordinariorum.

- I. Quidam censuris data vi jubilæi, aut Bullæ Cruciatæ, aut alterius privilegii valeat etiam pro foro fori?

Respondeo cum Suar. num. 21., Laym., & aliis communiter, quod quando in Bulla non exprimitur, quod absolutio concedatur tantum pro foro interiori, nec ex circumstantiis (puta ex materia subjecta, ex modo concessionis, aut ex antecedentibus, & consequentibus) id deducitur; tunc intelligatur concessa pro utroque foro. Ratio est, quia ex una parte beneficium Principis, seu gratia latissime interpretanda, ex leg. *Beneficium*, si de constitut. *Principum*; ex alia parte extensio absolutionis ad forum externum non est adeo specialis, & extraordinaria, ut non possit sub generali clausula comprehendendi.

Quod si absolutio solum concedatur

tur pro foro interiori, tunc, ut notat Suar. num. 30. primo potest Ecclesiasticus Judex causam cognoscere, & imponere satisfactionem publico, & contentioso foro accommodatam, non obstante absolutione, & penitentia imposta in foro penitentiae; Etenim diversus est finis utriusque fori; forum internum ordinatur ad bonum privatum Rei; at externum ordinatur ad bonum commune, atque ad exemplum, & emendationem aliorum; unde non potest impediri pena publica ab emendatione, & punitione privata delinquentis; nam hoc vergere posset in grave nocumentum Ecclesiae. Secundo, post absolutionem datam pro foro interiori, debet etiam aut dari alia absolutio pro foro externo, aut eadem data pro foro interno debet declarari, & comprobari pro foro externo per attestacionem confessarii, sive coram judice, sive scripto; ad petitionem tamen penitentis, si intra Sacramentum absolutus fuerit.

Ex dictis sequitur, quod quando excommunication, verbi gratia, est occulta, & absolution fuit data pro foro conscientiae, excommunicatus est omnino liber a censura, & potest post absolutionem se gerere ut non excommunicatum; si vero excommunication fuit publica, vel fit publica post absolutionem datam in foro conscientiae, eo quod ad forum judiciale deducatur, ita ut constet de ea incursa; tunc etiam post absolutionem habitam in foro conscientiae debet ille se gerere in actionibus externis ut excommunicatum, ad scandalum vitandum, & ne aliis peenis subjaceat, que illi imponi possent ob actus exercitos cum censura praesumpta; Idque quoisque publice constet de absolutione habita vel tempore Jubilaei, vel ab habente potestatem absolvendi ex aliquo privilegio; dummodo publice etiam ex-

hibita sit satisfactio, que parti danda est. Quod si censura non solum sit publica, sed etiam per Cedulones sit juridice nominatim denunciata, tunc debet pariter coram judice probari absolution habitam in foro conscientiae. ut ille declaretur absolutus; Quamvis, ut notat Suar. tom. 4. de Religion. lib. 9. cap. 2. Judex non teneatur admittere absolutionem datum in foro conscientiae, nisi ex quadam aequitate; cum usus, & consuetudo ferat, quod judex Ecclesiasticus non teneatur servare privilegium ullum in foro exteriori, nisi per ipsum privilegium ad id expresse compellatur.

II. Quæritur secundo; An quando datur facultas absolvendi aliquem a censuris, Auditis confessionibus, seu in foro conscientiae, aut penitentiae, ut concedi solet in Brevibus Apostolicis, & in Bulla Cruciatæ, tunc valida sit absolution, si extra Sacramentum, non audita confessione, conferratur?

Respondeo affirmative cum Coninck Trullench, Bardi, Sanch. lib. 8. de Matrim. disp. 34., Dian. part. 3. tract. 2. resol. 20.; qui idem docet de dispensationibus super irregularitate, voto, juramento, &c. Ratio est, quia quando dicitur posse dari absolution a censuris, audita confessione, non est sermo de confessione Sacramentali, seu in ordine ad absolutionem a peccatis, sed de confessione facta in ordine ad absolutionem a censura: Et enim confessio tam prærequiritur ab absolutioni Sacramentali, quam cuilibet impositione penitentiae proportionatae tali absolutioni; prærequiritur tamen tali absolutioni confessio, sed non Sacramentalis; atque adeo extra Sacramentum dari potest absolution a censuris, etiam in casu adducto. Et ratio a priori est, quia absolution a censura non exigit ex natura sua con-

H 2 fessio-

fessionem Sacramentalem, nec ullam cum ea connexionem habet. Quod si delegari solet talis facultas Confessario, id ex eo est, quia confessarius in quantum talis videtur idoneus ad impertiendam talem absolutionem, non quia debeat in foro Sacramentali illam conferre; esto soleat in foro Sacramentali conferri. Idem dicas de aliis formulis; Nam dum conceditur facultas absolvendi aliquem a censuris pro foro conscientiae, sensus est, quod absolvi possit pro foro interno secreto, & privato, quod opponitur foro contentioso, & publico; non vero fit sensus, quod absolvi possit solum in foro Sacramentali; siquidem, ut diximus, absolutione a censuris nullam habet connexionem cum Sacramento.

III. Demum dum dicitur, posse quis absolvi pro foro pœnitentiae, non est sensus, ut notat Lezana, quod absolvi tantum possit pro foro Sacramentalis pœnitentiae, sed pro foro conscientiae, seu secreto, injungendo in conscientia pœnitentiam, ut advertit Suar. num. 33.; Cum enim duplex detur pœnitentia, una Sacramentalis, altera non Sacramentalis, non est cur forum pœnitentiae arctari debeat ad pœnitentiam Sacramentalem. Nihilominus Suarez disp. 7. de Censur. n. 36. Vasq. Nav. & alii censem, quod si facultas ad absolvendum a censuris auditis Confessionibus, seu pro foro pœnitentiali detur, ut per talem absolutionem disponatur reus ad absolutionem Sacramentalem, ut accidit in Jubilæis, non debeat absolutione a censuris extra Sacramentum conferri; quod ipsa praxis confirmat.

IV. Advertit hic Laym. cap. 7. num. 7. Religiosos privilegiatos cavere debere, ne absolvant a reservatis casibus, & censuris notoriis, si ad fori judiciale deducenda sunt, aut probabiliter deducenda putantur; ut in-

dicatur in compendio privilegiorum Societatis V. *Absolutio*, ubi dicitur; Caveant Superiores, ne in usu hujus facultatis Ordinarios offendant; & admoneant pœnitentes, absolutionem a censuris, si quam impendent, nihil prodesse in foro exteriori.

#### ARTICULUS V.

De Requisitis ad absolutionem  
Censuris.

- I. In absolvente a censuris requiri Clericatus.
  - II. Num possit Laicus moribundus a censuris absolvere, deficiente Clerico?
  - III. Num quilibet Clericus, aut familiem Diaconus, id possit in absentia Sacerdotis?
  - IV. Censura per metum gravem extra est valida; non tamen absolvit a censura.
  - V. Si absolutione extorqueatur per dolum, & errorem circa causam finalem, est invalida; Secus vero si per errorem circa causam impulsivam.
  - VI. In absolvendo nonnulla requiruntur, ut valida, nonnulla, ut licita sit absolutione.
  - VII. Cur possit Superior secundum dispensare in votis, aut juramentis; sicut potest cum aliis; non potest tamen semetipsum a censuris absolvere eo pacto, quo potest alios?
  - VIII. Absolutio regulariter requirit presentiam absolvendi.
- I. **Q**uartitur primo; Quanam requirantur ex parte absolvendis, ut licite absolutione conferatur?
- Respondeo, primo requiri (præter jurisdictionem, circa quam nihil hic addendum) statum clericalem; nam Sacerdotium tunc solum requiritur, quando vel intra Sacramentum con-

cc.

ceditur absolutio, vel vi Bullæ, aut Privilegii concedentis talem facultatem Sacerdotibus. Et sane si Clericatus jure ordinario requiritur, & sufficit ad ferendam censuram, pariter requiritur, & sufficit ad illam tollendam.

II. Putavit Glossa apud Suar. sect. 6. cum Sylvestr. Angel., & aliis, & apud Dian. part. 5. tract. 9. resol. 7., posse laicum in articulo mortis absolvere moribundum a censuris in absentia Clerici; Nam sicuti quia quilibet Sacerdos capax est absolvendi a peccatis, ideo ex concessione Ecclesiæ quilibet Sacerdos absolvere potest moribundum ab omnibus peccatis, ut consulatur animæ illius; ita quia laicus capax est absolvendi a censuris, ideo potest pariter ex concessione Ecclesiæ absolvere ab illis moribundum, ut sic magis animæ illius consulatur; Etenim absolutio illius a censuris non solum fert, ut possit corpus Ecclesiastica sepultura donari, sed etiam ut anima particeps esse possit suffragiorum.

Verum Suar. num. 8., & alii communiter negant, hanc facultatem laicum habere, etiamsi multum conferat moribundo absolutio a censuris. Ratio est, quia neque ex jure aliquo, neque ex usu habemus, quod Ecclesia potestatem hanc laico concesserit; immo ex cap. *Decernimus, de judicis*, alienum a jure est, quod spiritualia per laicos ministrentur.

Nec quicquam probat ratio adducta; etenim quia pertinet ad salutem æternam animæ absolutio a peccatis, ideo ne moribundus pereat, Ecclesia dat facultatem absolvendi a peccatis unicuique talis facultatis capaci; atque adeo quilibet Sacerdoti. At absolutio a censuris non pertinet ad æternam salutem moribundi, nec trahitur ejus damnatio, si non absolvatur; & præterea potest ea conferri post mor-

tem; ergo non fuit opus, illam facultatem concedi cuilibet, qui esset capax.

III. Immo nec Clericus, nec Diaconus ipse potest in mortis articulo a censuris absolvere, juxta communem opinionem, nisi habeat specialem facultatem: Et quamvis Ugolin., & Paludan. apud Suar. loc. cit. probabiliter putent, Clericum, si sit judex Ecclesiasticus, (verbi gratia, Vicarius Generalis, vel Parochus nondum initiatus ordine Sacerdotali) posse in articulo mortis absolvere a censuris etiam non subditum; (nam de subdito nullum dubium est, quod possit) tamen probabilius, & communior sententia negat; Unde fit, solum Sacerdotem, præter Judicem Ecclesiasticum, posse in tali articulo absolvere a censuris; tum quia jura, quæ de hac concessione pro eo articulo loquuntur, semper nominant Sacerdotem, ut Trident. less. 14. cap. 7.; tunc etiam, quia consuetudo videtur esse, quod soli Sacerdotes moribundum absolvant a peccatis simul, & a censuris, si dat signum contritionis. Quod si ita sensibus sit destitutus, ut signum contritionis nullum det, absolvat illum dumtaxat a censuris absolute, & conditionate illum absolvat a peccatis, juxta dicta in tractatu de Sacramento Pœnitentiarum.

IV. Secundo requiritur, ut absolutio non extorqueatur per vim, aut metum. Quare absolvens debet esse liber a coactione: Quamvis enim jure naturali absolutio per vim, aut metum extorta non sit invalida; quia quæ fiunt coactæ, adhuc libere, & voluntarie fiunt; unde valida est censura per metum lata, ut supra diximus quæst. i. art. 2., tamen jure positivo talis absolutio irritatur, ex cap. unico, de iis, qua vi, metusve causa fiunt in 6. Immo sic extorquentes absolutionem nova excommunicatione ligant.

ligantur, ut in eodem Cap. habetur, Et idem dicas, si solum sub conditione Iudex censuram tulerit, & ante conditionem impletam per vim, aut metu cogeretur revocare Sententiam, ut notat Suar. disp. 7. sect. 6.

Notandum tamen ex eodem Suar, quod vis, vel metus debet esse gravis cadens in constantem virum: & præterea requiritur, quod per injuriam inferatur, etiam ab Ethnico inferretur. Quare si Jūdex absolutiōnē impendat, metuens ne a Deo puniatur, si non absolvat, aut metuens, ne pœnitens sibi in posterum non conferat beneficia; cum hujusmodi metus non sint injuriosi, seu injūsti, absolutiōnē non irritant. Ratio autem, quare censura per metum gravem lata sit valida, non vero absoluſio ſic extorta, in eodem art. 2. a nobis est adducta.

Ultimo absolutio extorqueri non debet per dolum, aut errorem; quia injuria irrogaretur Superiori, a quo ſic extorqueretur.

V. Difficultas tamen est; Sitne invalida, an ſolum illicita absolutio per dolum extorta?

Distinguit Bonac. quæſt. 3. punct. 8. ex Sanch., Suar., Filliuc. Si enim dolus, ſeu fraudus veretur circa causam finalem, ſeu principalem, absolutio est invalida, utpote per surreptionem obtenta, ut habetur in cap. *Officii*, de *Sententia excommunicationis*; feci vero ſi veretur circa causam impulsivam. Quare qui, verbi gratia, mentiendo dicit Jūdicis ſatisfecit parte laſſe, aut dicit Confessorio, ſe eſſe impotentem ad ſatisfaciendum, & habere propositum obediendi Ecclesiæ, invalida a censuris absolvitur; quia absolvens non intendit absolvare, niſi subſilente cauſa finali expreſſa; ut patet ex laud. cap. *Officii*; Et idem dicas de haeretico, qui ſe fingens converſum petit absolutiōnē: Secus ve-

ro ſi dolus ſit circa cauſam impulsivam; Verbi gratia, ſi mentiendo dicat ſe plures eleemosynas erogasse ad absorptionem obtinendam; in tali enim cauſu absolutio eſt valida, quia adhuc cum tali mendacio vere ſubſtitit cauſa principalis Jūdici propoſita.

VI. Quæritur ſecundo; Quenam requirantur ex parte absolvendi, ut poſſit licite absorbiōnē confeſſi.

Respondeo. primo requiri, ut ſit ſubditus absolventis; aliter hic careret jurisdictione requiſita. Ex quo fit, quod poſſit aliquis absolvī a delegato; quia eo ipſo, quod eſt delegatus, habetur, ut poſſit illi ſponte sua censuratus ſubdi in ordine ad effectum absorptionis; Fit etiam, quod nemo poſſit ſeipſum absolvere; quia nemo eſt ſibi ſubditus, aut ſuperior.

VII. Et ſane poſteſt Superior diſpenſare erga ſe, ſicut poſteſt erga alios, ſed non poſteſt erga ſe ferre censuram, aut absorptionem, ſicut poſteſt erga alios ſibi ſubditos. Ratio eft, quia absorptioni eft actus judicialis, qui debet eſſe formaliter a Superiori: Contra vero diſpenſatio aut in votis, aut in aliis obligationibus legitime habetur per interpretationem voluntatis divinæ, aut alterius legislatoris creati, quæ in tali, vel tali cauſa non creditur velle obligare; unde ſicut diſpenſat Superior in votis aliorum, ita in propriis: At ſi censuram incurrat, debet alteri, ſi poſteſt, potestatē dare, ut absolvatur; ſicut Pontifex ipſe, ut absolvatur, debet alteri jurisdictionem confeſſi.

Secundo requiritur, ut absolvendus absorptionem petat, & ostendat ſe eſſe correctum; aliter illicite, quamvis valide, absolveretur; Etenim poſteſt etiam invitus absolvī a censura, ſicut & ab alia pœna liberari, ſed non expedit, niſi in aliquo cauſu hoc videatur ad bonum publicum pertinere,

ut

ut explicat Suar. disp. 7. sect. 7. : Ubi adverte, quod solum habens potestatem ordinariam possit valide absolvere invitum, non vero habens potestatem delegatam, in foro conscientia; nam respectu hujus requiriatur consensus personæ absolvendæ, quæ voluntarie se subjiciat in tali foro; aliter non est subditus, ut requiritur ad validitatem absolutionis.

Demum requiritur præsentia personæ absolvendæ, si fieri potest sine gravi incommodo, ut convenienter detur absolutio; aliter mittenda facultas alicui, ut illum præsentem absolvat, vel si ibi nemo adsit idoneus, absolvendus mittendus est ad aliquem loci vicinioris, a quo absolvatur: Quod si neque hoc fieri possit, poterit tunc absoli absens; nam sicut absens censurari potest, ita & absolvit: Tunc autem intelligeretur reguliter absolutus, quando recipere literas continentis absolutionem, nisi aliter constaret de mente absolventis. Ubi advertit Bonac. punct. 4., quod Confessarius, qui aliquem absolvit ab excommunicatione reservata, a qua non poterat absolvere, possit deinde, obtenta facultate, absolvere ab illa absentem; non enim est necesse, ut absolutionem acceptet, cum haec pendeat tantum ex intentione absolventis, statimque effectum suum pariat juxta mentem illius.

## ARTICULUS VI.

De forma, ritu, ac solemnitate absolutionis.

- I. Ad ferendam absolutionem a censura non requiruntur verba determinata; conferri tamen ea debet vel verbis, vel scriptura, non tamen nutibus.
- II. Num possit his verbis, Absolvo te, conferri absolutionem a censuris simul, & a peccatis?

- III. Aliquando exprimenda est causa censura ab Absolvente.
- IV. Plura spectant ad ritum accidentalem in judiciali absolutione a censuris.
- V. Quid servandum in foro Sacramentali?

I. **Q**uæritur primo; Utrum ad formam substantialem absolutionis requirantur verba determinata? Respondeo, ad absolutionem conferendam non requiri certam formam verborum, sed sufficere quæcumque verba seu ore prolatæ, seu scripta, quæ significant absolutionem. Ita Suar. & communiter omnes Doctores. Ratio est, quia nullo jure probatur, quod requiratur certa forma; Ex altera parte cum absolutio detur inter homines, debet dari humano, & sensibili modo, atque adeo per verba, vel scripturam, non tamen per nutus, aut per alia hujusmodi signa; quia hoc esset contra formam juris communis, ex Clement. ultim., de *Sententia excommunicationis*. Et ratio est, quia hujusmodi signa sunt valde incerta. Solus Pontifex posset per nutus, aut alia signa absolvere; quia supremam habet potestatem, & facultatem absolvendi, non servata formam juris communis. Ita Bonac. punct. 5., Sanch., Suar., aliquique contra Salas; qui probabiliter putat, validam esse, licet illicitam, absolutionem a censura datum per nutus, etiam si a Prælato inferiori Pontifice conferatur.

II. Hinc sequitur, ad formam substantialem absolutionis a censura pertinere verba, vel scripturam, quæ absolutionem significant: Hæc autem verba possunt satis esse, Absolvo te, vel Reconcilio te Ecclesiæ, vel Restituo te Sacramentis, aut quid simile. Adde, illa verba, Absolvo te, satis etiam esse ad absolutionem a censuris, & peccatis simul, si proferantur ea in-

intentione, ut utraque simul absolutio conferatur. In quo casu utraque absolutio esset in eodem instanti, sed absolutio a censuris esset prior natura absolutione a peccatis. Consultius tamen est, ut Confessarius expresse unam absolutionem alteri præmittat, dicendo saltem, Ego te absolvo ab omnibus censuris, & peccatis tuis.

III. Dubitatur; An in forma absolutionis exprimi debeat causa censuræ, dicendo, verbi gratia, Absolvo te ab hac censura, quam contraxisti ob tale delictum? Communiter cum Suar. fect. 9. negant id requiri, per se loquendo; cum nullo jure præscribatur: Aliquando tamen id expedit: Si enim reus sit irretitus pluribus censuris, & superior velit illum ab una tantum absolvere, debet exprimere causam illius, ut constet a quanam absolvatur.

IV. Quæritur secundo; Quænam pertineant ad accidentalem solemnitatem, seu formam absolutionis?

Respondeo, ad ritum accidentalem in judiciali absolutione pertinere aliqua, quæ præcedant, alia, quæ comitantur, alia demum, quæ subsequantur.

Præcedere judicialem absolutionem debet primo petitio absolventis, ex cap. Per tuas, de *Sententia excommunicationis*; ubi dicitur: Nisi gratiam absolutionis imploret, non debet audiari, ne sententiam Ecclesiasticam contemnere videatur.

Secundo, satisfactio partis læsæ; si tamen non possit ea ponи, præcedere saltem debet cautio pignoratitia, vel fidejussoria, vel juratoria, ut supra diximus.

Tertio, in excommunicatione contracta ob enorme delictum præcedere debet absolutionem juramentum de stando mandatis Ecclesiæ, & quod simile delictum non amplius committetur. Quare hoc juramentum exiguntum solet a percussore Clericorum,

ab incendiario, &c. non vero in aliis levioribus delictis; neque ab impenitentibus, etiamsi graviter Clericum percuserint, ut docent Pal., Henr., lib. 13. cap. 29., & alii.

Comitantur absolutionem judicalem, quæ in jure statuta sunt pro singulis censuris; præsertim qua prescribit Innoc. III. in cap. *A nobis 2.*, de *Sententia excommunicat.*, & habentur in Pontificali Romano; videbiset, quod qui ab excommunicatione absolvitur, super nudatos humeros (modo non sit feminina) leviter cadant virga, flagello, aut fune, dum recitat Psalms Miserere: Quod si mortuus excommunicatus sepultus sit in loco sacro, satis est flagellare sepulchrum, quin exhumetur cadaver. Oratum habuit hæc cæremonia, quia servi dum manumitcebant olim, flagellabant virgis a Prætoribus; sic donec servi Satanae, dum a servitute liberantur per absolutionem, flagellantur ab absolvente; Omisso tamen talis ritus nec reddit invalidam absolutionem, nec graviter illicitam, ex Navar., Hurt., Pal.; nisi in aliquo casu ad specialem Ecclesiæ satisfactionem ea requirantur.

Subsequitur demum a publica, & denunciata censura absolutionem ejus publicatio, ut respectu aliorum finis absolutionis obtineatur; sicut enim nisi censura publicetur, alii non obligantur ad non communicandum cum excommunicato; ita nisi publicetur absolutionis, alii non eximuntur ab ea obligatione.

V. In foro autem sacramentali, quando quis a censuris absolvitur, non est opus servare hæc cæremonia. Advertit tamen Avil. 2. part. cap. 7. dub. 3., quod si confessio fieret in loco secreto, & posset talis forma adhiberi, expediret ita fieri, ut excommunicatus concipiat timorem, & reverentiam erga censuras; Aliter satis est dicere,

cere, In primis absolvō te a vinculo excommunicationis, quam incurristi ob fursum, verbi gratia, mihi dictū, & deinde prosequatur, & ab omni alio vinculo excommunicationis, suspensiovis, & interdicti.

## ARTICULUS VII.

Expediuntur reliqua, quæ ad Absolucionem a Censuris spectant.

I. Num remaneat a Censuris absolutus, qui retinet in Confessione Sacramentali peccatum, cui censura est annexa?

II. Si primitenda erat satisfactio partis, ea non pramissa, non est absolutus a censuris, quamvis ex oblivione peccatum illud omiserit.

III. Porest Episcopus pro foro conscientiae absolvēre a casibus Papalibus occulis. Num etiam ab occulis reservatis in Bulla Cœne? Num Episcopus, & Mendicantes Privilegiani absolvēre possint a sex illis casibus Clem. VIII., si sint occulti?

IV. Quodnam delictum dicitur occultum; quodnam vero publicum? Quid si delictum in uno loco sit occultum, & in altero publicum?

V. Impeditus adire Pontificem pro absolutione a casu Papali absolvī potest ab Episcopo. An possit etiam a confessario absolvī, si sit impeditus etiam adire pro absolutione Episcopum? Certe non potest a simplici Sacerdote absolvī directe; si neque Papam, neque Episcopum, neque Confessarium adire potest.

VI. Solum de licentia sui Superioris potest ab Episcopo absolvī Religiosus impeditus adire Pontificem.

VII. Prelati regulares possunt suos subditos absolvēre ab occulis Papalibus, prout possunt Episcopi. Et ab excommunicatione contracta ob percussionem Clerici etiam enormem.

Pars VIII.

VIII. Qui impedimento temporali labo- rāt, ne possint Pontificem adire, ab Episcopo absolvī possunt, sed cum onere adeundi Papam cessante im- pedimento.

IX. Quinam dicantur habere perpetuum impedimentum adeundi Pontificem, quinam vero temporale? Quinam possit absolvī cum onere per hoc precise, quod aliter carere diu de- beret gratia sacramentalis?

I. **Q**uartur primo; Utrum pœnitens remaneat absolutus a censuris, a quibus confessarius potest absolvēre, quando voluntarie retinet in confessione peccatum, cui scit annexam esse censuram, & petit a confessario absolutionem ab omnibus censuris, si forte indigeat, & quam confessarius concedit?

Respondeo cum Suar. sect. I., Filiiuc. num. 291., Bonac. punct. 6. quod vel confessarius habet facultatem absolvendi ab illa censura tantum in ordine ad confessionem, ut accidit in jubilæis, vel extra Sacramentum; Si primum, invalida esset absolutionis; quia in Sacramento Pœnitentia, per se loquendo, requiritur cognitio peccati, cui est annexa censura; ergo si voluntarie tale peccatum retinetur, absolutionis tam a peccatis, quam a censurā est nulla; Si secundum, valida esset absolutionis, si Confessarius haberet intentionem absolvendi illum ab omnibus censuris, a quibus potest. Verum quia confessarius non præsumitur habere intentionem absolvendi illum ab omnibus censuris, a quibus potest, quando illas pœnitens sine justa causa retinet; quia præsumitur habere intentionem absolvendi, quantum licite potest, nec potest licite a tali censura non manifestata absolvēre; ideo in tali casu pœnitens non remaneret absolutus ab illa censura; Sicut remaneret ab solutus, si tantum ex obli-  
I one

one, aut ex alia justa causa illam re-  
ticeret.

H. Hinc sequitur primo ex Bonac.  
loc. cit., Con., Avil., & aliis con-  
tra nonnullos, quod qui ex oblivio-  
ne omisit aliquod peccatum, cui est  
annexa censura, a qua poterat quidem  
valide Confessarius absolvere, non ta-  
men licite, nisi præmissa satisfaætione  
partis; etiam si Confessarius dixerit,  
illum absolvere ob omnibus censuris,  
quantum potest, non proinde rema-  
neat ab illa censura absolutus; quia  
non præsumitur, confessarium velle  
absolvere ab ea censura, a qua licite  
absolvere non poterat, satisfaætione  
non præmissa.

Infertur secundo, quod pœnitens  
generaliter absolutus ab omnibus cen-  
suris, & peccatis oblitis ab habente  
potestatem in reservata, si deinde re-  
cordetur aliquod reservatum, cui sit  
annexa censura, teneatur quidem il-  
lud subjicere clavibus, cum etiam ju-  
re divino requiratur integritas mate-  
rialis confessionis; at poterit a quolibet  
Confessario absolvî, quia per prior-  
rem absolutionem sublata fuit censura,  
& reservatio. Ita Suar. disp. 7. quæst.  
1., Leand. disp. 12. de Pœnit. quæst.  
16., Lugo, Mendo.

III. Quæritur secundo; Quænam  
sint censuræ, a quibus Episcopi pos-  
sunt absolvere?

Respondeo, Episcopos posse absolvire  
non solum a censuris a se latis,  
vel a Prædecessoribus; sed etiam ab  
omnibus censuris, & casibus papali-  
bus, dummodo casus papales sint oc-  
ulti, vel pœnitens sit legitime impe-  
ditus adire Pontificem, ut explicavim-  
us in de Pœnitentia, cum de casib-  
us reservatis; annotando, quod ex  
propositione 3. damnata ab Alex. VII.  
videatur inferri, non posse amplius ab  
Episcopis absolvî casus occultos in  
Bulla Cœnæ, ut fuse diximus in Tru-  
tina eam thesim exponendo. At pro-

babiliter possunt Episcopi absolvere;  
casibus papalibus occultis reservatis  
post Trident., ut est duellum, &c.,  
ut docet Suar. tom. I. tract. 3. lib. 4.  
cap. 61., & alii apud Bonac. quæst. 3.;  
quia scilicet Trident. dat Episcopis in-  
definitam facultatem absolvendi a cen-  
suris papalibus occultis, nec limitat  
hanc facultatem solum ad censuras præ-  
teritas ante ipsum Trident. refer-  
tas: Et consequenter docent, etiam  
Mendicantes posse a talibus censuris  
occultis absolvere, cum possint absol-  
vere a casibus Episcopo a jure refer-  
vatis; Pariterque possunt, sicut Epi-  
scopi, ita etiam Mendicantes absolve-  
re ab omnibus illis sex casibus Clem.  
VIII., si sint occulti, ut diximus pa-  
riter in Trutina loc. laud. Sunt autem  
sex isti casus Clementini, Violatio  
immunitatis Ecclesiastica, Violatio  
Clausuræ Monialium, Duellum, Per-  
cussio Clerici, Simonia realis, & Con-  
fidentia beneficialis; Ab his enim anno  
1602. Clem. VIII. vetuit, ne Regu-  
lares intra Italiam extra Urbem de-  
gentes absolverent.

Advertendum tamen primo, quod  
Episcopus solum pro foro conscientiæ  
possit a casibus papalibus occultis ab-  
solvere, & in sua Dioceesi, aut ad  
summum proprium subditum extra Di-  
cesim existentem; ut ex Trident do-  
cet Bonac. loc. cit., Sanch., Con.

IV. Adverte secundo ex Suar. disp.  
30. de Pœnit. fœt. 3. delictum dici  
occultum, quod non est publice diffi-  
matum, seu quod non est notum ma-  
jori parti vicinæ, vel communitatæ:  
Quare Fagund. de Præceptis Ecclesiæ  
docet, delictum dici in jure occultum,  
etiam si a quinque sciatur, vel si ita est  
deductum ad forum contentiosum, ut  
Reus ab eo sit absolutus ob defectum  
probationis: Dici vero publicum, si  
a sex, & in magna multitudine Civi-  
tatis, si a pluribus, quam sex sciatur,  
vel si est deductum ad forum conten-  
tio-

tiosum, & saltem uno teste probatum, nec reus sit adhuc absolutus, aut totaliter punitus. Utrum autem delictum in uno loco occultum, in altero publicum, absolvitur in eo loco, ubi est occultum? Affirmant Sanch., & Dian. contra Suar., saltem quando non est spes, quod delictum deferratur ad locum, ubi absolvitur.

Adverte tertio, quod eo modo, quo possunt ab his casibus Episcopi absolvere, potest pariter Vicarius Generalis, quia cum Episcopo unum Tribunal conflat; Et universim quando Pontifex concedit aliquam facultatem Episcopo, & non vult illam Vicario communicare, id exprimitur, ut in Trident. sess. 24. cap. 6. Et quia possunt in dictis casibus Episcopi absolvere, ideo, ut diximus, possunt pariter Religiosi privilegiati habentes casus, quos jus reservat Episcopis, non vero quos Episcopi sibi refervant.

V. Quæritur tertio; Utrum ligatus censura reservata Papæ, si non possit adire nec Pontificem, nec Episcopum, possit a Confessario absolviri cum eodem onere comparendi apud Pontificem cessante impedimento?

Respondeo, probabiliter posse. Ita Hurt., Granad., Cœlestin., & alii apud Dian. part. 5. tract. 14. resol. 58., & part. 9. tract. 7. resol. 10. Ratio est, quia ideo in jure datur Episcopis facultas absolvendi cum onere impeditos adire Pontificem, ne isti carant remedio absolutionis; atqui si impediti adire Episcopum non possent pariter cum eodem onere a Confessario absolviri, etiam carerent remedio absolutionis; ergo probabiliter possunt in tali casu a Confessario absolviri.

Nec obstat, quod textus loquatur solum de impeditis adire Papam, non vero de impeditis adire Episcopum. Nam textus loquitur de casibus, qui sepe accidunt; raro autem accidit im-

pedimentum adeundi Episcopum: Quia tamen in utroque casu militat eadem ratio, quod scilicet carerent remedio absolutionis, si non possent ab alio absolviri; ideo dicendum, quod sicut possunt ab Episcopo cum onere absolviri impediti adire Papam, ex facultate explicite concessa in jure Episcopis; ita pariter possint absolviri a Confessario impediti adire Episcopum, ex facultate Confessariis implicitè a jure concessa. Neque hinc sequitur, quod si quis sit impeditus adire tum Papam, tum Episcopum, tum etiam Confessarium, possit a simplici Sacerdote absolviri. Nam simplex Sacerdos caret simpliciter iurisdictione; Confessarius vero habet illam, licet restrictam propter reservationem; hæc autem restrictio in casu impedimenti censetur implicitè sublata propter rationem adductam; ex qua non deducitur, quod etiam conferatur simplici Sacerdoti iurisdictione requisita: Sicut enim lex non obligat pro eo casu, pro quo Legislator non censetur velle obligare; ita lex restringens Confessario iurisdictionem reservando peccata, & censuras, non censetur obligare in casu adducto impedimenti. At non per hoc simplici Sacerdoti confertur iurisdictio.

VI. Notandum hic primo ex Sanch. lib. 4. Sum. cap. 39., quod Religiosus exemptus possit tantum de licentia sui Superioris absolviri ab Episcopo a censuris Papæ reservatis in casu impedimenti; sicut etiam dispensari in votis. Ratio est, quia licentia sui Superioris non obtenta, non est subditus Episcopo, cum sit exemptus, & sic nulla est absolutio, & dispensatio; Sponte autem fieri subditum in his casibus de licentia Superioris non repugnat.

VII. Notandum secundo ex Leandro excommunicat. disp. 17. quæst. 72., Prælatos regulares post absolvire subditos ab occultis papalibus, non so-

I z lum

lum ratione suorum Privilegiorum, sed etiam vigore Trident., quia nomine Episcoporum in eo decreto veniunt etiam Prælati regulares, qui quasi Episcopalem jurisdictionem habent, & solum differunt ab Episcopis in consecratione, cum habeant suam quasi Dicecesim, domos, & provincias, & possint approbare ad confessiones suorum subditorum audiendas, quod est proprium Episcoporum, juxta Trident. sess. 24. cap. 15. Posse etiam Prælatos regulares absolvere suos subditos ab excommunicatione contracta ob percussionem Clerici, etiam enormem, virtute Privilegiorum, notavit Molin. disp. 60., Pal., Sanch. apud Pelliz. tract. 8. cap. 6. num. 191. Notandum tertio, quod juxta Navar., & Con. disp. 14. dub. 19. impeditus adire Papam non possit ab Episcopo absolviri, si possit adire Legatum, aut alium habentem privilegium absolvendi; quia in tali casu cessat finis concessionis factæ, ut possit ab Episcopo absolviri. Sed verius cum Bonac. punct. 2., Henr., & Avil. dicendum, quod posset etiam ab Episcopo absolviri; tum quia privilegia, & gratia sunt late interpretanda; tum etiam quia nemo tenetur uti privilegiis. Et hinc est, quod quamvis irretitus censura posset per Procuratorem, aut Epistolam adire Pontificem pro absolutione obtainenda, non teneatur; ut diximus art. 3. cum eodem Henr. lib. 12. cap. 3.

VIII. Notandum ultimio, quod habentes impedimentum temporale adiungi Pontificem absolviri debeant a censuris Papæ reservatis cum onere comparendi apud illum, cessante impedimento, sub pena reincidentiae in eandem censuram, ex Cap. *Mulieres*, & ex Cap. *Eos qui, de sententia excommunicationis in 6.*; Ubi quamvis tantum sermo sit de absolutione ab excommunicatione ob percussio-

nem Clerici, tamen, ut notat Suan. disp. 30. de Pœnit. sect. 3., paritate rationis, idem communiter docent Doctores, quando aliquis absolvitur ratione impedimenti temporalis ab aliis censuris reservatis etiam in Bulla Cœna: Contra tamen, quando quis absolvitur a censuris reservatis ratione impedimenti perpetui, absolvitur sine tali onere, quia fructus illud apponetur; cum impedimentum perpetuum cessare non possit. Denique qui in articulo mortis absolvitur a Confessario inferiore, tunc solum absolvitur a reservatis cum onere, quando est publice denunciatus, aut est publicus Clerici percussor; quia debet publice satisfacere mandatis Beccaria, ut possint tolli Cedulones, posseque licite cum aliis communicare. Quod si non sit publice denunciatus, nec publicus Clerici percussor, potest sine onere absolviri, ut multi Doctores docent cum Dian. part. 10. tract. 14. resol. 63. Et ratio est, quia Trident. dixit, nullam esse in articulo mortis reservationem; unde quoad hoc correxit jus antiquum, dum non meminit talis oneris.

IX. Petes hic; Quinam dicant habere impedimentum perpetuum adiungi Papam, & quinam tempore?

Respondeo, habere perpetuum impedimentum perpetuo debiles, feminas, impuberes, regulares, filios-familias, senes sexagenarios, mancipia, pauperes, in carceribus, vel tremibus detinendos per decennium, aut quinquennium, ex Tambur. in Decalog., quia tempus adeo diuturnum censetur perpetuum. Et idem dicas de iis, qui sine gravi damno spirituali, aut temporali proprio, aut alieno adire Romam aut nunquam poterunt, aut per decennium, &c. Habent vero impedimentum temporale, qui infra tale tempus his

his impedimentis laborant: In quo casu ex Leg. *Quamvis de Sententia excommunicationis* possunt directe absolvvi, cum onere tamen adeundi Pontificem cessante impedimento, non quidem ut iterum a reservatis Sacramentaliter absolvantur, sed ut stent ejus mandatis: Absolvvi vero possunt indirecte a reservatis tam ii qui urgentur necessitate communionis, quam ii, qui nisi hic, & nunc absolvantur, per accidens carere diu deberent gratia sacramentali: Censetur enim hoc esse grave incommode, ut docent Suar., Granad., Dian. in Sum. V. Celebrare Missam, num. 40. Dilationem autem unius noctis dumtaxat non esse sufficientem, ut possit quis cum onere ob impedimentum temporale absolvvi, docent communiter contra Mendoz. apud Tambur. in Methodo confes. cap. I. §. 6., quamvis fieri possit, ut ea nocte censuratus moriatur; Quare arbitrio prudentis virti decernendum, quinam dicatur diu carere debere gratia Sacramentali, nisi hic, & nunc absolvatur cum onere, attentis circumstantiis, & periculo censurati, juxta fusius explicata in de Sacramento Pœnitentiæ qu. 9. art. 2.

## Q U A E S T I O III.

## De Excommunicatione.

**O**rdinata methodo ab universalioribus ad minus universalia descendimus. Quare explicatis censuris in genere, ad singulas in particulari discutendas progradimur; Et primo agimus de Excommunicatione, quæ inter censuras principem obtinet locum: Est enim omnium Ecclesiasticarum pœnatum gravissima, quæ merito nuncupari solet Mucro Episcopi, Virga ferrea, Nervus Ecclesiastice disciplina, Anathema, &c., quibus nominibus quanti ab Ecclesia fiat, & quantum timenda sit, plane innotescit; Proinde Celest. III. in cap. *Cum non absolutionem, de iudiciis* dicit, Ecclesiam post anathema latum non habere ultra quod faciat: Et ex cap. *Nemo Episcorum* II. quæst. 3. habetur, quod non debeat quispam excommunicari, nisi quia aliter corrigi non potuit. Nos primo loco examinabimus, Quid, & Quotuplex sit excommunicatione? Secundo, Quinam excommunicati sint vitandi? Tertio, sub qua culpa, & pœna? Quarto agemus de Excommunicatione minori, ejusque causa, & effectibus. Quinto, de causa præsertim temporali, ob quam ferri potest excommunicatione major. In sequenti autem quæstione fuse agemus de effectibus excommunicationis majoris. Ac deinde de nonnullis excommunicationibus magis obviis in particulari.

## ARTICULUS I.

Quid, & Quotuplex sit Excommunicatione?

I. Excommunicatio quid sonet; & quomodo definitur?

II. Ecclesia per excommunicationem non

privat hominem communione fideliuum mere interna, qua fideles per fidem, & charitatem inter se consolantur, sed externa, seu politica, ac mixta, puta usu activo, & passivo Sacramentorum, orationibus publicis, & similibus.

III. Dividitur excommunicatio in ma-

jo-

jorem, & minorem. Antonomasitce denotatur major, qua vocari solet Anathema, licet ab hoc differat penes accidentales solemnitates.  
IV. Pariter dividitur in Latæ, & Ferenda sententia; In latam ab homine, & a jure, & in alia membra; non secus ac censura in communi.

I. **E**xcommunicatio idem sonat, ac extra communionem. Nominis autem communionis per antonomasiæ venit Eucharistia: fideles enim ob graviora crimina a perceptione Eucharistiae arcebantur. Verum cum hæc pena progressu temporis non sufficeret, voluit Ecclesia, ut excommunicati non solum perceptione Eucharistiae, sed aliorum etiam Sacramentorum tam perceptione, quam administratione, necnon aliis communibus bonis tum spiritualibus, tum temporalibus privarentur.

Quæres nunc primo; Quomodo excommunicatio definiatur?

Respondeo communiter cum Suar. disp. 8. sect. 1., Con., & aliis defini-ri, quod sit *Censura Ecclesiastica separans hominem a communione fidelium*: Alii apertius illam describunt cum Bonac. dicendo, quod sit *Censura, qua homo baptizatus privatur aliquibus bonis communibus, videlicet consortio fidelium, participatione Sacramentorum, & communibus Ecclesia suffragiis*. In hoc, quod sit censura, convenit excommunicatio cum suspensione, & interdicto; Discrepat vero ab istis in hoc, quod segregat hominem a communione fidelium; nam Suspensio solum privat Ecclesiastico ministerio, seu uero beneficii, & exercitio officii, & potestatis clericalis; Interdictum vero privat solum participatione diuinorum officiorum, qua talia sunt, non autem quatenus rationem habent communicationis cum fidelibus, quo pacto privat iisdem excommunicatio;

ut notat hic Con. Porro definitio alata convenit tam excommunicationi majori, quam minori; Quamvis minor separet tantum a perceptione Sacramentorum; Major vero, qua appellari solet absolute Excommunica-tio, separat simpliciter ab omni com-munione fidelium, juxta illud Christi Domini Matth. 18. Si Ecclesiam non audierit, sit tibi tamquam Ebionus, &c. idest simpliciter ab Ecclesia se-gregatus; unde Apost. 1. ad Corinth. 5., & 1. ad Timoth. 1. dicit, Sata-næ tradidisse quos excommunicavit; quia, ut explicat Gratian. cauf. 11. quæst. 3., extra Ecclesiam diabolus est, sicut in Ecclesia est Christus.

Ad pleniorum intelligentiam adver-tendum cum Laym. hic cap. 1., tri-plicem esse communicationem fide-lium, Internam, Externam, & Mix-tam. Primo interna fidelium commu-nicatio consistit in fide, & charitate, per quam fideles inter se, & cum Christo copulantur, ut docet Apost. ad Rom. 2., & ad Ephes. 4; Et ra-tione hujus unionis potest unus fide-lis impetrare a Deo de congruo alteri specialia beneficia, & proprias sa-tisfactiones illi applicare; Unde dixit David psalm. 48. Particeps ego sum om-nium timentium te. Et Dominus di-xit Abrahæ Genes. 18., se non dele-turum Sodomitas propter communica-tionem iustorum, si inventi essent in ci-vitate. Secundo, Externa commu-nicatio politica fidelium consistit in eorum convictu, colloquio, com-merciis, &c. Tertio, Mixta consistit in exterioribus actionibus, seu cere-moniis, quæ ex propria institutione in-teriore, ac spiritualem fructum con-tinent; ut sunt usus activus, & passi-vus Sacramentorum, orationes publi-cae, sacrificia, satisfactiones Christi, & Sanctorum, quæ ex communi Ec-clesiæ thesauro per indulgentias fide-libus applicantur.

II. His explicatis, dico, Ecclesiam per excommunicationem non privare Reum prima communicatione interna, sed secunda externa, & tertia mixta. Non privat excommunicatos communicatione bonorum mere interna, quæ est per fidem, & charitatem; quia his nemo invitus spoliatur; nec si talibus bonis careat, impediri potest ab Ecclesia, ne ea per contritionem recuperet. Quare Ecclesia privat excommunicatos communicatione fidelium Externa, tum ut pudefacti facilius resipiscant; tum ne alios morbi contagione inficiant; ut notat Aug. lib. de corrept., & grat. cap. 15.: Privat etiam communicatione fidelium Mixta; videlicet communibus suffragiis, & satisfactionibus, usu activo, & passivo Sacramentorum, & sacrificiis, quatenus ea ministeria publica sunt, & Ecclesiæ dispensationi a Christo demandantur; non vero quoad eorum vim, & valorem pendente in a Christi institutione; Nec privat Ecclesia excommunicatos fructu orationum, & satisfactionum, quas alii fideles proprio nomine, & privata intentione iis applicant; Etenim cum hujusmodi actiones, seu pia opera sint propria cuiusque operantis, non spectant ad Ecclesiæ dispensationem; Unde nemo prohibetur pro excommunicatis privatum Deum orare: Et quamvis Sacerdoti non licet pro excommunicatis non toleratis offerre sacrificium, aut orationes publicas, in quantum publicæ sunt, & nomine Ecclesia factæ; potest tamen pro iisdem privata intentione offerre actionem ipsam sacrificandi, seu recitandi horas canonicas, &c., quatenus est opus proprium operantis, & hac ratione satisfactorium, vel etiam de conguo impetratorum; ut notant Navar., Sylvestr., Avil. apud Laym. loc. citat.

III. Quæres secundo; Quotuplex sit

excommunicatio?

Respondeo communiter dividi in maiorem, & minorem. Illa incurrit solum ob mortale, & privat omnifidelium communicatione, prout explicavimus; hæc vero sepe ob veniale incurrit, & privat dumtaxat perceptione Sacramentorum, necnon electione, presentatione, & collatione beneficii Ecclesiastici. Excommunicatio autem absolute dicta autonomastice denotat maiorem, ut declaravit Gregor. IX. cap. penult., nisi aliud ex contextu colligatur. Hæc major excommunicatio vocari solet aliquando Anathema, quod apud Hebreos detestationem, execrationem, & maledictionem significat; quia excommunicati ab Ecclesia maledicti, & execrati sunt: Quamvis differat excommunicatio ab anathemate penes accidentales solemnitates; quia dum anathema fertur, circumstant Episcopuni duodecim Presbyteri lucernas ardentes in manibus tenentes, easque in detestationem excommunicati in terram projiciunt, ac pedibus conculcant, ex cap. Debent 11. quæst. 3. Quare ad exaggerandam sententia severitatem in hæreticis excommunicandis, dicuntur isti in Sacris Canonibus Anathematizari.

IV. Præterea sicut censura in communi, ut diximus quæst. 1., ita pariter excommunicatio dividitur in Latæ, & Ferenda sententia; In latam a jure, & ab homine; In latam per statutum, per sententiam generalem, & specialem; in reservatam, & non reservatam; justam, & injustam; validam, & invalidam.

A R.

## ARTICULUS II.

Quinam excommunicati sint vitandi?  
Et in quibusnam teneamur  
eos vitare?

- I. Excommunicati a proprio Prælato ubique Gentium privantur communicatione fidelium; & ab omnibus vitandi, si non sint tolerati.
- II. Non toleratus, seu vitandus dicitur, qui nominatum est denunciatus, excommunicatus, & publicus Clerici percussor.
- III. Tolerati eodem modo privantur ex parte sua communicatione fidelium, ac si essent vitandi.
- IV. Fideles etiam in divinis communicare possunt cum excommunicato tolerato, potesque hic Sacra menta administrare solum, si petantur. At num licet peti ab eo possunt?
- V. Quid requiratur, ut publicus Clerici percussor sit vitandus? Certe ratio vitandus est.
- VI. Si in uno loco excommunicatus sit nominatum denunciatus, aut publicus Clerici percussor, estne vitandus, ubi denunciatio non est publica, nec percussio Clerici innoteat publice?
- VII. Num teneat vitare Petrum per hoc præcise, quod aliquis fide dignus dicat, illum esse excommunicatum vitandum?
- VIII. Vitari debent excommunicati non tolerati in iis omnibus, quæ denotantur eo versiculo, Os, orare, vale, communio, mensa negatur.
- IX. Num licet illos resalutare, aut iis rescribere? Num licet iisdem caput aperire, & alia signa urbanitatis prestare citra salutationem verbalem?

I. C ertum est, excommunicatos ubique terrarum pati effectus excommunicationis, ut supra diximus quæst. 2. art. 7.: Quamvis enim quis a proprio Prælato excommunicetur, debet tamen in conscientia non solum in Diœcesi sui Prælati, sed ubique abstinere ab omni fidelium communicatione, & a Sacramentorum, aliorumque divinorum participatione; secum enim excommunicationem defert, illumque sequitur, ut leprosum, ut loquuntur Jurilla. Et eodem modo omnes fideles, quamvis non sint subditi illius Episcopi, a quo lata est excommunicatio, tenentur excommunicatum non toleratum vitare, obligatione inducta a jure communione.

II. Quaritur nunc primo; Quinam sint excommunicati vitandi, seu non tolerati; Quinam vero tolerati, & non vitandi?

Respondeo, jure antiquo omnes excommunicatos fuisse vitandos, ita ut qui publice cognoscerentur esse excommunicati, publice vitarentur; privatim vero qui privatim noscebantur excommunicati, ex cap. Cum ab homine, de sententia excommunicatis: Jure autem novo ad vitanda scandala excommunicatus vitandus est solum, qui nominatum est denunciatus excommunicatus, & publicus, seu notarius Clerici percussor, ita ut factum nulla possit tergiversatione celare, aut expulsare. Ita Concilium Constantiense anno 1444. & deinde Martinus Pontifex V. in Extravag. Ad vitanda scandala. Et quamvis Concilium Basileense sub Eugen. IV., & Lateranense sub Leon. X. voluerint, vitandos esse omnes publice excommunicatos, etiamsi non sint nominatum denunciati; atque adeo haereticos omnes notarios; Hoc tamen ab universalis Ecclesiæ consuetudine abrogatum est, & so.

solum in praxi habetur, quod a Concilio Constantiensi fuit definitum; si quidem sine ullo scrupulo, & sine Pralatorum reprehensione in Gallia, Germania, Belgio catholici converfantur cum notoriis hæreticis. Ita Con. dub. 2., Lug. in Respons. moralib. lib. 5. Suar., Avil., & alii communiter contra Fagnanum: Et quod dicitur de excommunicatis, dicitur etiam de suspensis, & interdictis, ut constat ex dicta Extravag. dicti Pontificis Martin. V.

III. Notandum tamen hic primo, excommunicatos toleratos ex parte sua eodem modo teneri a divinis rebus abstinere, & alios evitare, ac si non essent tolerati. Ratio est, quia decretum Concilii Constantiensis solum fuit factum in favorem aliorum, qui quamvis sciant Titum, verbi gratia, esse excommunicatum, possunt tamen cum eo conversari, perinde ac si non esset excommunicatus, si non sit denunciatus nominatim, aut non sit notorius Clerici percussor: Etenim in laud. Extravag. haec habentur: *Per hoc tamen huiusmodi excommunicatos, suspensos, & interdictos non intendimus in aliquo relevare, nec quomodolibet suffragari.* Unde illud commodi dumtaxat habet excommunicatus toleratus, quod alii possint sine scrupulo secum conversari.

IV. Dubium tamen est; An possint alii cum excommunicato tolerato communicare etiam in divinis, inducendo illum, verbi gratia, ad administrandum aliquid Sacramentum, perinde ac si non esset excommunicatus?

Negant Avil., Sylvest. & alii; quia putant sic illum induci ad peccatum; quamvis si quis id faceret, ita peccaret peccato scandali, ut non incurriter excommunicationem minorem; eo quod non sit prohibitum jure Ecclesiastico cum excommunicato tolerato in divinis communicare.

Pars VIII.

Verum probabilius Pal., Henr., Sanch., Filliuc. apud Hurt. difficult. 4, & Dian. part. 5. tract. 9. resol. 117. docent, posse alios communicare etiam in divinis cum excommunicato tolerato; tum quia Concilium Constant. sine ulla limitatione concessit, quod possimus cum eo communicare; tum quia finis talis concessonis est ad vitandos scrupulos, & scandalata amovenda; non vitarentur autem haec, si non esset simpliciter permisum cum iis communicare.

Ad id, quod objicitur de scando, respondetur, excommunicatos toleratos eo ipso, quod ab iis petatur, verbi gratia, administratio alicujus Sacramenti, posse illud licite administrare, dummodo cum debita dispositione illud administrent; nam propter excommunicationem solum non possunt se ingerere ad illa administranda; sed non prohibentur ea administrare, si petantur; quia cum hoc privilegium concedatur aliis, ut possint communicare cum excommunicatis toleratis, & petere ab iis Sacraenta, conceditur consequenter talibus excommunicatis, quod ea administrent, dum petuntur. Quare non inducuntur ad culpam ullam, dum inducuntur ad administranda Sacraenta: Secus vero si sine ulla necessitate inducetur excommunicatus toleratus ad celebrandum Sacrum, verbi gratia, quod sine peccato facere non potest, antequam absolvatur; debet enim a peccatore ante susceptionem Eucharistiae praemitti Confessio; quin sufficiat secundum se sola contritio; & quia sacramentaliter absolviri non potest, non praemissa absolutione ab excommunicatione, ideo sine culpa graviante Absolutionem celebrare non potest.

Notandum secundo, quod quamvis non teneamus vitare excommunicatos toleratos, possimus tamen eos vitare,

K &

& quidem publice, si sint publice excommunicati, ut haeretici, & privatum, si sint excommunicati privatim. Ratio est, quia ex Concil. Constant. nullum isti acquisierunt jus, ut diximus, ideo iis nulla irrogatur injuria, si vitentur; dummodo certo constet de contracta ab illis excommunicatione; nam si sit dubium, non possumus sine injuria illos vitare; in dubio enim melior est conditio possidentis.

Notandum tertio, ad hoc ut aliquis dicatur excommunicatus non toleratus, non satis esse, quod sit nominatum excommunicatus, sed præterea debet esse denunciatus, seu declaratus incurrisse excommunicationem, non solum in concistorio judicis coram litigantibus, sed etiam in loco publico, puta in templo tempore concionis, aut missæ solemnis, vel in platea, sive per schedulas publicis in locis affixas, quædicuntur Cedulones. Ita communiter cum Avil.

V. Notandum quarto, percussorem Clerici, ut sit vitandus, debere esse publicum, & notorium, atque adeo non satis esse, quod a tribus, vel a quatuor id sciatur; Immo ex Leand. nec satis est, quod sciatur a decem in magna civitate, sed arbitrio prudentis viri judicandum, quando percussio dicatur notoria: Si enim fiat coram gravibus personis in foro, & interdui, pauciores requiruntur testes ad notorietatem, quam si fiat domi, vel noctu: Præterea requiritur, ut percussio non solum sit nota notorietate, & evidenter facti, sed etiam quod nullatenus possit probabiliter excusari a culpa gravi; Cum autem raro id accidat, ideo raro tenetur vitare percussores Clericorum, antequam nominatum denuncientur: Quis enim non possit in excusationem adducere, vel quod primo impetu sine plena liberatione Clericum percusserit, vel per jocum, vel quod ad defensionem,

vel quod Clericatum non cognoverit, aut ad illum non adverterit? Ita G. lest., Fagund., & alii apud Dian. part. 5. tract. 9. resol. 61.

Hinc sequitur, quod si quis coram me percussat Clericum, ita ut sciam, & ille etiam fateatur incurrisse in excommunicationem, non per hoc tenet illum privatim vitare, ut tenet Suar., Filliuc., & alii; quia non est notorius percussor, dum coram uno Clericum percusserit: Immo nec est notorius percussor, si laborat publica fama, quod Clericum percusserit, si vere Clericum non percusserit publice, seu coram multis testibus; quod requiritur ad notorietatem facti; securus vero si fama publica sit, quod publice Clericum percusserit.

VI. Quæritur secundo; si excommunicatus sit nominatum denunciatus, vel publicus Clerici percussor solum V. G. Neapoli, & non sit publicatus denunciatio, vel Clerici percussio Romæ, num etiam Romæ debebitur?

Respondeo, Avil., Pal., Sanch. & alios cum Dian. part. 5. tract. 9. resol. 134. negare; quia excommunicatus publicus in uno loco, si non sit publicus in alio, non est tractandus in illo alio loco tanquam publicus excommunicatus, atque adeo non est ibi vitandus: Etenim quamvis denunciatio excommunicationis afficiat personam, id tamen intelligendum reipetitive ad illos, quibus denunciatur, seu ad quorum notitiam devenire potest denunciatio; Unde fit, quod si Romæ scias, Titium esse excommunicatum nominatum denunciatum Neapoli, quamvis possis, non tenearis illum Romæ vitare, quia ibi denunciatio non est publica, seu notoria.

Verum probabilius oppositum docent Vasq., Suar., Bonac., Henr., & alii apud Hurt. disp. 9. difficult. 4; quia jus novum in hoc tantum immutata.

mutavit jus antiquum, quod non teneamus excommunicatum vitare, nisi sit nominatum denunciatus, aut publicus Clerici percussor; ergo sicut jure antiquo excommunicatus publicus erat vitandus publice, privatus privatum, ita nunc jure novo excommunicatus denunciatus publicus debet vitari publice, & privatus privatum; ergo si Roma habeam privatam notitiam, quod Titius sit Neapoli nominatum denunciatus excommunicatus, Romæ teneor illum privatum vitare; & si publice sciatur, debo illum vitare publice.

VII. Dubitatur hic; An si quis fide dignus, puta Parochus, dicat mihi, Titium esse excommunicatum vitandum, teneat illum vitare?

Respondeo, Palud. afferere; Sed negat probabilius Navar., Bonac., & alii apud Leaud. disp. 15. quæst. 58.; quia quamvis possit, nemo tamen tenetur credere uni testi, etiam fide digno, præsertim in damnum tertii: Quis enim credere teneatur, quod subdit, verbi gratia, impedimentum dirimens suo matrimonio solum ob dictum unius, licet fide digni? potest quippe etiam fide dignus facile decipi. Secus tamen dicendum, si Parochus ostenderet literas denunciatorias, quibus procul dubio credendum est.

Utrum autem non solum publicus Clerici percussor vitandus sit, quamvis non sit nominatum denunciatus per Cedulones, sed etiam quilibet aliis, de quo publice constat, quod in excommunicationem inciderit, quin possit ulla tergiversione celari, aut ullatenus exculari? Affirmat Fagnan. in Cap. *Quod a Prædecessoribus, de Schismaticis num. 53.* Sed communius negant cum Suar. disp. 9. sect. 2., Lug. in Respons. moral. lib. 2. dub. 3.

VIII. Quaritur tertio; In quibusnam teneamus vitare excommunicata-

tos non toleratos?

Respondeo cum communi Doctorum, prohiberi omnibus communicare cum excommunicatis in iis, quæ continentur in versiculis illis Glos. cap. *Statuimus, de sententia excommunicationis in 6.*

*Si pro delictis Anathema quis efficiatur,*

*Os, orare, vale, communio, mensa negatur.*

IX. Primo prohibetur *Os*, hoc est osculari, aut amplexari, & colloqui cum excommunicato etiam per signa, & nutus, etiam per literas, aut internuntium, etiam audiendo illos tibi loquentes. Et quamvis Pal., Henr., Sa., & alii apud Leand. disp. 13. quæst. 10. patent non esse prohibitum rescribere, nec resalutare excommunicatum; quia hæc est solutio quædam debiti, quæ etiam respectu inimici obligat: negant tamen probabilius Suar., Bonac., Filliuc., Avil.; quia sicut nullo pacto est licitum respondere excommunicato interroganti, ita nec rescribere, neque resalutare; cum hæc quædam communicatio sit, & omnis communicatio cum excommunicato est prohibita in peccatum sui delicti, & ut sic facilius resipiscat. Nec licitum est ei munera mittere, aut ab eo recipere; Si tamen recipiuntur, non daretur obligatio ex justitia ea restituendi, aut dandi pauperibus.

Secundo prohibetur *Orare* hoc est participare cum excommunicato in Sacramentis, in Sacrificio Missæ, in Officiis divinis, & aliis precibus, & orationibus: Unde in officio divino, a quo excommunicati non deobligantur, non possunt dicere, *Dominus vobiscum*, quod ex usu Ecclesiæ a Sacerdotibus, & Diaconis tanquam Ecclesiæ publicis ministris dicitur, sed dicere debent, *Domine exaudi orationem meam*. Nec possunt cum a-

liis in processionibus, & litaniis publicis ire, nec comitari Sacram Eucharistiam, quando cum pompa, & recitatione Psalmorum defertur ad infirmos: Et quamvis possint concionem sacram audire, non possunt tamen concionari, aut discipulos docere, aut cum aliis discipulis lectioni interesse; ut communiter docent contra Henr. Nec possunt aqua benedicta uti, cum sit quoddam Sacramentale, valorem habens ex meritis Ecclesiae, ut docent Bonac., Ugolin., & alii contra Machado. Quod si excommunicatus non toleratus missa assistat, nec possit ab Ecclesia expelli, relinquenda est missa incepta, dummodo non sit inceptus Canon, idest, *Te igitur*; ut docent Bonac., Henr., Reginald.; Suar.: Alii vero cum Sayr., Sot. Vasqu., Leand. disp. 7. quæst. 38. probabilius docent, etiam incepto Canone, relinquendam esse, dummodo non sint dicta illa verba, *Qui pri-  
de &c.*, quibus censetur incipere consecratio; tunc enim missa usque ad sumptionem perficienda est.

Tertio prohibetur, *Vale*, hoc est salutare excommunicatum verbis honorificis, aut aperiendo caput, illi assurgendo, dando locum, &c.; hæc enim sunt signa salutationis, & quædam communicatio. Potest tamen salutari verbis deprecativis dicendo, verbi gratia, Deus te convertat, illuminet, &c. Magnatibus, & Judicibus excommunicatis ex vi juris non licet caput aperire, sed ex consuetudine in utilitatem fidelium introducta, ad vitandas rixas, inimicitias, aut damnum aliquod, licitum est. Ita Henr., Filliuc., Bonac. apud Leand. disp. 13. quæst. 20. Immo universim prohiberi solam verbalem salutationem, non vero alia signa urbanitatis, docet Turrian., Sayr., Dian. part 5. tract. 9. resol. 116. Quamvis autem opposita sententia sit probabi-

lior, expedit tamen sæpe juxta illam opinionem operari potius, quam exponere se periculo peccandi venialiter aperiendo caput, vel alia hujusmodi urbanitatis signa exhibendo erga excommunicatum vitandum; Præfertim quia Apostolus dicens, *Nu-  
ave ei dixeritis*, videtur solum verbalem salutationem erga excommunicatos inhibuisse.

Quarto prohibetur *Communio*, id est delicer communicatio externa in habitacione, societate, contraœu, &c., unde non possumus cum excommunicato vitando in eadem domo, ut loci, habitare; possumus tamen in eadem domo esse, si materialiter tantum cum illo cohabitamus, videlicet ita ut simus in diverso cubiculo, lecto, & mensa, & pro diversis negotiis, &c.

Denum prohibetur *Mensa*, hoc est, quod in eadem mensa, seu triclinio cum excommunicato comedimus.

### ARTICULUS III.

Sub qua culpa, & pena excommunicati vitandi sint?

- I. *Communicatio in rebus civilibus fati-  
de se veniale; in divinis vero mor-  
tale.*
- II. *Mortaliter peccat, qui communicat  
cum excommunicato in rebus civili-  
bus ex contemptu. At non dici-  
tur operari ex contemptu, qui fre-  
quenter delinquit, sed qui ex ma-  
lito contemptus legis, aut legisla-  
toris delinquit.*
- III. *Sicut etiam qui cum excommuni-  
cato vitando communicat in cri-  
mine criminoso; aut si excommuni-  
carentur communicantes cum ex-  
communicato.*
- IV. *Communicatio in divinis cum ex-  
communicato admittit materia pa-  
vile*

- vitatem, qua a mortali excusat. Num sit veniale cum illo privatim Horas recitare?  
**V.** Sitne mortale frequenter in actionibus civilibus cum eo communicare?  
**VI.** Excusant a culpa communicantem cum excommunicato Utile, Lex, Humile, Res ignorata, Necesse:  
**VII.** In quibus casibus conjuges excommunicati nequeunt invicem communicare? Et quid de famulis? Quid de Sponsis? Quid de filiis erga Parentes excommunicatos?  
**VIII.** Quanam ignorantia; & quanam necessitas excusat?

**I.** Quæritur primo; Quam culam, & poenam incurrat, qui communicat cum excommunicato vitando?

Respondeo, quod qui communicat cum eo in rebus civilibus, & actionibus humanis, regulariter peccat tantum venialiter, & excommunicationem minorem incurrat; etenim in his communicare reputatur materia levis. Qui vero communicat in divinis, verbi gratia, audiendo cum eo Sacrum, peccat mortaliter; cum hæc non sit materia levis; quamvis etiam excommunicationem minorem incurrat. Et eodem modo ipse excommunicatus, si cum aliis communicet in humanis, peccat venialiter; si vero in divinis, peccat mortaliter, sed excommunicationem minorem non incurrit; quia hæc a jure solum fertur in eos, qui cum excommunicato communicant. Ita communiter Doctores contra Fabrum, & alios apud Leand. disp. 14 quæst. 1., & Dian. part. 5. tract. 9. resol. 2., qui putant etiam per communicationem in humanis cum excommunicato peccari mortaliter, eo quod incurritur poena excommunicationis minoris, quæ magna est, cum privet perceptione

Sacramentorum. Sed ut alias diximus, hæc non reputatur poena gravis, cum possit facile tolli.

**II.** Notandum tamen primo, quod si quis communicet etiam in humanis cum excommunicato, sed ob contemptum Superioris, vel clavium, peccat etiam mortaliter, & minorem solam excommunicationem incurrit: Ut autem quis dicatur id facere ex contemptu, non satis est, quod frequenter communicet cum excommunicato, ut docent D. Th. Avil., & alii apud Leand. quæst. 2. contra Suar., Con., Filliuc. apud Bonac. disp. 2. punct. 2.; quia potest quis absque contemptu præcepti ex sua passione committere frequenter leves transgressiones illius præcepti; Quare operari in contemptum legis, aut legislatoris est, contemptum esse causam transgressionis; quod certe semper est peccatum grave, quamvis transgressio sit in materia levi; juxta illud Proverb. 18. *Impius cum in profundum venerit peccatorum, contemnit.* Etenim objectum actus contemnit legis, aut legislatore non est quid leve: Quare quando quis contemnit præceptum Superioris, quia præceptum Superioris est, semper graviter peccat: Si vero illud contemnit, quia est in materia levi, venialiter tantum peccat.

**III.** Notandum secundo, peccare etiam mortaliter, sed majorem excommunicationem incurrire eum, qui scienter, hoc est sine ignorantia etiam crassa communicat cum excommunicato vitando in crimen criminoso, seu in illo, propter quod excommunicationem contraxit præbendo illi auxilium, consilium, vel favorem, &c. relate ad tale delictum; dummodo ista participatio in crimen criminoso sit post contractam censuram ab excommunicato, & non sit in materia levi; ac demum sit

cum

cum excommunicato nominatim denunciato, non vero cum publico Clerici percusso. Ita habetur in cap. *Nuper, de sententia excommunicat.* Quare si Episcopus Clericum excommunicet ob ludum alearum; & deinde cum eo ipse Episcopus luderet, hic peccaret mortaliter, & majorem excommunicationem incurreret latam a jure ob communicationem in crimen criminoso. Solus Papa excommunicationem hanc non incurreret, quia, ut supra diximus, cum sit conditor juris, non est capax censuræ; nisi quando in hæresim incideret, ex cap. *Si Papa, disp. 40.* Porro ab excommunicatione contracta ob communicationem in crimen criminoso ille solum absolvere potest, qui potest absolvere ab excommunicatione principali.

Notandum tertio, peccare pariter mortaliter, & majorem excommunicationem incurtere eos, qui cum excommunicatis communicant, quando excommunicantur etiam ii, qui cum excommunicatis participant; ut habetur in cap. *Quod in dubiis, de sententia excommunicat.* Verum tamen est, quod Judex inferior Papa, ut valide excommunicet participantes in locutione, & convictu humano cum excommunicato ab eodem Judice, debat prius nominatim illos monere, ne communicent cum tali excommunicato, & quidem triplici monitione canonica, vel una pro tribus: Ad excommunicandum vero participantes cum excommunicato ab alio Judice, seu a jure communi, vel statuto particulari non prærequiritur ista monitio specialis, sed sufficit illa generalis, videlicet, Excommunico omnes communicantes cum tali excommunicato. Ita Avil. 2. part. cap. 5. disp. 10. dub. 5. cum communis Doctorum ex Gloss. in Cap. *Statim.* Et ratio diversitatis est, quia Judices

severius curant observari excommunications latae a se, quam latae ab aliis.

IV. Notandum quarto, peccare mortaliter, & majorem excommunicationem incurtere Clericum, qui scienter, & sponte (hoc est non dutus metu aliquo, aut vi, etiam levi) admittit ad officia divina excommunicatum nominatim a Papa, & denunciatum; ut habetur in cap. *Significavit, de sententia excommunicantis;* Ubi talis excommunicatio ipsi Papa reservatur. Et in *Clement. I. de sepulturis* excommunicatur etiam, qui scienter, & propria temeritatis audacia præsumit sepelire in loco sacro excommunicatum vitandum.

Notandum ultimo, dari aliquando parvitatem materiæ in communicatione in divinis; ut si quis principium missæ usque ad epistolam audiret cum excommunicato vitando; in quo casu tantum venialiter peccaret: Et ex Vasq., Sayr., Covarr., Hurt. disp. 9. diffic. 2. probabile est etiam venialiter peccare, qui recitat privatum officium cum excommunicato; quia nomine divinorum solum venient sacramenta, Ecclesiastica sepultura, & Officia Ecclesiæ solemnia; Officium autem privatum non est primario, & per se vi excommunicationis prohibitum; unde censetur in suo genere materia levis. Et idem dicendum ex Henr., Cajet., & aliis apud Hurt, loc. cit. de communicatione in rebus Ecclesiasticis, quæ sint humanæ; Verbi gratia, in collatione beneficij, ejusque receptione, in exercitio jurisdictionis Ecclesiastice, &c., Censetur enim esse venialis culpa talis participatio in ratione communicationis cum excommunicato; quamvis mortale sit, ex cap. *Nullitas,* quæ inducit ratione excommunicationis.

V. Quaritur secundo; An qui frequenter communicat in actionibus cl-

vilibus cum excommunicato vitando, peccet mortaliter, etiam si id non faciat ex contemptu?

Respondent Avil., & Sayr. negative; quia quod est de se veniale, per multiplicationem actuum non evadit mortale. Sed Bonac. quæst. 2. punct. 6. cum Suar., Filliuc., Con. dub. 14. affirmat, quia præceptum hoc non communicandi cum excommunicato obligat sub gravi, nisi materia parvitas, aut indeliberatio excusat, ut constat ex reliquis præceptis, & ex cap. Si vere, de sententia excommunicationis; atqui quando quis frequenter communicat cum excommunicato, quamvis singuli actus sint materia levis; at multitudo actuum, si sumatur per modum unius, constituit materiam gravem; non secus ac multa parva farta, & multæ parvæ negligentiae, aut omissions in recitatione officii, & observatione rubricarum in missa: ergo frequens hujusmodi communicatio probabilius est peccatum mortale.

VI. Quæritur tertio; In quibus casibus licet cum excommunicato vitando communicare?

Respondeo, licere in quinque casibus comprehensis in eo versiculo a Gloss. relato in cap. Cum desideres, de sententia excommunicationis, ubi dicitur:

*Hoc anathema quidem solvunt, nec possunt obesse,  
Utile, Lex, Humile, Res ignorata,  
Necessæ.*

Primo itaque per verbum illud, *Utile*, denotatur, quod citra culpam, etiam veniale, & absque incurso in excommunicationem minorem possumus communicare cum excommunicatis vitandis, quando intervenit aliqua utilitas sive spiritualis, sive temporalis, sive propria, sive aliena; dummodo aliter ea haberi non posse; Quare possumus ab excommuni-

cato petere consilium, eleemosynam, favorem, corporis curationem, ejus concessionem audire, debitum exigere, necessaria emere, &c.

Præterea possumus illum ad concessionem admittere, monere, ut resipiscat, quando speratur fructus, & catenus solitam honorificam salutationem præmittere, legere coram illo librum pium, recitare cum eo privatam orationem, qua petatur a Deo ejus conversio: Possumus opem, consilium, & favorem illi præstare, ne grave aliquod damnum subeat; quia Ecclesia, ut notat August. in psalm. 114, injungendo separationem ab excommunicato, non præcidit dilectionem. Demum potest ipse excommunicatus licite non solum eleemosynam, vel consilium, &c. ab alio petere, sed etiam debitum exigere. Quamvis enim Medin., & Sayr. ve- lint, quod possit debitor solutionem differre usque ad absolutionem excommunicati; hoc tamen communiter rejicitur, quia solutio debiti est juris naturalis, atque adeo differri non potest per jus positivum, quod est minus jure naturali.

Secundo per verbum illud *Lex intelligitur*, licitum esse uxori, quæ est sub lege viri, communicare cum suo coniuge excommunicato: Et eadem est ratio de marito relate ad uxorem excommunicata; ut docent D. Th., Henr., Hurt. disp. 9. diff. 4. & alii communiter: Et sicut potest exigi debitum pecuniarium ab excommunicato, atque illi reddi, ita pariter debitum conjugale. Ratio est, quia difficilis est conjugum separatio. Quod tamen non militat de sponso de futuro relate ad sponsam; Unde si isti sint excommunicati, non possunt licite matrimonium contrahere; quamvis si contrahant, possunt licite communicare in iis, quæ ad domus gubernationem spectant, ut docet Bonac-

nac. quæst. 2. punct. 4. ex Ugolin.  
contra Suar., & Filliuc.

VII. Non possunt tamen conjuges excommunicati communicare in aliquibus casibus; Primo in crimenе criminoso; unde si excommunicatio lata sit in causa matrimonii, eo quod dubitetur, an sit legitimate contractum, non potest conjux petere, aut reddere debitum. Secundo non possunt communicare in divinis, ut docet probabilior Doctorum sententia; quia in iis uxori non est subjecta marito: Quamvis alii Doctores hanc etiam communicationem permittant, ut dicemus de famulis; quia privilegium communicandi cum conjugi excommunicato late est interpretandum. Demum nec possunt communicare, quoties alter petit divorcium ab altero; cum cetero pariter subjectio. Ita Bonac. loc. cit.

Tertio per verbum *Humile* significatur licitum esse communicare cum excommunicatis causa subjectionis: Possunt itaque subditi cum suo Superiori, servi cum dominis, filii cum parentibus, milites cum suo Duce, Gener, Nuris, Privignis communicare communicatione usuali, & ordinaria; non tamen in crimenе criminoso, ex cap. *Quoniam multos*, quæst. 3. Ratio est, quia per excommunicationem non eximitur subditus a subjectione sui Superioris: ergo debet illi quantumvis excommunicato præstare obsequia debita, ut prius.

Hinc infertur primo, non solum famulos, qui pretio inserviunt, sed etiam qui serviant gratis, & famulos rusticanos, seu agricultorū posse cum suis dominis excommunicatis communicare; quia in Cap. adducto *Quoniam multos* generaliter conceditur famulis communicatio in humanis: Imo probabile est juxta Bonac., & Con. contra Suar., & Filliuc., quod etiam famulus, qui necessitate non cogente cœpit inservire domino excommuni-

cato, possit cum illo communicare; quamvis peccat obligando se ad illi inserviendum; Non secus ac Sponsa contrahens matrimonium cum excommunicato peccat contrahendo, sed tenetur deinde cum illo in humanis communicare.

Infertur secundo, quod servus cum conservo, & frater cum fratre excommunicato (cum neuter sit alteri subjectus) non possint invicem communicare per se, & directe; possunt tamen per accidens, quatenus eidem domino debent inservire, vel cohabitare, & communicare cum eodem Patre.

Infertur tertio, Clericum posse suo Episcopo excommunicato inservire solum, dum est in ejus famulatu, non vero quando extra ejus familiam comoratur, ex cap. final. de *Exceptione Prelatorum*.

Infertur quarto, Vassallos posse quidem tributum solvere suis dominis temporalibus, quia per excommunicationem illorum a tali debito non eximuntur; non possunt tamen cum illis communicare, nec tenentur illis obedire; ut docent Henr., Filliuc. apud Bonac. num. 40. ex cap. *Nisi Sanctorum* 15. quæst. 6. contra Pal., & alios. Ratio est, quia jus eximit tales subditos a subjectionis jurisdictione in cap. *ultim.* de *Poenis*.

Dubium est; Utrum famuli, & aliae hujusmodi personæ subjectæ communicare possint cum suis Superioribus in divinis? Communiter Doctores cum Suar., Avil., Con., Bonac. num. 38. docent, posse in iis tantum, quæ concernunt subjectionem, & simulatum; Unde famulus recitat potest officium cum domino excommunicato, & cum eo missam audire, si ad hoc vocetur; quia hæc spectant ad subjectionem famulatus; Et eadem est ratio de filiis relate ad parentes; & ut supra innuimus, de uxore relate

ad

ad maritum, cui pariter est subjecta: Contra vero filius non potest Patri excommunicato ministrare Sacramenta; nec coram eo Sacrum facere; quia talis communicatio non spectat ad rationem subjectionis, quam habet erga Patrem.

VIII. Quarto per verbum *Res ignorantia significatur*, excusare ab incurienda censura per communicationem excommunicato ignorantiam sive juris, sive facti: Et quidem etiam ignorantia vincibilis excusat, (modo non sit affectata, quæ comparatur scientie) ut docent Suar., Hurt., Con. contra Bonac., &c. alios; qui putant, solam ignorantiam invincibilem, quæ excusat a culpa, excusare a censura. Ad ignorantiam revocatur dubium; unde qui dubitat, an aliquis sit excommunicatus, non tenetur illum vitare.

Quinto demum per particulam, *Necesse*, significatur excusare necessitatem sive spiritualem, sive temporalem, non solum extremam, & gravem, sed etiam communem; ut constat ex dicto Cap. *Quoniam multos*, & ex citatis Doctoribus; Unde licite possum excommunicato vitando dare eleemosynam, tradere illi equum ad iter agendum, si alioquin non soleat pedeiter iter agere; Et eodem modo possum ab illo petere eleemosynam, & equum ad iter agendum, consilium, auxilium, &c., Nec teneor contractum societatis cum eo initium dissolvere. Excusatur etiam, qui per vim cogitur interesse sacro cum excommunicato; quia hoc non est de se intrinsecus malum; non potest tamen per metum ullum simulare administrationem Sacramenti; quia hoc est contra reverentiam Sacramentis debitam, ut constat ex propos. 29. damnata ab Innoc. XI.

## Pars VIII.

## ARTICULUS IV.

De Excommunicatione minore, ejusque causa, & effectibus.

- I. *Quid sit minor Excommunicatio? Et quam ob causam incurrit?*
- II. *Ea non incurritur ob culpam eximperfecta deliberatione veniale.*
- III. *Per illam fidelis directe privater passiva Sacramentorum participatione, & indirecte Beneficiorum collatione, neconon electione, ac presentatione ad illa.*
- IV. *Eam violans celebrando missam, irregularitatem non incurrit.*
- V. *Num ea innodatus valide Sacramentum Pænitentia recipiat?*
- VI. *Si hic ad Beneficium eligatur scienter, electio videtur non esse irrita, sed irritanda.*
- VII. *Conferendo Sacraamenta, nisi simul recipiat, probabilis non peccat.*
- VIII. *Communius negant, posse simpli- cem Sacerdotem ab ea absolvere.*

I. **E**xcommunicatio minor est Censura Ecclesiastica separans fidem a passiva Sacramentorum receptione. Ita communiter definitur: Ea dicitur Minor relate ad Majorem, & ad effectus illius. Nunquam autem ab homine, sed dumtaxat a jure ferriflet usu in Ecclesia recepto isthæc excommunicatio.

Quæritur nunc primo; Quam ob causam incurrit?

Respondeo ex dictis, incurri propter participationem in rebus prohibitis cum excommunicato excommunicatione majore non tolerato; Unde fit, non incurri per participationem cum excommunicato tolerato, aut cum excommunicato excommunicatione minore: Incurritur tamen non solum per participationem in divinis, atque ad eo quando participatio est peccatum

L mor-

mortale, sed etiam per participatiōnem in humanis, atque adeo quando participatio est peccatum veniale: Quod si quandoque participatio excusat etiam a veniali culpa, excusat etiam ab incurrienda excommunicatione minore.

II. Advertit tamen Suar. cum aliis, participationem cum excommunicato vitando duplicitate posse esse peccatum veniale. Primo ex levitate materiæ, ut si quis salutet excommunicatum. Secundo ex imperfecta deliberatione, ut si quis audiat Sacrum cum excommunicato sine plena advertentia, & deliberatione. In primo casu non excusatur ab incurrienda excommunicatione minore, ex Cap. *Nuper, de Sententia excommunicat.* In secundo vero casu probabilius excusatur; quia cum talis actus non sit perfecte humanus, non habetur consequenter per illum inobedientia, & contumacia proprie dicta, sine qua censura non incurritur.

III. Quæritur secundo; Quotuplex sit effectus excommunicationis minoris?

Respondeo, esse duplēm. Primum, qui directus est, & primarius, privare fidēlē passiva Sacramētūrū participatione, ita ut mortaliter peccet, qui hac excommunicatione innodatus Sacramētū aliquod recipit; Secundum, qui dicitur indirectus, privare fidēlē electione, præsentatione, & collatione Beneficii Ecclesiastici cujuscumque, etiam simpli-  
cis, ita ut mortaliter peccet, qui cum ea ad Beneficiū aliquod eligeretur. Ita communiter Doctores ex Cap. *Si celebrat, de Clerico excommunicato ministrante.* Dicitur hic secundus effec-  
tus indirectus, quia cum excommunicatus minore excommunicatione pri-  
vetur receptione Sacramētūrū, pri-  
vatur consequenter Beneficiorū suscep-  
tionē, quæ ex intentione Ecclesiæ conseruntur, ut Ordines Sacros quis-

suscipiat, & missam celebret. Quamvis autem in dicto Cap. solum fiat men-  
tio de electione ad Beneficia, exten-  
dunt tamen communiter Doctores de-  
cisionem ad præsentationem, & col-  
lationem; quia eadem est ratio in his  
omnibus.

IV. Ex dictis sequitur primo, excom-  
municatum excommunicatione minore  
sacrilegium committere, si Sacra-  
mentū ullum suscipiat; quia inof-  
freditur legem in materia gravi; Si  
tamen cum tali excommunicatione  
celebret, non incurrit irregularitatem,  
aut aliam pœnam; cum id in jure  
non sit expressum; sed arbitrio Super-  
ioris puniendus est, ut notavit Ghof-  
fa. Quare immerito Sylvest. V. *Ex-  
communicatio* num. 4. docuit, quod si  
excommunicatus minore recipiat Ordines,  
privetur eorum usu; Nam, ut  
bene Suar., talis privatio non habe-  
tur, nisi per suspensionem, que in  
casu nostro non contrahitur.

Sequitur secundo, peccare etiam  
mortaliter, qui ministraret Sacra-  
mentū excommunicato minore; quan-  
doquidem cooperaretur peccato gra-  
vi talis excommunicati indigne luci-  
pientis Sacramenta.

Sequitur tertio, peccare etiam gra-  
viter, qui scienter eligeret ad Bene-  
ficia hujusmodi excommunicatum; vi-  
laretur enim lex Ecclesiastica in re  
gravi. Ita Suar., Filliuc., & aliapud  
Bonac. num. 7.

V. Quæritur tertio; Utrum excom-  
municatus minore Sacramētū Pa-  
nitentiæ valide recipiat?

Respondeo, convenire Doctores &  
mnes in hoc, quod valide recipere  
reliqua omnia Sacramenta; Negant  
id dumtaxat de Sacramēto Pœnitenti-  
æ Sylvest., Hurt., Vasq. Evidē-  
cūm Bonac., & aliis censeo, quod si  
iste intendat absolutionem peccato-  
rum obtainere, non præmissa absolu-  
tionē ab excommunicatione minore,  
cer-

certe invalidum esset Sacramentum Penitentia; quia committendo hoc grave peccatum careret dolore debito peccatorum; unde non darentur constitutiva Sacramenti; si tamen sine sua culpa absolveretur tantum a peccatis, non ab excommunicatione; quia, verbi gratia, Sacerdos ex sua malitia vult ab illis, non ab ista absolvere, non est ratio, cur Sacramentum deberet dici invalidum; siquidem per excommunicationem minorem penitentis non privatur Sacerdos jurisdictione sua, nec ille est incapax Sacramenti.

VI. Quæritur quarto; An valida sit Electio ad Beneficium facta hujusmodi excommunicato?

Respondeo, Navar., Ugolin., & alios censere, esse irritam; Sed verius Vasq., Laym., Valent., Reginald. putant non esse irritam, sed irritandam, si facta fuerit cum scientia excommunicationis; secus vero neque esse irritandam: Quod colligitur ex dicto cap. Si celebret; ubi dicitur: Si tamen scilicet electus fuerit, ejus electio est irritanda.

VII. Quæritur quinto; An excommunicatus minore peccet administrando Sacra menta, sicut peccat ea suscipiendo?

Respondeo, Sylvest., Armil., & alios putare, quod mortaliter peccet; quia in eodem cap. dicitur, Peccat conferendo Sacra menta; Certum autem est, quod si celebret, peccet mortaliter, cum recipiat Sacramentum celebrando: Si autem pure administret Sacramentum, Avil. cap. 2. disp. 12., Con. dub. 17., Reginald., Sot. putant peccare tantum venialiter ob indecentiam quandam, qua habetur in hoc, quod Sacra menta administret, qui sua culpa non potest ea recipere: Sed probabilius cum Suar., Henr. Filiiuc., Hurt. apud Bonac. quæst. 3. censeo, ne venialiter quidem peccare;

quia excommunicatione minor passiva tantum, non activa participatione Sacramentorum privat, cum expresse in dicto Capite dicatur, sic excommunicatum non esse remotum a collatione Sacramentorum. Ubi autem dicitur, quod peccet conferendo Sacra menta, sensus est, quod peccet, quatenus ea recipit, non quatenus ea confert, ut dicti auctores interpretantur; quia textus loquitur de Episcopo conferente Sacramentum Ordinis, atque adeo celebrante, & simul suscipiente Sacramentum. Quod si Episcopus excommunicatus minore conferret Sacramentum Confirmationis, cum nullum tunc Sacramentum susciperet, non peccaret.

VIII. Quæritur ultimo; An possit simplex Sacerdos ab hac excommunicatione absolvire?

Respondeo, Navar., Tolet., Hurt. disp. 16. diff. 2., & alios cum Diana part. 5. tract. 9. resol. 3. probabiliter affirmare, ut abunde diximus cum de censuris in genere art. 2. quæst. 2.; quia scilicet qui potest a venialibus sacramentaliter absolvire, potest pariter absolvire a censura, quæ de se non exigit mortale, ut incurritur: Si cuius qui potest a mortalibus sacramentaliter absolvire, potest pariter a censuris non reservatis, quæ propter mortale incurrintur.

Communior tamen, & probabilior sententia id negat cum Suar., Filliuc., Bonac. quæst. 3. Et ratio est, quia in cap. Nuper, de sententia excommunicationis habetur, quod possit ab excommunicatione minore absolvire proprius Sacerdos; nomine autem proprii Sacerdotis venit non solum qui ordinariam habet jurisdictionem, ut Papa, Episcopus, Parochus, sed etiam qui habet jurisdictionem delegatam, ut est quilibet Sacerdos approbatus ad audiendas confessiones; ut docent Suar., Con. Filliuc. apud eundem

dem Bonac.: Qui etiam notat, quod Parochus, & Episcopus, etiam si Sacerdotes non sint, possint ab excommunicatione minore absolvere; quia ad absolutionem a censura non requiritur ordo Sacerdotalis: In jure autem nomine proprii Sacerdotis venit Parochus, aut Episcopus, quia isti ferre semper solent esse Sacerdotes. Quare quamvis posset simplex Sacerdos a venialibus absolvere, non per hoc debet posse absolvere ab excommunicatione minore; cum possint aliter, quam per Sacramentum Pœnitentiæ tolli venialia, ut notavimus loc. cit. Notat etiam Cornejus apud Dian. loc. cit., quod ab hac excommunicatione possit etiam Diaconus, ac etiam clericus ex delegatione absolvere. Ut licite autem absolutio conferatur, requiritur in persona absolvenda propositum non relabendi.

## ARTICULUS V.

Quam ob causam, præsertim temporalem, ferri potest excommunicationis major?

- I. Non nisi ob gravem culpam externam, & propriam, ea ferri potest; Et quando res, que sub pena excommunicationis prohibetur, est levis de se, aut indifferens, debet esse gravis propter suam gravem, ut possit sic sub gravi prohiberi, etiam si imponatur excommunicationis sententia ferenda.
- II. Ex Trident., ut possit ferri excommunicationis ob causam temporalem, requiriur causa gravis, & titulus, seu finis spiritualis.
- III. Quando excommunicationis fertur contra non revelantes, quinam excusentur?
- IV. In casibus Inquisitionis facienda est revelatio, etiam si delictum probari non possit, etiam si sub sigillo natura-

rali, & sub juramento non revocandi sit cognitum, etiam non premissa correctione fraterna, nupti inutili.

- V. Num denunciandus sit reus, si sit emendatus, delictum tamen sit publicum, aut habeat effectum penitentem?
- VI. Quandonam subditi teneantur denunciare delicta vi Edicti, etiam si ad id non teneantur lege naturale?
- VII. Quando ad denunciationem practicare debet infamia, aut correctione fraterna?
- VIII. Non denuncians furem, ad quid sub pena excommunicationis obligatur, probabilius ad restituendum teneatur.
- IX. Quamdiu durat obligatio denunciandi post Edictum Prelatorum?

I. **U**NICE propter mortalem culparum propriam, & externum posse ferri excommunicationem maiorem tam latè, quam ferenda sententia docuimus quæst. I. art. 4. Unde deduximus, quodcumque sub pena excommunicationis prohibetur, si lex sit justa, & valida, sub mortali prohiberi, etiam si res secundum se videatur levis, vel indifferens: Potest enim res levis, aut indifferens sub mortali prohiberi propter finem gravem; Verbi gratia, propter periculum proximum gravis culpe, vel propter scandalum, vel propter grave damnum, quod alteri provenit. Quare quando multi, verbi gratia, grave damnum intulerunt Titio, singulis parvum aliquid surripientibus, & sub excommunicationis pena præcipitur restitutio, & damni reparatio, si singuli non restituant materiam illam parvam surpremam, peccabunt mortaliter, & excommunicationem incurront, ut docent communiter cum Suar. hic sect. 2., Pal. disp. 2. de Censuris punct. 2. contra Covarr., & Navar. cap. 17. num.

num. 130. Quod tamen excusat a culpa gravi, excusat pariter ab excommunicatione; quia pena debet esse proportionata culpa. Pena autem excommunicationis assimilatur pena mortis, unde vocatur Gladius Ecclesiasticus; proinde requirit gravem culparum, ut incurritur. Docuerunt nonnulli cum Valent. & Salon. apud Dian. part. I. tract. 10. resol. 21. non prohiberi sub gravi, quod prohibetur sub pena excommunicationis ferendae sententiae, eo quod talis excommunicationis sit comminatoria. Sed communis sententia docet, sub gravi prohiberi tam quod prohibetur sub pena latæ, quam ferendæ sententiae, cum in utroque casu pena sit gravis, & indigat prohibitionem fieri sub gravi.

II. Quæritur nunc primo; An possit excommunicatio ferri ob causam temporalem?

Respondeo cum communi apud Suar. disp. 20. sect. 1., posse; ut constat ex usu Ecclesiæ, dummodo adsit titulus spiritualis, & simul adsit moderationes requisita a Trident. sess. 24. cap. 3.; Ubi habet, *Excommunicationis gladium sobrie exercendum; cum experientia doceat, quod si ex levibus causis incutiatur, magis contempnatur, quam formidetur; & perniciem potius pariat, quam salutem*: Proinde Trident. requirit primo, ut excommunications, quæ ad finem revelationis aut pro desperditis, aut pro subtrahitis rebus terri solent, solum ab Episcopo decernantur; Ubi nomine Episcopi venit etiam Vicarius generalis, & quilibet habens Episcopalem potestatem. Secundo, ut ex re non vulgari, & causa diligenter, & magna maturitate examinata tales censuræ ferantur. Tertio, ut quando fieri possit executio realis, aut personalis, ab his censuris abstineatur. Præterea requiritur, ut diximus, titulus spiritua-

lis; quia cum Ecclesia non habeat directam potestatem in temporalia, sed solum indirectam, videlicet quatenus ad spiritualia sunt necessaria, vel utilia, idcirco, ut possit Ecclesia uti censuris in causa temporali, opus est fine, seu titulo spirituali: Verbi gratia, ut malum aliquod commissum corrigitur, vel ut præcaveatur malum, quod timetur, vel ut pauperibus, aut decenti cultui Ecclesiæ subveniatur, præcipiendo sub excommunicatione aliquam contributionem; vel ut bono communi consulatur ad vitanda damnna spiritualia, &c.

III. Quæritur secundo; Quando fertur excommunicatio contra non manifestantes alias scripturas, omnesne comprehenduntur, an aliqui excusantur? Et idem quæritur, quando censura fertur ad revelanda delicta, vel ad finem restituendi ablatum.

Respondeo cum Suar. sect. 2., & aliis communiter, comprehendi omnes subditos, nisi excusentur vel ex ignorantia invincibili talis præcepti, vel ex impotencia sive physica, sive moralis, videlicet quia sine gravi danno aut in fama, aut in aliis bonis juste possessis id exequi non possunt, vel ex alia iusta causa.

Unde infertur primo, excusari tam eos, qui erant extra Diocesim, seu territorium Episcopi tempore Edicti, quam eos, qui sunt subditi talis Episcopi post latam sententiam excommunicationis contra non manifestantes. Et ratio est, quia præceptum non obligat eos, qui non sunt subditi præcientis, quando illud fertur.

Infertur secundo, quod nemo tenetur denunciare cum sua infamia seipsum, vel complices, seu socios delicti a se commissi, neque teneatur ferre testimonium contra personas sibi valde conjunctas, videlicet contra patrem, fratrem, & alios consanguineos, aut affines usque ad quartum gra-

gradum, ex Navar., & Avil. part. 2. cap. 5. disp. 4. dub. 2., nisi in causa fidei, aut laetæ Majestatis, aut simili pertinente ad bonum commune, ut notat Navar. cap. 14. Ratio doctrinæ est, quia hoc præceptum humanum non obligat cum tanto incommmodo, ut docent communiter Doctores; malum autem consanguineorum, & affinium censetur malum proprium.

Infertur tertio, excusari eos, quos edictum non intendit comprehendere, quamvis illos comprehendere videatur; Verbi gratia, si præcipiatur revelari eos, qui acceperunt talem rem, & ego certo sciām, (non tamen ex solo raptoris dicto, nisi sit tantæ autoritatis, ut merito possim omne dubium deponere, ut docet Avil. 3. part. cap. 5. disp. 5. ex Navar., & Guttier.) quod illam raptor acceperit ad compensandum aliquod debitum, vel alio iulito titulo; vel quamvis injuste rapuerit, excusari nunc a restituendo, vel ob impotentiam, vel ob usucacionem, &c., non teneor illum revelare, cum ceteris finis præcepti. Pariter nec debo regulariter revelare uxorem, filios, &c., quando maritus petit excommunicationem contra eos, qui clam aliquid sibi rapuerunt, ut docent Sot., & Avil. loc. cit., nisi aliquando prudenter præsumatur velle maritum includere etiam uxorem, & filios, quia videlicet quantitas furti est magna.

Infertur quarto, excusari eos, qui non posunt id revelare; ut qui illud accepit ex confessione, aut per consultationem secretam sub sigillo naturali: Excusatur etiam Advocatus, & Procurator, qui ratione officiū tenentur partes Rei agere; nisi tamen id vergeret in grave damnum Reipublicæ, aut proximi: Et ratio est, quia expedit ad bonum Reipublicæ, quod homines securè petant consilium sine timore revelationis.

Infertur demum, excusari illum, qui inutiliter denunciaret, Verbi gratia, qui cogeretur denunciare eum, contra quem nullum testem afferre posset; quia sic solum infamaret illum sine illa alterius utilitate: Cum autem Judex non intendat primario punitionem, & infamiam, sed emendationem delinquentis, ideo in tali casu non adest obligatio denunciandi; Sicut nec adest obligatio revelandi delictum, etiam si possit illud probare per alium integrum testem, quando, si procedat correctione fraterna, spes est, quod reus corrigatur, ut docet Avil. ex Navar.

IV. Excipiuntur semper casus Inquisitionis, ad cuius Tribunal spediat posse inquirere etiam ex simplici denunciatione, ad quam tenetur etiam qui delictum novit non quidem ex petitio confilio, aut sub sigillo Sacramentali<sup>1</sup>, sed solum sub sigillo naturali, & sub juramento non revelandi, etiam non praemissa correctione fraterna, utpote inutili, cum agatur de bono publico fidei, ut mox dicimus; & fuse etiam diximus in Trutina exponendo 5. thesim ab Alex. VII. proscriptam.

Notandum tamen cum Avil. loc. cit., quod qui possidet scripturam alterius, & potest illam sine sua infamia, aut gravi detimento revelare, teneatur ad revelandum sub pena excommunicationis. Quod si non possit sine gravi detimento revelare, ex occultatione tamen talis scriptura dominus ejus passurus sit æquale, aut majus detrimentum, pariter tenetur ad revelandum: Sicut debitor tenetur cum gravi detimento restituere, quando, nisi restituat, æquale damnum patitur creditor. Notandum etiam, quod si scriptura sit propria possidentis, contineat tamen jus adversarii, accedente præcepto Prælati, tenetur possidens eam revelare; nisi timeat libi

gra-

grave damnum in bonis aliis, quæ justæ possidet. Ita Sot., Cordub., & alii apud eundem Avil. Et ratio est, quia adversarius juste prosequitur jus suum, & Prælatus juste præcipit; ergo tenetur possidens scripturam ex iustitia illam revelare.

V. Quæritur tertio; An posito præcepto denunciandi sub pœna excommunicationis, teneantur subditi denunciare delictum, etiam quando reus est jam emendatus?

Respondeo cum Avil. distinguendo; nam vel delictum non habet effectum pendente in futurum, ut esset, verbi gratia, ludus illicitus; Vel habet, ut esset, verbi gratia, fornicatio, quæ quamvis emendata, impedit matrimonium cum aliquibus ratione affinitatis; Sicut etiam baptismus invalide suscepitus, per quem manet impedimentum ad reliqua Sacra menta; Necnon Simonia, quæ annullat titulum Beneficii, & impedit rectam executionem legitimorum actuum. Rursus hujusmodi delicta possunt esse vel publica, vel secreta.

Nunc sic, si delictum non habens effectum pendente in futurum sit secretum, & reus sit jam emendatus, delictum non est denunciandum; quia intantum posset denunciari, in quantum intenditur emendatio delinquentis, vel satisfactio publica: uterque autem finis cessat in casu nostro; ergo tale delictum non potest denunciari. Si vero delictum non habens effectum pendente in futurum sit publicum, & Reus solum sit emendatus coram Deo, quatenus pœnituit illum delicti, sed non sit emendatus publice, tunc delictum denunciandum est; quia Prælatus tenetur prospicere bono Reipublicæ, & exigere publicam punitionem delicti publici, ut satisfiat Reipublicæ læsa. Quod si emendatio fuerit publica, delictum non est denunciandum; quia delin-

quentes per publicam emendationem satisfecerunt Reipublicæ per scandalum læsa. Si tamen delictum habeat effectum pendente in futurum, sive publicum sit, sive secretum, etiam post emendationem denunciandum est ad impediendum malum futurum; (qua de causa Hæreticus dogmatizans, quamvis emendatus, denunciandus est) Nisi tamen impediti possit per correctionem fraternalm, aut nisi invincibiliter ignoretur a denunciando damnum imminens, & ex revelatione scandalum potius, quam remedium oriretur; ut communiter docent de Confessario, qui non debet monere feminam, verbi gratia, quæ ignorat, suum matrimonium esse nullum, quando ex monitione scandalum potius nascitur, quam remedium.

VI. Ex dictis sequitur ex Avil., Navar. contra Sot., quod in aliquibus casibus subditi tenentur denunciare delicta, quæ cæteroqui non tenerentur denunciare ex lege naturali: Etenim quando delicta publica occulte sunt emendata, non tenentur subditi illa denunciare ante præceptum Prælati, sed post illud tenentur: Sic etiam quando ex punitione delicti non emendati publice sequitur bonum publicum, & ex non punitione non sequitur ullum damnum grave, non tenentur subditi illud denunciare ante mandatum Prælati, bene tamen post illud.

Notandum tamen, quod qui indiget consilio, ut sciat, an possit, aut teneatur denunciare, & non potest intra terminum præfixum capere consilium, potest prorogare tempus ad denunciandum, absque eo quod in excommunicationem incurrat; quia censetur tunc impeditus, & impedito non currit præscriptio, juxta Regulam Juristarum.

VII. Quæritur quarto; An, ut possit denunciare delictum, præcedere de-

debeat infamia, & correctio fraterna?

Respondeo cum Avil. loc. cit. dub. 2., distinguendum esse: Aliqua enim delicta vergunt in damnum tertii, ut furtum, hæresis; Aliqua non, ut ludus illicitus. Quando feruntur excommunications ad revelanda delicta, quæ non vergunt in damnum tertii, denunciandus est delinquens Judici, si præcessit infamia delinquentis, quæ optime definitur in cap. *Inquisitionis de Accusationibus*, quod sit *Rumor oriens de aliquo crimine a probis, & honestis sparsum per maiorem partem vicinia*. Nec est necesse, ut præcedat correctio fraterna; hæc enim requiritur ad consulendum famæ proximi; unde si præcessit ejus infamia, & supponitur diffamatus, cessat finis correctionis fraternæ: Si vero non præcessit talis infamia, ex Sylvest. Navar., Cordub., & aliis non est denunciandus; quia intantum posset Judex licite inquirere de hoc particuli, in quantum præcessit infamia; ergo si infamia non præcessit, sicut Judex non potest inquirere, ita nec tenetur subditus revelare, ne post correctionem quidem fraternam; quia esset diffamare proximum. Si tamen denunciatio fieret Judici tanquam Patri, non esset necesse, quod præcedat infamia, sed præcedere deberet correctio fraterna, juxta præceptum Christi Domini. *Si te non audierit, dic Ecclesia*.

Quod si excommunicatio feratur ad revelandum crimen, quod sit in damnum tertii: Vel hoc est contra bonum commune, ut hæresis, &c. proditio Patriæ, &c.; Vel est contra bonum particulae, ut homicidium, furtum, &c.; Si sit contra bonum commune, denunciari debet, etiam si non præcessit infamia, nec correctio fraterna, & etiam si non poterit delictum per alium testem integrum pro-

bari: Non debet enim præcedere infamia, quia magis consulendum est bono communi, quam famæ alterius particularis: Nec debet præcedere correctio fraterna; quia ex D. Th. 2. quæst. 32. art. 7., & aliis Theologis non speratur, quod per correctionem meam sit corrigendus, qui ausus est se opponere Ecclesie, aut Reipublicæ universali; Nec est opus, ut possit delictum per alium testem probari; nam damnata est ab Alex. VII. propos. 5. dicens: *Quamvis evidenter tibi constet, Petrum esse horum cum, non teneris denunciare, si prære non possis: Si vero delictum sit contra bonum particulae, vel tale delictum est jam finitum, ut ludus illicitus; Vel est in fieri, ut furtum, quod exigit restitutionem; si primum, non potest denunciari, quando delictum est occultum, & non præcessit infamia, ut communiter Doctores docent ex ratione supra adducta, quia hoc esset proximum infamare; Si secundum, denunciatio facienda est, si potest crimen per alium testem integrum probari, etiam si non præcessit infamia, quia finis excommunicationis est, ut delinquens exeat a delito, & ut refaciatur damnum proximi; ergo quamvis infamia non præcessit, debet denunciari crimen, quod probari potest, saltem post correctionem fraternam, si fructus per illam speratur. Quod si crimen probari non potest, neque potest delinquens denunciari, quia denuncians præsumeretur esse calumniator; si tamen Judex post semiplenam probationem præcipit sub excommunicatione, ut qui fecit delictum, illud manifestet, illud scientes tenentur manifestare, etiam si nec correctio præcedat, nec probare possint ex Navar., quia per novam manifestationem conficitur plena probatio.*

VIII. Notandum tamen primo cum Na-

Navar., Sot., & aliis communius contra Molin., & alios apud Dian. part. 5. tract. 13. resol. 68. quod qui tenentur denunciare furem, & non denunciant, non solum excommunicationem incurant, sed etiam teneantur ad restitutionem.

Notandum secundo, quod quando in Edictis præcipitur sub excommunicatione, ut qui audivit delictum, denunciet, non tenetur denunciare is, qui delictum audivit a personis levibus non fide dignis, aut per vicos, & plateras a personis incognitis; quia exponeret reum periculo manifesto iusta infamiae. Ita Navar., Cordub. apud Avil. loc. cit. Nec tenetur denunciare, quando id audivit a personis fide dignis, si ad denunciandum tale delictum prærequiratur infamia, & hanc dari non audivit. Etenim si cuti non tenetur denunciare hujusmodi delictum, quod vidit, quando non præcedit infamia; ita nec si delictum audierit a personis fide dignis. Nec etiam tenetur denunciare, quando audivit illud a persona fide digna, si hæc jam prius denunciaverit; quia suum testimonium nihil adderet, unde inutiliter denunciaret. Nec de num tenetur denunciare ex Avil., Sylvestr., Henr., quando scit, & est moraliter certus, quod Prælatus post denunciationem nullum remedium adhibebit, nec faciet justitiam. Ratio est, tum quia cessat finis, tum etiam quia nemo tenetur ad opus inutile.

IX. Quæritur ultimo; Quamdiu durent hujusmodi Edicta Prælatorum?

Respondeo cum Avil. disp. 5. dub. 5., Henr. & aliis, Edicta, quæ fiunt a Prælatis regularibus tempore visitationis, quod scilicet durante visitatione denuncientur talia delicta, durant quousque durat visitatio; ut constat tum ex intentione præcipientis, tum ex usu; Unde post visitationem nemo tenetur judicialiter denunciare. Edicta vero, quæ publicantur singulis annis ab Inquisitoribus, quod scilicet denuncientur hæretici, &c., durant, & obligant per totum annum; cum hæc sit intentio Inquisitorum, & sic prædictetur a fidelibus. At Edicta, quæ publicantur ab Ordinariis tempore Quadragesimæ, quod scilicet denuncientur Concubinarii, &c., durant tantum per duos, vel tres menses; Unde qui post tale tempus novit concubinarium, non tenetur denunciare. Et eadem est ratio de similibus Edictis: Etenim cum hæc crimina non sint in perniciem publicam, Edicta non sunt tam stricte interpretanda, sicut Edicta Inquisitorum; Et ideo a fidelibus non accipiuntur cum eodem rigore. Qui tamen impeditus est intra terminum præfixum in Edicto denunciare, tenetur ex Suar., & aliis denunciare statim post cessationem impedimenti; Qui vero ignoravit Edictum, tenetur denunciare post notitiam Edicti; sed infra terminum æqualem illi, qui ab Edicto conceditur; quia non debet esse pejoris conditionis, quam reliqui.

## Q U A E S T I O IV.

### De Effectibus Excommunicationis Majoris.

**U**NICUS est effectus majoris excommunicationis, videlicet totalis privatio Ecclesiasticae communicationis, juxta explicationem art. I. traditam. Verum quia pluribus diversis bonis tam Spiritualibus, quam temporalibus privatur fidelis per excommunicationem, ideo per respectum ad illa plures effectus distingui solent majoris excommunicationis tam immediati, & proximi, quam mediati, seu remoti, qui omnes varie a Variis enumerantur. Examinabimus primo, Quinam dicantur effectus Excommunicationis proximi, quinam remoti? Deinde de singulis effectibus immediatis scotsum agemus.

#### ARTICULUS I.

##### De Effectibus immediatis, ac remotis Excommunicationis.

- I. *Effectus Excommunicationis immediari, & proximi undecim solent enumerari.*
- II. *Quatuor ex his ad communicationem spiritualem spectant primario; tres autem secundario, ut pose spe-stantes ad Beneficia, & rescripta Apostolica.*
- III. *Reliqui quatuor spectant ad politi- cam, & temporalem participatio nem.*
- IV. *Effectus vero remoti, & mediati sunt sex alii, qui recensentur.*

**I. Q**uartitur primo; Quinam sint effectus excommunicationis immediati, & proximi?

Respondeo, posse ad hos undecim reduci. Primus est privare excommunicatum communibus Ecclesia suffragiis. Secundus privare participatio ne Sacramentorum tam activa, quam passiva. Tertius privare divinis officiis, Ecclesiastica sepultura, & aliis rebus sacris. Quartus, quod Ecclesia-

sticas personas suspendat tam ab officio, quam a beneficio, ita ut impedit juxta aliquos Doctores non solum acquisitionem dominii proveni tium Ecclesiasticorum, sed etiam eorum administrationem. Quintus, quod reddat personam non solum incapaciem, & ineligibilem ad Beneficia Ecclesiastica, sed etiam inhabilem ad alios eligendos ad hujusmodi beneficia. Sextus, quod privet excommunicatum quolibet usu jurisdictio nis tam in foro Sacramentali, quam in foro externo non solum Ecclesiastico, sed etiam (ut probabilis Doctores docent) seculari; unde si Princeps excommunicetur, absolu ti maneat subditi a fidelitate illi praestanda, etiamsi juramento firmata sit. Septimus, quod excludatur excommunicatus ab omnibus actibus forensibus, excepta solum sui defensione, ita ut in judicio non possit esse Actor, neque Testis, neque Advoca tus, neque Procurator, neque Tabellio, &c. Octavus, quod etiam prohibetur, ne ad dignitates temporales, aut ad officia, & ministeria publica assumatur, videlicet Judicis, Praetoris, Tutoris, Procuratoris, Curatori, &c., quamvis non sit irrita talis

ele-

electio, seu assumptio, si jurisdictionem non includat. Nonus, quod illi pariter prohibetur omnis humanus, & civilis contractus, necnon usus cuiuslibet officii, seu ministerii publici, quod humanam communicationem requirat; quamvis nec sint invalida, quae ab eo in hoc genere aguntur, nisi etiam jurisdictionem requirant. Decimus, quod privetur omni communicatione politica, & humana cum aliis fidelibus, ita ut non possit ab iis salutari, cum iis colloqui, &c. Ultimus, quod literæ Apostolice, seu Papæ reascripta in sui favorem impremita ab excommunicato (etiam tolerato juxta communem contra Navar.) sint irrita, præterquam super excommunicationis, aut appellationis articulo.

II. Ex his aliqui effectus primario spectant ad spiritualem communicationem; aliqui secundario; & alii spectant ad communicationem temporalem, & politicam. Spectant primario ad spiritualem communicationem: Primo, privatio communium Ecclesiæ suffragorum. Secundo, privatio participationis activæ, & passivæ Sacramentorum. Tertio, prohibitio, ne Ecclesiam ingrediatur excommunicatus, quando divina officia celebrantur, & ne donetur Ecclesiastica sepultura. Quarto, prohibitio, ne cum fidelibus in divinis communicet.

Spectant vero secundario ad communicationem spiritualem: Primo, suspensio ab officio, & beneficio. Secundo, quod excommunicatus sit incapax, & ineligibilis ad beneficia Ecclesiastica, nec possit alios ad ea eligere. Tertio, quod sit incapax ad obtinenda rescripta a Sede Apostolica. Huc etiam spectant duo illi effectus excommunicationis remoti, videlicet, & quod Clericus excommunicatus, si exerceat officium alicujus Ordinis Sacri, fiat irregularis; & quod excom-

municatus quicumque, si per annum in excommunicatione persistat, sit suspectus de hæresi, & aliis pœnis puniri debeat.

III. Demum ad temporalem, & politicam participationem spectant: Primo, quod excommunicatus privatitur usu cuiuscumque jurisdictionis. Secundo, quod excludatur ab omnibus actibus forensibus, præterquam ob propriam defensionem. Tertio, quod repellatur ab omnibus dignitatibus, & officiis temporalibus. Quarto, quod privetur omni humana, & politica communicatione cum fidelibus.

IV. Quæritur secundo; Quinam sint præcipui effectus mediati excommunicationis?

Respondeo; Primus est, quod excommunicationem minorem incurrat illicite communicans cum excommunicato, & in aliquibus casibus incurrat excommunicationem majorem, ut diximus art. 3. Secundus, quod pœnam irregularitatis incurrat Clericus excommunicatus, qui solemniter, & ut minister Ecclesiæ exercet officium ordinis Sacri, quem habet, ex cap. Is qui, de sententia excommunicationis in 6. Tertius, quod poenam suspensionis incurrat, qui excommunicatus ob percussionem Clerici Ordines suscipit, ex cap. Cum illorum, de sententia excommunicationis. Quartus, quod incurrat privationem beneficij, quod forte habet, qui excommunicatus in contumacia perseverat per triennium. Quintus, quod qui in excommunicatione obdurato animo per annum perseverat, sit suspectus de hæresi, & ut talis possit puniri, ex Trident. sess. 24. cap. 3.; Videtur enim contempnere Ecclesiæ claves, suffragia, & Sacra menta; unde fit de hæresi suspectus, suspicione tamen levi; ut proinde purgare se teneatur, & nisi id faciat, habeatur pro convicto: Si tamen perseveret per annum, non obdurato

M 2 ani-

animo, sed ex impotentia, aut ignorantia, non est suspectus de hæresi. Si dēmuni per aliquod tempus infra annum obdurato animo perseveret, puniendus est aliqua temporali pœna, ut docet Covarr. cum aliis. Ultimus effectus remotus est infamia, ex cap. *Infamis*, quæst. I.; ubi Stephanus Papa inter personas, quæ secundum Canones habentur infames, enumerat excommunicatos. Sed de effectibus immediatis sigillatim agendum.

## ARTICULUS II.

De Primo Excommunicationis effectu, qui est privare hominem suffragiis communibus.

I. Non privatur excommunicatus suffragiis, seu subsidiis spiritualibus, quæ habentur a Christo Domino pro missa Sacrificium, aut quæ ab aliquo fidei habenter, in quantum est persona particularis, sed solum iis, quæ habentur ab Ecclesia, dum publice orat, Sacrificium offerit, & Indulgentias elargitur.

II. Minister Ecclesiae, in quantum est persona publica, illicite simul, & invalide offerit pro excommunicato Sacrificium, ac orationes, aut Indulgentias dispensat; valide tamen, & licite in quantum est persona privata pro eodem orat, ac offerit actionem ipsam sacrificandi, prout pendet a merito privato operantis.

III. Fructus Sacrificii ex opere operatio valide, sed illicite pro eo offeritur a Sacerdote in quantum Christi ministero. Tres quippe veluti personas Sacerdos representat.

IV. Cur Ecclesia die Parasceves pro hereticis, & pro non baptizatis oret?

V. Probabilius etiam in divinis tri-

tum est cum excommunicato tolerato communicare.

VI. At probabilius nullatenus licitum est publicas preces pro excommunicatis contritis offerre.

I. Quid Ueritur primo; Quid sit, excommunicatum privari communibus Ecclesiae suffragiis?

Respondeo, suffragia nihil aliud esse, quam spiritualia quædam subsidia, quibus fideles tam vivi, quam defuncti juvantur, sive quoad satisfactionem pro pena temporali, sive quoad meritum de congruo, seu impenitentiam aliquorum bonorum vel spiritualium, vel quæ ad spiritualia conferunt. Triplex autem in Ecclesia datur suffragium, seu spirituale subsidium. Primum est a Christo Domino pro nobis offerente Sacrificium missæ ministerio Sacerdotis. Secundum est ab Ecclesia, quæ per suos ministros publice orat, Sacrificium offerit, & de thesauro Ecclesiae satisfactiones dispensat, ut diximus cum de Indulgentiis. Tertium est a quolibet fidei, in quantum persona particularis est; saepè enim unus pro altero orat, squalque satisfactiones pro illo offerit.

Certum est nunc, subsidio spirituali primi, & tertii generis non privari excommunicatum, cum ea non sint Ecclesiae suffragia; Etenim independenter a qualibet dispositione Ecclesiae & Christus Dominus offerit pro nobis suum Sacrificium ministerio Sacerdotis, & quilibet offerre potest pro altero suas orationes, & satisfactiones Deo; Unde subsidium primi generis, licet sit suffragium commune, non est tamen commune suffragium Ecclesiae; subsidium vero tertii generis est suffragium privatum; Quare solum subsidium secundi generis dicitur suffragium Ecclesiae commune, & hoc tantum privatur excommunicatus;

tus; Unde non potest Ecclesia per suos ministros publice pro excommunicatis orare, nec pro iis Sacrificium offerre, aut indulgentias dispensare; ut communiter docent, ex cap. *A nobis, de sententia excommunicatio-nis.*

II. Notandum hic primo, quod si minister Ecclesiae in quantum talis velit pro excommunicato publicas orationes, aut indulgentias applicare, illicite simul, & invalide operabitur; sicut si servus divitias domini dispensaret in personas a domino exclusas, nullum jus transferret in illas, & invalida esset dispensatio. Si tamen minister Ecclesiae non in quantum minister, sed ut persona privata pro excommunicato oret, aut recitet pro illo divinum officium, & licite, & valide operabitur, ita ut illi prodesse possint orationes privatae.

III. Notandum secundo circa sacrificium ex Con., Bonac., Escobar, quod si Sacerdos offerat pro excommunicato actionem ipsam sacrificandi, prout pendet a merito privato operantis, licite, & valide operabitur, & poterit excommunicato prodesse; non secus ac si aliae personae privatae, quæ eidem Sacrificio circumstant, privatim pro eo orient. Si vero offerat Sacrificium pro excommunicato, in quantum est minister Ecclesia, illicite, & invalide, ut diximus, operabitur; hoc est nihil proderit Sacrificium excommunicato quo ad impetrationem, cum Ecclesia non intendat pro illo orare. Si demum velit applicare excommunicato frumentum Sacrificii, qui habetur ex opere operato, illicite, sed valide operatur. Illicite quidem, quia id ageret ut Christi minister dispensando frumentum Sacrificii; atque adeo ageret tanquam persona publica, non privata; Ageret tamen valide, quia non applicat Sacrificium ut minister Ec-

clesiae, sed ut minister Christi, ex cuius, & non Ecclesiae institutione conferitur fructus ex opere operato. Itaque in Sacerdote tres veluti personæ considerari possunt. Prima Christi Domini, quam representat, & cuius est minister. Secunda Ecclesiae, cuius est etiam minister. Tertia privata: Neque in persona Christi, neque in persona Ecclesiae potest Sacerdos pro excommunicatis orare; licet enim Christus Dominus possit ad libitum offerre Patri pro quolibet suum Sacrificium, non potest tamen ejus minister, in quantum minister est, sed solum in quantum persona privata; sicut quilibet ex astantibus, de quibus in Canone dicitur: *Qui tibi offerunt hoc Sacrificium laudis.* Unde habes. in hoc differre Sacrificium a publico ministro oblatum nomine Christi, aut Ecclesiae, ab eodem oblato nomine privato ipsius Sacerdotis; quod offerens nomine Christi, aut Ecclesiae sustinet personam publicam, & offert illud secundum valorem operis operati: Contra vero, si offerat nomine proprio, sustinet personam privatam, & offert illud secundum valorem operis operantis. Ubi demum adverte cum Bonac., quod orationes privatae, & quodcumque offertur secundum valorem operis operantis perdunt valorem ab indignitate, seu a peccato mortali offerentis: Secus vero orationes publicæ, & quodcumque offertur secundum valorem operis operati; quia universim non solum habent valorem ab ipso orante, & offerte, sed etiam ab Ecclesia, vel Christo Domino, cuius nomine offruntur.

IV. Oppones: Ecclesia in die Paracceves orat publice pro hæreticis, & Schismaticis, qui absque dubio sunt excommunicati, quamvis tolerati: ergo falsum est, quod non possimus pro excommunicatis publice orare.

Rc-

Respondent aliqui cum Sylvest., Covarr., & aliis, licitum esse orationes publicas, & sacrificium offerre pro excommunicatis in genere, quia non applicantur illis in tali casu bona opera Ecclesiæ, ut prosint illis etiam perseverantibus in excommunicatione, sed ut ab excommunicatione liberentur, & ad Ecclesiam, a qua fuerunt præcisi, confugiant. Alii respondent, licitum esse publicas preces, & sacrificium offerre pro excommunicatis toleratis, quod infra examinabimus. Communior tamen, & verior sententia docet cum Pal., & Avil., velle Ecclesiam die solum Paræceves publicam illam orationem fieri pro hæreticis, neconon aliam pronon baptizatis, ut ostendat passionem Christi Domini, quæ eo die repræsentatur, quantum est ex se, esse pro omnibus; & ut ipsa Christum imitetur, qui tempore suæ passionis oravit pro inimicis; Unde alio die pro iis publice orare non licet neque in particulari, neque in generali, nec ut ab excommunicatione liberentur; hoc enim est directe pro illis orare, quod est illicitum. Licitum tamen est indirecte pro illis publice orare, & sacrificium offerre, petendo scilicet a Deo extirpationem hæresum, exaltationem Sanctæ Matris Ecclesiæ, & fidei dilatationem.

V. Quæritur secundo; An saltē pro excommunicato tolerato possint publice preces, & Sacrificium offerri?

Respondent negative Suar., Avil., Bellarm., Vasq., Bonac.; quia Ecclesia excludit omnes excommunicatos ab hujusmodi suffragiis, & quantum est ex parte sua, tradit eos postea demonis, ex 1. ad Timoth. 1. Præterea Concil. Constant. solum ad vitanda scandala concessit communicationem externam cum excommunicatis toleratis, ut in audienda misa, in

recitando officio, non vero internam, cum in hujus privatione consistat ratio excommunicationis. Adde, quod Concil. expresse dixit, nihil concedere in favorem excommunicatorum; maximus autem est favor excommunicatorum toleratorum, si possent pro iis fideles suffragia offerre.

Sed probabilior est sententia affirmativa, quam sequuntur Con., Henr., Hurt., Laym., Pal.; quia Concil. Constant. absolute concessit, ut possint fideles communicare, etiam in divinis, cum excommunicatis toleratis; ergo gratis limitatur ista concessio ad communicationem externam, & non internam per participationem suffragiorum. Præsertim quia hoc est proprie communicare in divinis, & talis communicatio in Ecclesia dicitur *Communio Sanctorum*; unde in Ecclesia idem est posse cum aliquo communicare, ac posse pro eo publicas orationes, & Sacrificium offerre. Ad id, quod objicitur, respondeo, quod sicut dum permittit Ecclesia communicationem civilem cum excommunicatis toleratis, favet illis tantum directe, sed favet fidelibus directe; ita pariter dum permittit communicationem in divinis, non favet excommunicatis directe, siquidem non possunt a nobis petere hujusmodi suffragia; sed favet illis indirecte concedendo fidelibus, ut possint pro illis orare; sic enim magis vitatur omne scandalum, & tollitur omnis scrupulus; quod intendit Concilium.

Dices; in *Clement. I.*, de *Sepulturis* excommunicantur, qui scienter excommunicatum sepelunt; ergo sicut quilibet excommunicatus, etiam toleratus, carere debet sepultura, ita etiam participatione suffragiorum Ecclesiæ.

Respondeo cum Pal. disp. 2. punct. 6., Henr. lib. 13. cap. 2., & aliis, post Concil. Constant. id intelligentem

dum esse tantum de excommunicatis non toleratis; unde potest excommunicatus toleratus sepeliri in Ecclesia sine ulla culpa.

Hinc sequitur primo, quod si excommunicati tolerati sint dispositi, possit illis prodeesse applicatio indulgentiarum, necnon fructus sacrificii, & orationis publicae quoad valorem pendentem ex intentione Ecclesiae; quæ tamen excommunicatis non toleratis prodeesse non possunt.

Sequitur secundo, posse nos licite pro hæreticorum reductione Sacrificium offerre, non solum indirecte, petendo extirpationem hæresum, & fidei dilatationem, sed etiam directe; cum hæretici sint excommunicati tolerati, ut notant Pal. num. 10., Bellarm. lib. 2. de Missa cap. 2.; Quamvis, ut advertit Laym., cavere debeat Sacerdos, ne contra Ecclesiæ morem hæreticos in missa nominet.

VI. Quæritur tertio; An licitum sit preces publicas, & Sacrificium offerre pro excommunicatis contritis, per quos non stetit, ne ab excommunicatione fuerint absoluti?

Respondeo, Avil., Reginald., & alios affirmare; quamvis enim illicitum sit pro iis nominatum publice orare, non videtur tamen illicitum secreto pro iis Sacrificium offerre, & publice orare pro iis in generali; quia non videtur credibile, quod pia Mater Ecclesia velit suffragiis suis privare eos, qui a contumacia recesserunt, & in Dei amicitiam sunt recepti. Communior tamen sententia negat cum Suar. disp. 9. sect. 3., Vsq., Con., Hurt., Bonac., quia quamvis potuisse Ecclesia eos non excludere, de facto tamen exclusit a participatione communium suffragiorum: Quod ex eo constat, tum quia in cap. *A nobis* non sit exceptio excommunicati contriti; tum etiam quia Innoc. III. in cap. *Sacro*, de sententia ex-

communicationis negat esse publicas preces offerendas pro excommunicato defuncto, qui ante mortem signa contritionis exhibuit, & petiit absolutionem, antequam ab excommunicatione absolvatur. Et ratio a priori est, quia excommunicatio non tollitur contritione, sed absolutione; Quare sicut non potest excommunicatus contritus ante absolutionem occulte celebrare, aut Sacraenta recipere, ita nec potest Ecclesiæ suffragiis frui.

Dices: Finis excommunicationis est emendatio delinquentis; ergo cum reus per contritionem sit emendatus, cessat finis excommunicationis, & consequenter cessat excommunicatio, ejusque effectus.

Respondeo, cessante fine excommunicationis cessare debet excommunicatio eo modo, quo cessare potest, videlicet per absolutionem; unde hac non præmissa non cessat excommunicatio, nec ejus effectus.

Dices secundo, per contritionem excommunicatus evadit membrum vivum Ecclesiæ; ergo debet aliorum membrorum subsidiis vegetari; non enim amplius est recisus ab aliis, nec debet haberi ut canis, cui non sit mittendus panis filiorum, ut notat Sayr., & Covarr.

Respondeo, quod quamvis per contritionem sit membrum vivum, est tamen adhuc recisum a corpore quoad participationem suffragiorum Ecclesiæ, donec absolvatur; Non est utique habendus tanquam canis; illi tamen non debetur panis filiorum, donec per absolutionem corpori Ecclesiæ iterum uniatur.

AR.

## ARTICULUS III.

**D**e Secundo effectu, qui est private excommunicatum participatio Sacramentorum.

**I.** *Quandonam possit per accidens Excommunicatus recipere, & administrare Sacra menta?*

**II.** *Num Excommunicatus vitandus post collatam moribundo in casu necessitatis absolutionem Sacramental em possit etiam Eucharistiam, ac Extremam Unctionem ministrare?*

**III.** *Valida sunt Sacra menta ab excommunicato collata, excepta Panitia ab excommunicato vitando administrata extra casum necessitatis, nisi ad se error communis.*

**IV.** *Excommunicatus ignorans suam excommunicationem, si bona fide accedat ad Sacramentum Pœnitentia, valide illud suscipit.*

**V.** *Irregularitatem incurrit excommunicatus, si Sacra menta administret, aut Sacrum Ordinem exerceat, etiamsi invalide ex defelta jurisdictionis Sacramentum Pœnitentia administret.*

**VI.** *Excommunicatus non peccat per hoc, quod die festo Missam non audiat, & peccat vero per hoc, quod sacram Synaxim in Paschate non recipiat.*

**I.** *S*ecundus effectus excommunicationis est Privatio tam activæ, quam passiva participationis Sacramentorum; unde excommunicatus tam vitandus, quam toleratus illa nec administrare potest, nec recipere.

*Quæritur nunc primo; An possit excommunicatus aliquando licite recipere, aut administrare Sacra menta?*

*Respondeo, posse aliquando per*

accidens pluribus de causis; Verbi gratia, ratione ignorantiae, aut inadvertentiae; vel ad vitandum scandulum, aut grave aliud damnum sive proprium, sive alienum, sive spirituale, sive temporale, sive in fama, sive in bonis aliis; dummodo valide possint Sacra menta suscipi, aut conferri; Sicut valide omnia suscipi, & conferri possunt, excepto Sacramento Pœnitentiae, ut mox explicabimus. Unde fit, excommunicatum etiam vitandum posse licite in articulo mortis administrare moribundo Sacra menta, etiam Pœnitentiae, si alius minister desit; Neenon Parochum excommunicatum assistere matrimonio, vel alteri Sacerdoti licentiam conferre ad assistendum pro ipso in simili casu necessitatis, ut notat Hurt. disp. 4. diff. 2.

*H.* Dubium est; An excommunicatus vitandus, postquam dedit moribundo absolutionem Sacramentalem, possit illi ministrare Eucharistiam, & Extremam Unctionem?

Negat Hurt. loc. cit.; quia celsa ratio necessitatis proximi, qui non tenetur obedire præcepto divino de sumenda Eucharistia in articulo mortis, quando adest (ut in casu) legitimum impedimentum. Sed probabilius affirmant Suar. disp. 1. fct. 2., Pal., & alii; quia quamvis non sit in moribundo sacramentaliter absoluta necessitas sumendi Eucharistiam, aut Extremam Unctionem, est tamen major necessitas obediendi præcepto positivo Christi Domini de sumenda Eucharistia in articulo mortis, quam sit necessitas obediendi præcepto Ecclesiastico de non communicando cum excommunicato vitando; ergo potest ab isto suscipi Eucharistia; præfertim quia accidere potest, ut moribundus per absolutionem non sit justificatus, & per Eucharistiam bona fide suscep tam justificetur, & sic salvetur. Et ob

ob hanc rationem tempore interdicti non solum permittitur moribundo Sacramentum baptismi, aut pœnitentiae, sed etiam Eucharistie. Quia vero tempore interdicti non permittitur Extrema unctio, hinc Suar. putat loc. cit., quod excommunicatus vitandus non possit Extremam unctionem conferre moribundo, cui ministravit Sacramentum Pœnitentiae, & Eucharistie; posse tamen in defectum istorum Sacramentorum Extremam unctionem ministrare; quia probabile est, quod hoc Sacramentum conferat primam gratiam attrito putanti se non esse in mortali.

III. Quæritur secundo; An Sacra-  
menta ab excommunicato suscep-  
ta, aut administrata sint invalida?

Respondeo, certum esse, quod sint valida sex alia Sacra-  
menta præter Pœnitentiam; quia posita eorum mate-  
ria, & forma independenter a volun-  
tate Ecclesie perficiuntur ex institu-  
tione Christi Domini. Poterat quidem Ecclesia invalidare Sacramentum  
matrimonii, invalidando contractum  
matrimoniale celebratum inter ex-  
communicatos; sicut invalidavit ma-  
trimonium clandestinum; sed de fa-  
cto noluit ipsum invalidare. Porro Sa-  
cramentum Pœnitentiae, si ministretur  
ab excommunicato tolerato, est  
validum, quia hic non privatur juris-  
dictione; secus vero si ministretur a  
non tolerato, qui caret jurisdictione;  
Excipitur tamen casus extrema nec-  
essitatis proximi; siquidem in articulo  
mortis ex Trident. confertur illi ab  
Ecclesia jurisdictione; sicuti etiam si igno-  
retur in aliquo loco ejus excommuni-  
catione; tunc enim stante errore com-  
muni, ex Leg. Barbarus, propter com-  
mune bonum confertur pariter ab Ec-  
clesia Sacerdoti excommunicato non  
tolerato jurisdictione.

IV. Dubium itaque solum est; An Sacramentum Pœnitentiae valide reci-  
Pars VIII.

piatur ab excommunicato ignorante  
suam excommunicationem, & bona fide  
ad illud accedente cum debita di-  
spositione? Sylvest., Vasq. de Excom-  
munication. dub. 4., Hurt. diff. 3. pu-  
tant, invalide suscipi etiam ab excom-  
municato excommunicatione minore;  
quia in Sacerdote non habetur juris-  
dictione relate ad pœnitentem non ab-  
solutum ab excommunicatione. Sed  
verius Cajet. Avil., Suar. disp. 10. sect.  
3. putant, valide suscipi ab excom-  
municato non prius absoluto bona fide  
ab excommunicatione etiam majore;  
quia in jure non irritantur Sacra-  
menta ab excommunicato suscepta. Præ-  
terea excommunicatio pœnitentis non  
tollit Confessario suam jurisdictionem;  
cum non sit pœna confessarii, sed pœ-  
nitentis; ergo si non caret in tali ca-  
su Confessarius jurisdictione, validum  
erit Sacramentum Pœnitentiae ab ex-  
communicato susceptum, non præmis-  
sa absolutione a censura bona fide.

V. Quæritur tertio; Quam pœnam  
incurrat excommunicatus illicite Sa-  
cra-  
menta administra-

Respondeo, præter culpam sacrile-  
gii, incurrire pœnam irregularitatis,  
ex Cap. ult. de Clerico ministrante: Si-  
cuit etiam irregularitatem incurrit, si  
Sacrum Ordinem, quem habet, exerceat;  
puta si Diaconus solemniter can-  
tet Euangelium. Quod si cantet Eu-  
angelium, quin sit Diaconus, irregu-  
laritatem non incurrit; Nec illam  
incurrat, si justis de causis excusat  
a culpa, aut ex probabili ratione pu-  
tet, se non esse excommunicatum.  
In receptione vero Sacra-  
menti excom-  
municatus nullam pœnam Ecclesiasti-  
cam incurrit, nisi sit excom-  
municatus ob percusione Clerici; hic enim,  
si suscipiat Ordines, manet suspensus  
ab Ordine suscepito, ex cap. Cum illo-  
rum, de sententia Excommunicationis.

Dubitatur; An irregularitatem in-  
currat excommunicatus vitandus, qui

N Sa-

Sacramentum Pœnitentiæ administrat? Negat Richard., quia cum careat jurisdictione, attentat tantum Sacramentum ministrare, sed re vera illud non administrat. Affirmat tamen Suar. disp. 2. sect. 3., & Pal.; quia irregularitas ista imponitur ob délictum fungentis, quantum est in se, potestate Ordinis; quod præstat, qui etiam invalidè Sacramentum Pœnitentiæ administraret: Aliter neque incurret irregularitatem, quando ex indispositione pœnitentis Sacramentum est nulum; quod nemo dixerit.

VI. Quæritur ultimo; Utrum excommunicatus peccet omittendo auditio-  
nem Sacri die festo, & annuam confessionem, & communionem in Pa-  
schate?

Respondeo cum Avil. 2. part. cap. 6. disp. 4., Medin. Navar., quod si eo fine negligat absolutionem, ne audiatur Missam, aut recipiat Sacra-  
menta præcepta, procul dubio peccet mortaliter; Si vero sit negligens in pro-  
curanda absolutione, non tamen eo fine, non peccat non audiendo Mis-  
sam; peccat vero non suscipiendo in Paschate Sacra-  
menta. Non peccat non audiendo Missam die festo, quia Ecclesie non obligat impeditos; nec vi-  
detur homo obligatus se disponere ad audiendam Missam tollendo impedimentum censuræ; quia hæc dispositio censetur valde remota: Et idcirco non peccat contra præceptum audiendi Missam infirmus, qui negligens est in procuranda sanitate; aut qui sua culpa in vinculis detinetur, verbi grata-  
tia, non solvendo debita, ut docet Laym. cap. 2. de Excommunicatione: Contra vero peccat non suscipiendo in Paschate Sacra-  
menta; quia præcepta confessionis, & communionis annuæ non sunt pure Ecclesiastica, ut præceptum audiendi Missam, sed sunt partim divina; unde quamvis Ecclesie prohibeat excommunicato accede-

re ad Sacra-  
menta, non tollit tamen obligationem juris divini de recipien-  
dis Sacra-  
mentis: Adde ex Laym.,  
quod præceptum confessionis per se obligat ad mundandam conscientiam,  
& ad tollenda vincula tum peccato-  
rum, tum excommunications; ergo si excommunicatus negligat ea tolle-  
re, procul dubio peccat.

#### ARTICULUS IV.

De Tertio effectu, qui fert privationem Divinorum officiorum, Ecclæsiastica sepulturæ, & alia-  
rum rerum sacrarum.

- I. *Quid veniat nomine divinorum officiorum, quorum celebratio excom-  
municatis inhibetur? In recitatione  
privata Horarum non nisi veniale  
est socium adhibere, & dicere, Do-  
minus vobiscum.*
- II. *Etiam toleratis uitium est Missam  
audire, aut ad illam cooperari dan-  
do stipendium; sed non toleratus  
citicendus est tempore divinorum of-  
ficiorum. Quid si nequeat expelli?*
- III. *Num prohibetur excommunicati  
uti rebus sacris?*
- IV. *Celebrans coram excommunicato vi-  
tando quam pœnam incurrat?*
- V. *Sepultura Ecclesiastica quibus ex-  
communicatis fit neganda?*
- VI. *Num excommunicatio late contra  
sepelientes excommunicatum in lo-  
co Sacro incurritur a sepelientibus  
dumtaxat, an etiam a comitanti-  
bus, & a non impediensibus?*
- I. *Juxta tertium effectum excom-  
municationis prohibetur ex-  
communicatis, etiam toleratis, divi-  
na officia celebrare, aut iisdem inter-  
esse, ex Cap. Nihil, de Sententia ex-  
communicati. Nomine autem divino-  
rum officiorum veniunt omnes Sacra-  
functiones, quæ ab Ecclesia publice,  
& so-*

& solemniter fiunt, ut sunt Missæ Sacrificium, horæ Canonicae, & omnis publica oratio; Sicut etiam processio, benedictio Chrysostomus, consecratio, & similes cæremoniae, quæ ex Ecclesiæ, vel Christi Domini institutione a ministris ad id ordinatis solemniter fiunt: Et similiter comitari Sacram Eucharistiam, quando cum pompa defertur ad infirmos. Licitum tamen est excommunicatis ingredi Ecclesiam, & privatim orare, immo & concionem audire; non enim excluduntur ab ingressu Ecclesiæ, nisi quando divina celebrantur: Nec solum possunt, sed etiam tenentur satisfacere privatim oneri, quod forte habebant recitandi horas Canonicas, ne commodum ex iniquitate reportent. Et ex Suar. disp. 12. sect. 2. veniale tantum esset adhibere socium in recitatione privata horarum, nisi quis ex aliqua necessitate etiam a veniali excusatetur. Veniale etiam esset dicere, Dominus vobiscum, quamvis Avil., & Hurt. disp. 5. diff. 2. putent, ne veniale quidem peccatum esse; quia per hæc verba, Dominus vobiscum, non importatur communicatio cum aliis; Sicut nec per illa alia, Venite exultemus Domino; nam dicere absentibus, Dominus vobiscum, non est cum illis communicare, sed illis bene precari, quod non est illicitum.

II. Ex dictis sequitur, quod nullus excommunicatus, etiamsi toleratus, possit missam aut celebrare, aut audire; Immo si non toleratus interesse præsumat missæ, monendum est, ut discedat ex Clement. Gravis, de Sententia excommun. Si tamen iussus discedere non pareat, novam excommunicationem incurrit, & five per Clericos, five per laicos expelli debet, absque tamen scandalo, & percusione. Quod si expelli nequeat, omnes alii recedere tenentur, ne cum illo communicent; & Sacerdos si Ca-

nonem, aut saltem, Qui pridie, incepit, ut supra diximus, debet Missam cum solo ministro profequi usque ad sumptionem Calicis, & quæ reliqua sunt Missæ, in Sacraria pergere, si detur locus aptus; aliter omittat: Si vero canonem non incepit, debet Missam inchoatam relinquere: Hoc autem, ut notavit Suar. disp. 12. sect. 1., & Hurt., intelligendum est de Missa, cui excommunicatus moraliter assistit; nam si sit in templo, non causa audiendi Missam, aut divinum officium, nec ad ea attendens, non est ejiciendus, quamvis physice ea audiat. Immo si assistat Missæ Altaris A, non vero altaris B, qui audiunt Missam altaris B, non tenentur illum ejicere, aut Missam relinquere. Eodem modo dum dicuntur Horæ Canonicae, aut fit Processio solemnis, &c., si excommunicatus non toleratus non discedat, ejiciendus est, aut divinum officium, vel processio omittenda: Quamvis Leand. putet esse tantum veniale, secluso scandalo, audire Missam, aut in eadem Missa communicare cum excommunicato vitando.

III. Quæritur nunc primo; An etiam vetitum sit excommunicatis uti rebus Sacris, verbi gratia, templo, aqua lustrali, reliquiis, indulgentiis, orationibus ab Ecclesia institutis?

Respondeo cum Suar. disp. 12. sect. 3., distinguendum; Nam vel vult excommunicatus his uti intentione participandi fructus ab Ecclesia intentos, videlicet impetrationis, remissionis culpæ, vel pœnae, &c., & profecto non licet; nec, si his utatur, proderunt, ut supra diximus: Vel vult iis uti, quatenus deservire poterunt privatæ devotioni, venerationi, ac religioni; & sic licet: Sicut enim licet excommunicato munire se signo crucis, benedicere mensam, adorare Eucharistiam, imagines, &c., ita licitum

N<sup>o</sup> 2 est

est uti aqua lustrali, ut ad Dei privatum cultum, & ad peccatorum dolorem excitetur: Quare non potest excommunicatus ejici e templo Sacro, nisi quando divina officia celebrantur. Circa indulgentias patet, quod non possit eas lucrari; cum a participatione thesauri Ecclesiæ sit exclusus.

IV. Quæritur secundo; Quam pœnam incurrat Sacerdos celebrans coram excommunicato vitando?

Respondeo, incurrere solum excommunicationem minorem; si tamen Sacerdos sit exemptus a jurisdictione Ordinarii, incurrit etiam Interdictum ab ingressu Ecclesiæ, ut notat Covarr. in Cap. *Alma Mater*, I. part. §. 6.: Irregularitas certe non incurritur, (ut notat Leand., & Pal. disp. 2. punet. 9.) nisi a Sacerdote excommunicato, qui auctoritate sua faceret alium coram se celebrare; quia per fictionem juris celebrare ipse censetur.

V. Circa Ecclesiasticam sepulturam certum est, excommunicatum vitandum sepeliri non posse in templo, nec in cœmeterio; imo neque in loco, ubi confuevit dici Missa, quamvis nulla alia benedictione sacrato, ut notat Suar. sect. 4.; Unde graviter peccaret, qui excommunicatum vitandum in loco sacro sepeliret ante absolutionem, saltem in foro Sacramentali datam, etiam si dederit ante mortem signa contritionis: Imo excommunicationem majorem incurreret, ex Clement. I. de sepuli., & Ecclesia remaneret polluta. Peccaret pariter, si Psalmos concineret, crucem deferret, &c. dum cadaver excommunicati vitandi defertur ad sepulturam; quia haec quædam communicatio est cum excommunicato, & quædam honor prohibitus illi dari. Communiter tamen Doctores docent contra Avil., haec dunitaxat in non toleratis locum habere; unde potest excommunicatus toleratus in Templo

sepeliri.

VI. Dubium est; Num excommunicationem majorem latam contra sepelientes excommunicatos in loco Sacro incurrant solum hi, qui cadaver propriis manibus in sepulturam intrudunt, & terra obriunt, an etiam qui illud deferunt ad sepulturam, & pomparam funebrem comitantur? Navar., Avil., Cajet. putant, solum incurrit ab iis, qui propriis manibus sepelunt, eo quod pœnae sint stricte interpretandæ: Suar. tamen, & Con. docent comprehendendi etiam eos, qui sepulturam procurant; quia isti etiam dicuntur sepelire: Reginald., & Ugolin. volunt comprehendendi etiam non impedientes; Sylvest. comprehendendi conitanentes. Prima sententia videtur probabilior, aliae etiam probabiles.

#### ARTICULUS V.

De Quarto, & Quinto effectu, qui ferunt suspensionem ab officio, & Beneficio, & inhabilitatem ad Beneficia Ecclesiastica.

- I. Excommunicatus etiam toleratus privatur Beneficio post excommunicationem obtinendo, nec potest fructu illius facere suos, quamvis statu communicationis sit ignarus.
- II. Num privetur etiam fructibus Beneficii ante excommunicationem obtenti?
- III. Num cuiusvis Pensionis excommunicatus sit incapax?
- IV. Probabilius invalide Beneficium tempore excommunicationis acceptat, qui ad illud ante censoriam fuerat electus.
- V. Collatio Beneficii facta tempore excommunicationis post absolutionem non revalidatur ipso facto.
- VI. Quod dictum est de Excommunicato, dicendum etiam est de Suspensiō ac de personaliter Interditio.

I.

**L**Ixi mus juxta quartum, & quintum effectum, Ecclesiasticas personas per excommunicationem suspendi ab Officio, & Beneficio; & quemcumque excommunicatum esse inhabilem, ut eligatur, aut ut alios eligat ad Beneficia Ecclesiastica.

Quæritur nunc primo; An excommunicatione privet excommunicatum Beneficio, & fructibus ejus?

Respondeo, convenire Doctores in hoc, quod non privet excommunicatum beneficio jam obtento ante excommunicationem, sed solum privet beneficio post excommunicationem obtainendo; cum reddat excommunicatum beneficii incapacem: Et ratio est, quia cum excommunicatus non possit officium, & munus suum exercere, debuit Ecclesia irritare collationem beneficii illi factam; siquidem beneficium est propter officium: Idque verum est non solum de excommunicato vitando, sed etiam de tolerato, ut docent Suar., Sayr., Pal. disp. 2. punct. 8. contra Hurt. diff. 2. Etenim per Extravag. *Ad evitanda*, qua cæteris fidelibus permittitur communicare cum excommunicato tolerato, non intenditur ullus favor excommunicati, nec permittitur illi vicissim se in communicationem fidelium ingerere; atque adeo nec beneficium recipere, quod hujusmodi communicationem requirit. Et propter hanc rationem non solum irrita est collatio beneficii facta excommunicato, sed etiam electio, præsentatio, nominatio, neconon resignatio, ac permutatio beneficii; cum prohibita sit excommunicato omnis communicatio cum fidelibus: Et quia nulliter beneficium reciperet, ideo ejus fructus non faceret suos, ut notant communiter cum Hurt., & Suar. disp. 13. sect. 1.; qui etiam docet propter eandem rationem excommunicatum inhabilem esse ad quascumque Ecclesiasti-

cas dignitates præter Papalem.

Addit etiam Con. disp. 14. dub. 9., quod acquisitio beneficii sit nulla, quamvis excommunicatus suæ excommunicationis sit ignarus. Et ratio est, quia quamvis ignorantia censura tollat culpam in acceptante beneficium, non tollit tamen inhabilitatem ad illud, ut communiter docent contra Navar. Utrum autem non solum passiva, sed etiam activa electio ad beneficia sit irrita? Dicemus art. sequent., esse irritam, si fiat ab excommunicato vitando, secus si a tolerato.

II. Dubium est; An qui incidit in excommunicationem, pro tempore, quo durat excommunicatio, privetur etiam fructibus beneficii ante excommunicationem obtenti?

Respondeo, tres in eo esse sententias; Prima affirmativa Suar., Tolet., Covarr. ex cap. *Pastoralis*, de *Appellat.*; ubi dicitur, quod *Proventus Ecclesiastici merito illi subtrahuntur, cui Ecclesia communio denegatur*. Secunda negativa Avil. cap. 6. disp. 6., Vafq. de Beneficiis cap. 3., quia talis pœna nullo jure habetur expressa; etenim in cap. citat. *Pastoralis* sermo est de subtractione facienda a Judice per sententiam, non vero de privatione proventuum, quæ per ipsammet excommunicationem hat. Tertia sententia est Navar. in *Manual.* cap. 25., ubi docet, in eo tantum casu privari fructibus beneficii excommunicatum, in quo negligens sit in procuranda absolutione, ita ut per ipsum stet, ne absolvatur.

Secunda opinio negativa videtur probabilior; Quare solum post Judicis sententiam fructibus beneficii spoliari debet; si tamen officium suum præstet, videlicet si Canonicus in occulta excommunicatione persistens choro interlit, si Cappellanus missas persolvat, Parochus Sacra menta ad ministret: Secus vero si culpabiliter offi-

officium suum omittat; tunc enim cum beneficium sit propter officium, ex naturali lege iustitiae ad restitutionem fructuum esset obligatus; non secus ac non excommunicatus, si ea, quæ officii sui sunt, non præstet, ut notat Con. dub. 9., Bonac. Vasq.. Unde fit, quod cum missa Cappellani excommunicati non proficit ei, cui applicatur, quoad valorem, quem habet ab Ecclesia, non potest talis Cappellanus celebrans retinere omnes fructus sacrificii; cum non adimpleat adæquate officium suum, ut recte observat idem Bonac. quæst. 2. punct. 4.

III. Quæritur secundo; Utrum possit conferri excommunicato Pensio?

Respondeo ex Laym. part. 2. cap. 2., triplicem esse pensionem. Prima est spiritualis, quæ confertur ob ministerium spirituale, puta Concionatori, Coadjutori, Parocho, &c. Secunda est temporalis, seu laica, quæ etiam laicis conferri potest ob tempore aliquod obsequium præstitum, Verbi gratia, quia armis, aut alia ratione ipse pensionarius, aut majores sui Ecclesiæ jura defenderunt. Tertia dicitur mixta, quæ licet non conferratur ob ministerium spirituale, Clericis dumtaxat tamen conferri potest, sicut pensio spiritualis; confertur enim pensio mixta, verbi gratia Pastori, aut Curato seni, quando beneficium ipsius, cui nequit amplius inservire, datur alteri; Confertur etiam resignanti, aut permutanti beneficium.

His explicatis; Nonnulli apud Dian. in Summ. V. *Beneficium* cum *Præposito*, *Filliuc.*, & aliis docent, excommunicatum cujusvis pensionis esse capacem; quia solum incapax est beneficii; pensiones autem quamvis sint jus ad percipiendos fructus ex alieno beneficio, non sunt tamen in rigore beneficia; & idcirco pensionarius non tenetur recitare officium divinum, sed solum officium B. Virginis, ubi est

recepta constitutio Pii V.; ergo excommunicatus non est incapax pensionis. Alii vero docent, nullius pensionis esse capacem, propter stylum Romanæ Curiae, & præmix Datarie: Communius tamen, & probabilis docent, pensionis spiritualis esse omnino incapacem; quia sicut beneficium, ita pensio spiritualis datur propter officium spirituale; cum autem excommunicatus officium spirituale præstare non possit, nec potest tali pensione gaudere: Contra vero pensionis laicalis esse capacem, cum hac habeat rationem stipendi temporalis. Pensionis mixtae majus dubium est, an sit capax? Con. disp. 14. dub. 9. negat esse capacem; quia hujusmodi pensiones beneficiis succedunt; & ideo beneficiorum naturam debent imitari. Probabilis tamen est, quod sit capax tam excommunicatus, quam irregularis, propter declarationem Cardinalium adductam a Laym. loc. cit., & Suar. disp. 44.

IV. Quæritur tertio; An electus ad beneficium ante excommunicationem, si tempore excommunicationis illud acceptet, valide acceptet?

Respondeo, Azor., Covar., Say., Garz. affirmant; quia jura ea solum irritant, per quæ acquiritur jus ad beneficia; sed jus ad beneficia non acquiritur per acceptationem, sed solum per collationem beneficii; ergo sola acceptatio beneficii facta tempore excommunicationis non irritatur. Minor probatur, quia nemo sibi ipsi jus confert; ergo, cum acceptatio sit ab ipso acceptante, non potest acceptans per acceptationem suam acquirere jus ad beneficia; quare acceptatio est solum conditio essentialiter requisita, ut collatio beneficii tribuat jus ei, cui confertur.

Probabilis tamen Suar., Vasq., Hurt. disp. 6. diff. 3., Con. loc. cit. negant; quia cum Sacri Canones de-

cla-

clarent excommunicatum esse inhabilem ad acquirendum jus ad beneficia; & cum tale jus acquiratur per collationem, & acceptationem simul, sequitur, quod utraque pariter irritetur: Quamvis enim nemo sibi ipsi jus conferat; potest tamen per proprium actum acquiri jus in re; sicut acquiritur a donatario per acceptationem rei donatae. Consonat quod dicitur in cap. *Si tibi absenti 17., de Prabendis*, videlicet per collationem solum acquiri jus ad rem; per acceptationem vero acquiri jus in re; ergo non acquiritur jus adæquatum per solam collationem, sed etiam per acceptationem; & consequenter cum jura irritent id, per quod acquiritur jus ad beneficia, tam collationem, quam acceptationem irritant?

V. Quæritur quarto; Utrum collatio beneficii facta alicui tempore excommunicationis statim post absolutionem revalidetur, an vero opus sit nova collatione post absolutionem, ut jus ad beneficium acquiratur?

Respondeo, tres esse hac in re Doctorum sententias. Prima Navar., & aliorum apud Sanch. de matrim. disp. 7. absolute affirmat revalidari; tum quia talis collatio valuit ex parte conferentis, & solum fuit invalida ex parte recipientis ob ipsius inhabilitatem: atqui per absolutionem tollitur inhabilitas; ergo collatio per absolutionem fit adæquate valida: Tum etiam quia voluntas collatoris censetur semper perseverare, donec revocetur; ergo cum etiam post absolutionem moraliter perseveret, non requiritur nova collatio, ut jus ad beneficium post absolutionem acquiratur.

Secunda sententia Panormit. apud eundem Sanch. docet, valere collationem posita absolutione, si Collator noverat vitium Collatarii; etenim cum in tali casu non censeatur velle conferre invalide beneficium, censem-

tur illud conferre pro eo statu, in quo Collatarius non est inhabilis.

Tertia demum communissima cum Con. dub. 9., Pal., Hurt. disp. 6. diff. 3. tenet, nunquam revalidari priorem collationem; cum enim ab initio fuerit nulla, nequit per voluntatem conferentis quantumvis perseverantem fieri valida, nam solum perseverat voluntas illa, quæ ab initio fuit nulla; atque adeo sicut initio nihil effecit ob incapacitatem subjecti, ita nihil tunc potest efficere, quamvis subjectum sit capax.

Neque dicas; Per absolutionem tolli inhabilitatem subjecti; ergo collatio validatur: Etenim ad valorem collationis nihil aliud requiritur, quam habilitas subjecti, quæ post absolutionem jam habetur.

Nam concessio antecedente, nego consequentiam. Ad probationem distinguo antecedens; Ad valorem collationis, quæ de novo fiat, tantum requiritur habilitas subjecti, concedo; ad valorem collationis factæ tempore inhabilitatis, nego antecedens, & consequentiam.

VI. Quæ diximus de excommunicato quoad impetratorem beneficii æque militant de suspenso, & de personaliter interdicto, ut observant Azor., Ugolin., Pal. disp. 3. punct. 10. ex Glos. cap. *Dilectus, de Consuetudine*. Ratio est, quia ideo collatio beneficii facta excommunicato irritatur, quia hic incapax est officium exercendi; atqui eandem incapacitatem habet suspensus, & personaliter interdictus; ergo idem de his omnibus hac in re sentiendum.

A R.

## ARTICULUS VI.

De Sexto effectu, qui est Privatio jurisdictionis.

I. *Quinam dicantur actus jurisdictionis, qui probibentur excommunicato vitando, necnon tolerato, nisi fuerit hic a fidelibus requisitus?*

II. *Actus jurisdictionis, qui a tolerato non requisito exercentur, illiciti sunt post Concil. Constant., non invalidi; Possuntque a fidelibus per exceptionem repelliri: Invalidi tamen sunt hujusmodi actus, si a vitando exerceantur.*

III. *Non irritantur tamen actus, qui non sunt jurisdictionis prese dictæ, qualis est, quod Parochus Matrimonio assistat.*

IV. *Probabilius sunt actus stricti jurisdictionales, atque adeo invalidi, si fiant ab excommunicato vitando, dare facultatem assistendi matrimonio, audiendi confessiones, administrandi Sacra menta, approbare Confessarios, & Concionatores, concedere dimissorias, & similes.*

V. *Electio, & Collatio Beneficii est invalida, si fiat ab excommunicato vitando; secus vero si fiat a tolerato.*

VI. *Praesentatio paruer Ecclesiastica facta ab excommunicato vitando est invalida; est vero valida praesentatio laica, quamvis ab Episcopo possit repelliri.*

VII. *Num possit Episcopus presentatum ab excommunicato vitando in Beneficio instituere.*

VIII. *Institutio facta ab Episcopo vitando est invalida. Similiter concessio possessionis, quando talis Episcopus juridice aliquem in Beneficium introrimit.*

IX. *Postulatio, & nominatio solemnis*

*est invalida, si fiat ab excommunicato vitando; secus vero simplex.*

X. *Resignatio beneficii libera valide fit ab Excommunicato vitando; non tamen in favorem Terti.*

I. **A**ctus Jurisdictionis dicuntur, exempli gratia, legem ferre, præcipere, dispensare, judicium ferre tam in foro conscientiæ, quam in contentioso, dare licentiam ad munus aliquod Ecclesiasticum exercendum, indulgentias concedere, delegare jurisdictionem, & alii hujusmodi; Qui omnes actus cuilibet excommunicato etiam tolerato sunt saltem illiciti, ex cap. Ad probandum, de sententia, & re judicata: Quare nisi parvitas materiæ, aut inconsideratio excusat, peccat graviter excommunicatus hujusmodi actus exercendo, ut communiter docent cum Suar., Hurt. disp. 7. diff. 1.; quia talis communicatio cum fidelibus est præcipua communicatio, cum sit in rebus spiritualibus. Potest tamen licet eos exercere excommunicatus toleratus, si fuerit a fidelibus requisitus, ut diximus art. 2. cum Filliuc., Pal. disp. 2. punct. 13.; quia excommunicatus toleratus privatur tantum jurisdictione in proprium commodum, non vero in commodum fidelium. Utrum autem excommunicatus priveatur non solum jurisdictione Ecclesiastica, sed etiam seculari? Examinabimus art. sequent. cum de Judice Sæculari.

II. Quæritur nunc primo; An prædicti actus jurisdictionis, si ab excommunicato tolerato exerceantur, quando a fidelibus is non est requisitus, sint non solum illiciti, sed etiam invalidi?

Respondeo, quicquid sit, an essent validi ante Concilium Constantiense, in quo varians Doctores apud Suar. disp. 14. lect. 1., certum est, nunc non

non esse invalidos ; quia cum Ecclesia post Constantiense permittat fidelibus communicationem cum hujusmodi excommunicatis , perinde ac si non essent excommunicati , consequenter relinquit iis jurisdictionem requisitam ad hujusmodi communicationem .

Hinc duo sequuntur . Primum est , posse fideles uti aliqua dispensatione , licentia , & facultate accepta ab excommunicato tolerato , exercere jurisdictionem ab ipso sibi delegatam , servare legem ab eo latam , illique obedere . Secundum est , posse a fidelibus omnes hujusmodi actus per excommunicationis exceptionem repellere . hoc est posse fideles excommunicato tolerato præcipienti , aut judicanti objicere suam excommunicationem , & sic ejus præceptum , seu sententiam eludere . Ratio est , quia quamvis fideles possint , non tamen tenentur cum excommunicatis toleratis communicare ; Unde si legitimam , seu a jure approbatam exceptionem fideles adhibeant , possunt excommunicatorum toleratorum jurisdictionem vitare ; ut communiter docent cum Suar. , Less. , Avil. , Bonac. quæst. 2. punct. 1. Tenetur tamen exceptio intra octo dies excommunicationis speciem , & Autorem probare ; aliter exceptio est nulla , ex Cap. 1. de Exception.

Infertur ex dictis , quod excommunicatione lata ab excommunicato tolerato sit valida . (sicut etiam quælibet alia lex ) nisi qui excommunicatur , excommunicationis exceptionem adhibeat , ut notat Con. dub. 10. : contra tamen excommunicatione lata ab excommunicato vitando sit omnino invalida , sicut etiam quælibet alia lex ; cum careat iste usus jurisdictionis . Eodem modo facultas dispensandi in votis , administrandi Sacramentum penitentiae , ferendi leges , &c. , concessa ab Episcopo excommunicata

to tolerato est valida ; Secus vero ab Episcopo vitando , necnon ab ejus Vicario , quamvis hic ab Episcopo ante excommunicationem acceperit jurisdictionem ; Etenim unum , & idem Tribunal est Vicarii generalis , & Episcopi , nec datur appellatio a Vicario ad Episcopum ; Unde sublata jurisdictione ab Episcopo sive per mortem , vel per excommunicationem , aut suspensionem , tollitur etiam a Vicario : Contra vero qui ab Episcopo vitando ante ejus excommunicationem habuit facultatem absolvendi , administrandi Sacra menta , dispensandi in votis , &c. , potest ea uti , sicuti post mortem , ita etiam post excommunicationem Episcopi ; quia hujusmodi gratiæ non expirant morte concedentis . Demum qui ante excommunicationem Episcopi delegatus est ad aliquam causam judicandam in foro contentioso , superveniente excommunicatione , per quam Episcopus sit vitandus , si res sit integra , hoc est si causa nondum est incep ta , cessat in Delegato jurisdictione ; secus vero si non sit integra , seu si causa jam incepit , ut notat Suar. ex cap. Gratum , de Officio De legati .

III. Adverte tamen ex Bonac. quæst. 2. punct. 5. , excommunicatione vitandum privari dumtaxat usus jurisdictionis proprie dictæ ; unde gesta ab excommunicato vitando , quæ non sunt ex officio jurisdictionis proprie dictæ , non irritantur : Quare potest Parochus vitandus valide matrimonio assistere , cum hic non sit actus jurisdictionis : Similiter matrimonium ab excommunicato vitando celebratum validum est , eti illicitum ; quia est actus procedens a contrahente , tanquam a persona particulari , non secus ac contractus venditionis , emptionis , &c. ; qui pariter validi sunt , quamvis peccet ex-

O com-

Pars VII.

communicatus ineundo illos absque necessitate. Solum invalidatur in cap. *Significasti* testamentum factum ab eo, qui excommunicatus fuit propter hæresim, vel propter percussionem Cardinalium.

IV. Dubium est; An sint actus jurisdictionis, atque adeo an sint validi, si ab excommunicato vitando fiant, approbare confessarios, & concionatores, dare facultatem audiendi confessiones, dare literas dimissorias; necnon a Parocho dari facultatem alteri assistendi matrimonio, administrandi suis subditis Sacramentum Baptismi, Extremæ Unctionis, Eucharistie, &c.

Respondeo, Sylvest. V. *Unctio* cum aliis negare universum eos esse actus jurisdictionis; atque adeo docet esse validos: Alii putant, valide tantum dari licentiam administrandi Baptismum, Eucharistiam, Confirmationem, & Extremam Unctionem, necnon assistendi Matrimonio; quia hi actus non requirunt jurisdictionem.

Sed Con. dub. 10. putat, omnia ista invalide ab excommunicato vitando concedi; quia quamvis baptizare, verbi gratia, & Eucharistiam administrare non sint actus jurisdictionis; at dare facultatem ad ista, actus est jurisdictionis; Sicuti quamvis egredi domo non sit actus jurisdictionis; at dare facultatem egredi domo, actus est jurisdictionis, & religiosi a Prælato, tanquam a Superiori, licentiam hanc petunt. Addit Con., omnino improbat videtur, quod dare alicui veniam audiendi confessiones, approbare Confessarium, & concionatorem, concedere dimissorias, & alia hujusmodi, non sint actus jurisdictionis: Etenim cum hæc fieri possint etiam ab Episcopo nondum Sacerdote, constat non esse actus Ordinis; & cum sint actus aliquius potestatis, remanet, ut sint a-

ctus jurisdictionis. At probabiliter Martinus Perez cum Hurt., & aliis docet, ut diximus in de Matrimonio, quod dare licentiam Sacerdoti, ut Matrimonio assistat, non sit actus jurisdictionis; quia hoc nihil aliud est, quam substituere, qui assistat loco ipsius Parochi, designando talem Sacerdotem; hæc autem designatione non est actus jurisdictionis, sicuti si Episcopus det facultatem audiendi confessiones ei, quem Titus designabit, talis designatione non est actus jurisdictionis.

V. Quæritur secundo; An electione ad beneficium, & ejusdem collatione facta ab excommunicato sit valida?

Respondeo, tam electionem ad beneficium, quam collationem illius factam ab excommunicato tolerata esse validam; a vitando vero factam esse invalidam. Ratio ex dictis est manifesta, quia solus excommunicatus vitandus privatur usu jurisdictionis; hujusmodi autem actus procul dubio sunt jurisdictionis. Ita communiter cum Hurt., Pal., Bona c.

Hinc fit, ut excommunicato, verbi gratia, uno Canonico, cui simul cum aliis Canonicis competit jus eligendi, invalida sit electio ab illo facta cum aliis, quando votum illius excommunicati est necessarium ad numerum sufficientem suffragiorum ad electionem requisitorum; quia talis suffragii nulla ratio habenda est, perinde ac si non interfueret Canonicus excommunicatus, & soli non excommunicati legitime elegissent: At si eo præciso adhuc habetur sufficiens numerus suffragiorum ad electionem. Electio est valida, ex Regal. 35. juris in 6. Utile non debet per inutile vitari. Ita Suar. disp. 14. sect. 2., Con. dub. 10., Pal. Sola tamen electio Pontificis est valida, etiam si fiat a Cardinalibus excommunicatis, ex Clement. Ne Romani, de electione in 6.

Id.

Idque ob gravissima inconvenientia, quæ sequentur, si liceret electionem Papæ per oppositam Eligentium excommunicationem elidere, ut ponderat Suar.

Doctrinam hanc circa electionem putant aliqui cum Bonac. punct. 5. militare non solum in electione ad dignitatem Ecclesiasticam, sed etiam ad laicalem; Necnon in præsentatione jurispatronatus Ecclesiastici, quæ vim habet electionis, ut mox dicimus; Et multi etiam illam extendunt ad præsentationem factam a laico, vel a Clerico ratione sui patrimonii; quamvis hoc communius netur apud eundem Bonac.

VI. Quaritur tertio; An sicut elec-  
tio, & collatio beneficii, ita pariter præsentatio facta ab excommunicato vitando sit invalida?

Respondeo, præsentationem aliam dici Ecclesiasticam, aliam laicam. Ecclesiastica fit a Clerico ratione alicujus jurispatronatus Ecclesiastici. Laica fit a laico, vel etiam a Clerico ex titulo patrimonii, aut jurispatronatus laicalis. Præterea per præsentationem præsentatus acquirit jus, ut beneficium sibi conferatur, si sit dignus; unde collator invalide illud conferret alteri non præsentato sine consensu Patroni; quia hoc fieret cum injuria talis Patroni.

His explicatis, Dico primo; Præsentatio Ecclesiastica facta ab excommunicato vitando est invalida, nullum tribuens præsentato jus ad beneficium. Ita communiter cum Suar. loc. citat., Con. , Pal. , Filiuc. Ratio est, quia præsentatio Ecclesiastica de se confert jus ad beneficium; nullus autem excommunicatus vitanus potest conferre valide jus ad beneficium; cum talis collatio juris sit usus jurisdictionis.

Dico secundo; Præsentatio laica fa-  
cta ab excommunicato vitando non

est invalida; unde potest ejus intuitu valide conferri beneficium præsenta-  
to. Ita idem Pal. , & alii. Ratio est,  
quia per præsentationem laicam non acquiritur a præsentato jus firmum  
ad beneficium; cum laicus non pos-  
sit conferre jus ad beneficium; & i-  
deo Patronus mutare potest, donec  
facta sit institutio, ut habetur in cap.  
*Cum autem, de jurepatronat.*, Ubi e  
contra præsentatio Ecclesiastica facta  
a clerico qua tali mutari non potest,  
eo quod per illam acquiratur jus fir-  
mum ad beneficium. Hinc est, quod  
præsentatio Ecclesiastica non differt  
substantialiter ab Electione; & con-  
sequenter utraque est invalida, si sit  
ab excommunicato vitando, cum utra-  
que jus conferat ad beneficium. E-  
contra præsentatio laica, sive hæc a  
laico fiat, sive a Clerico, juxta ea,  
quæ explicavimus.

Dico tertio; Quamvis præsentatio  
laica facta ab excommunicato sit va-  
lida, potest tamen ab institutore, seu  
ab Episcopo repelliri. Ratio est, quia  
quamvis possit Episcopus valide illam  
admittere, & præsentatum in bene-  
ficio instituere, non tamen tenetur;  
cum non teneatur communicare cum  
præsentante excommunicato; Immo  
cum excommunicato vitando tenetur  
non communicare, ac proinde tene-  
tur potius Laici præsentationem repel-  
lere, ut docent Garz., Suar., Hurt.,  
Pal. disp. 2. punct. 13.; Nisi forte  
aliud exigat utilitas Ecclesiæ, sine cu-  
jus notabili detimento beneficium diutius  
vacare non posset; tunc enim  
posset Episcopus sine peccato præ-  
sentationem admittere.

VII. Dico ultimo; Quamvis præ-  
sentatio Ecclesiastica facta a clerico  
excommunicato vitando sit invalida,  
potest tamen Episcopus valide præ-  
sentatum in beneficio instituere. Ita  
Con. dub. 10. cum Suar. Ratio est,  
quia nullo jure talis institutio irrita-

O z tur:

tur: Quamvis enim præsentatio illa non tribuat ullum jus præsentato, valet tamen ad hoc, ut collatio fiat consentiente patrono, & consequenter non sit illi injuriosa; Peccat tamen Episcopus saltem venialiter ex Suar. acceptando talem præsentationem; quia non potest cum excommunicato vitando communicare, nisi utilitas Ecclesiae id postulet, ut diximus.

VIII. Quaritur quarto; An Institutio, & concessio possessionis facta ab Episcopo excommunicato vitando sit valida?

Respondeo circa Institutionem, non esse validam, ex cap. *Conquirente, de Officio Ordinarii* apud Henr. Ratio est, quia Institutio æquivalet collationi beneficii, unde requirit iurisdictionem, qua omnino privatus est Episcopus excommunicatus vitandus. Circa concessionem vero possessionis distinguendum est: siquidem si judex Ecclesiasticus excommunicatus vitandus utatur sua iurisdictione ad intromittendum aliquem in possessionem sui beneficii, procul dubio talis concessio, seu intromissio est nulla; cum excommunicatus vitandus privetur Ecclesiastica iurisdictione: Si vero sine usu iurisdictionis fiat talis concessio, ut plerumque accidit; quamvis sit illicita, utpote ferens communicationem prohibitam cum tali excommunicato; non est tamen invalida; etenim per talem concessionem non confertur ullum jus, sed solum possessori datur, quod suum est.

IX. Quaritur quinto; An Postulatio facta ab excommunicato sit invalida, sicut etiam nominatio?

Respondeo explicando prius terminos. Postulatio est concors Capituli facta petitio ejus, qui eligi non potest in Prælatum, ut in impedimento a Superiori dispensetur, puta in astate, in naturalibus, &c. Dividitur Postulatio in solemnem, & simplicem; Solemnis,

quæ fit a duabus saltet partibus Capituli apud Prælatum, & tribuit Postulato jus, non secus ac electio, & confirmatio: Contra vero Postulatio simplex. Hoc posito, respondeo cum Suar. disp. 14. sect. 2., Postulationem solemnem factam ab excommunicato vitando esse invalidam, non vero simplicem; & idem dicendum de Nominatione, quæ pariter in solemnem, & simplicem dividitur. Ratio doctrinæ constat ex dictis; siquidem sola Postulatio, & Nominatio solemnis conferunt jus, atque adeo requirunt jurisdictionem, qua caret excommunicatus vitandus; utraque tamen tam postulatio, quam nominatio a tali excommunicato facta repellere potest ob rationes supra dictas, quia scilicet Episcopus non tenetur communicare cum excommunicatis; quamvis si ea acceptet, valide acceptet. Ita Suar.

X. Quaritur ultimo; An Resignatio beneficii facta ab excommunicato vitando sit valida?

Respondeo, duplice posse beneficium resignari in manibus Prælati. Primo simpliciter, hoc est ita ut Prælatus possit libere illud conferre, cui maluerit. Secundo in favorem tertii. Primam resignationem esse validam, si fiat ab excommunicato vitando, certum est apud Doctores; siquidem talis resignation est pura celsio beneficii, quæ & excommunicato expedit, & Ecclesia. De secunda resignatione dubium est. Putant esse pariter validam Bonac. punct. 5., Pal. punct. 13.; quia per talem resignationem nullum jus confertur resignario; etenim jus in beneficium rotum manet penes resonantem, donec resonans provisus sit a Pontifice. Negant tamen esse validam Covarr., Filliuc., Suar. disp. 14. sect. 2., eo quod resignans concurrat hoc modo ad collationem beneficii, designando personam, cui conferatur, & partici- pan-

pando quandam rationem præsentationis. Accedit, quod excommunicatus privatur omni usu sui beneficii; atqui resignatio est aliquis usus beneficii; ergo invalide illud resignat: Si tamen esset excommunicatus toleratus, valide illud resignaret, ob rationes supra dictas ex Suar.

## ARTICULUS VII.

## De reliquis Effectibus Excommunicationis.

- I. Privatur etiam excommunicatus non solum civili communicatione, sed etiam forensi.
- II. Ecclesiastici Judicis excommunicati acta sunt invalida. Num etiam Judicis secularis?
- III. Similiter acta Arbitri constituti ad formam Judicis; non vero si tanquam vir prudens de consensu partium constituatur.
- IV. Quandonam excommunicatus possit esse Actor in judicio? Solum privatim potest a suo debitore petere, quod sibi debetur.
- V. Si in judicio sit reus involuntarius, ipotes semetipsum defendere tam per Procuratorem, quam per seipsum.
- VI. Tabellionis excommunicati acta valident, & fidem faciunt, nisi a partibus ille excipiatur.
- VII. Testimonium Excommunicati quando sit validum?
- VIII. Advocatus, & Procurator, si sint vitandi, a judice repellendi sunt; Si vero sint tolerati, possent munus suum exercere, si a partibus invitentur, & a Judice non repellantur.
- IX. Graviter peccat qui ad dignitatem aliquam, quamvis jurisdictione carentem, promovet excommunicatum, etiam non toleratum. Invalide autem hic promovetur ad dignitatem Ecclesiasticam, cui sit

- annexa jurisdictio; & probabilitor etiam ad sacerdotes.
- X. Acta Tutoris, & Curatoris excommunicationis vitandi num sunt invalida?
  - XI. Contractus civiles ratione publici officii ab excommunicato vitando celebrati sunt invalidi.
  - XII. Quenam rescripta sunt irrita, si cedant in favorem excommunicationis?

I. **R** Eliqui excommunicationis effectus reducuntur ad privationem communicationis Forensis, Civilis, & Politicæ, necnon ad annulationem rescriptorum. Circa communicationem Civilem prohibitam excommunicato abunde diximus art. 2.<sup>a</sup> ostendendo in quibusnam excommunicati sint vitandi, & quando liceat cum iis communicare.

Agendum nunc de communicatione forensi, ac de reliquis breviter. Et quoniam in foro judiciali concurrunt Judex, Actor, Reus, Notarius, seu Tabellio, Testis, Advocatus, & Procurator, de singulis inquirendum, alicite ea munia obeat excommunicatus? Deinde an valide ad officia, & ministeria publica Judicis, Gubernatoris, Principis, Prætoris, Curatoris, Tutoris, &c. assumatur; Tum an validi sint ejus contractus? Ac demum quenam rescripta in ejus favorem sunt irrita?

II. Quæritur itaque primo; An acta Judicis excommunicati vitandi sunt valida? Quod etiam quæritur de actis Arbitri.

Respondeo negative. Ita Con. dub. 2. cum communi. Et quidem de Judice Ecclesiastico certum est ex cap. Tantum, de Sententia, & re judicata; siquidem privatur Judex Ecclesiasticus omni usu jurisdictionis. De Judice Sæculari dubium est, an privetur statim usu jurisdictionis, & an ejus acta

acta sint invalida? Victor. docet, tunc privari, cum per annum in excommunicatione insorduerit. Communis tamen sententia tenet, etiam Judicem sæcularem vitandum privari statim usum jurisdictionis, ejusque acta esse invalida, etiam si pars non excipiat. Probatur a Pal. punct. 14. tum ex communis sententia Doctorum; tum ex praxi, qua tam acta per Judicem Ecclesiasticum, quam per sæcularem vitandum nullantur; Quamvis enim jura tantum loquantur de Judice Ecclesiastico; ex praxi tamen recepta extenditur etiam ad Sæcularem.

III. Quæ diximus de actis Judicis, dicas de actis Arbitri constituti ad formam Judicis, ex leg. 1. ff. de Arbitris; talis enim Arbiter censetur Judex cum vera jurisdictione; unde pariter ejus acta invalida sunt: Secus vero dicendum de Arbitro, qui tanquam vir prudens de consensu partium sit constitutus. Ita Bonac. punct. 7. ex Filliuc., & Suar.

IV. Quæritur secundo; An possit excommunicatus vitandus esse Actor in judicio?

Respondeo cum communi, non posse, nisi tantum in causa suæ excommunicationis, probando scilicet, se vel non esse excommunicatum, vel esse ab excommunicatione absolutum: In aliis autem causis omnino repellendus, ex cap. Decernimus, de sententia excommunicationis. Quod si Judex sæcularis non eum repellat, potest ad id cogi a Judice Ecclesiastico, ad quem spectat efficere, ut leges Ecclesiasticae in Sæculari judicio non violentur; ut notat Pal. hic. Quamdiu tamen non repellitur, acta ejus valent, ex cap. Pie, de Except. in 6. Quod si post sententiam latam talis exceptio opponatur, impediet executionem, ut advertit Filliuc. cap. 7.

Hinc sequitur, quod si excommunicatus vitandus petat in judicio a

suo debitore id, quod sibi debetur, omnino repellendus sit; ut notat Con. dub. 2. Potest solum illud privatim petere, & debtor tenetur solvere, cum excommunicatus vitandus non privatetur dominio rerum suarum; & quavis ad hoc requiratur aliqua communicatio, ea tamen propter necessitatem excusantem est licita, ut diximus art. 2. Si tamen excommunicatus sit toleratus, potest quidem a Judice repelliri, si constat de excommunicante, non tamen tenetur repellere, nisi debtor contra illum excipiat, & id infra octo dies probet.

Rogabis; An possit excommunicatus vitandus esse in judicio Actor, saltem per Procuratorem?

Respondeo negative; quia qui per alium facit, per seipsum facere censetur; cum enim Procurator ager nomine ipsius, consequenter ipse moraliter ageret.

V. Quæritur tertio; An possit excommunicatus vitandus esse in judicio Reus?

Respondeo, non posse esse reum voluntarium, seu reum, qui ex propria voluntate sistat se in judicio; nam sic compararet in proprium commodum, & favorem; ex Extravag. autem Ad vitanda nullus favor intelligitur factus excommunicato: Potest solum esse reus involuntarius, qui scilicet a parte, vel a Judice cogatur comparere; aliter ab excommunicatione commodum reportaret, ex cap. Intelleximus, de judiciis; Poterit tamen ad sui legitimam defensionem respondere objectis, testes, & instrumenta producere, Advocatum, Scribam, Procuratorem adhibere, & alia hujusmodi praestare, ut notat Con. loc. cit.: Quamvis enim aliqui cum Avil., & Hurt. putent, tantum per Procuratorem posse in judicio comparere ad se defendantem; probabilius tamen videtur, quod possit per

seipsum immediate comparere, & respondere; ut probant Bonac., & Con.

VI. Quæritur quarto; An valeant acta Tabellionis excommunicati vitandi?

Respondeo, Avil., Henr., Hurt. disp. 8. diff. 5. putare, quod non valeant; sicuti non valent acta Judicis Sæcularis. Verum Con. dub. 2., Pal. & Bonac. putant valere, & facere fidem, nisi a partibus excipiatur; tum quia nullo jure Tabellionis acta irritantur; tum etiam quia Tabellio non habet jurisdictionem, sicut Judex; unde nihil mirum, quod acta Judicis sint invalida, non Tabellionis. Adiunt Doctores citati, quod partes in foro conscientiae non possint excipere contra tales Tabellionem, si conscientiae excommunicationis illum ad scripturas conficiendas requisierunt: Si tamen Tabellio sit excommunicatus toleratus, quamvis peccet, etiam mortali-ter, ut putat Escob., si se ingerat, eo quod semper possit opponi exceptio ex capite excommunicationis, poterit tamen licite ad petitionem partium scripturas, & instrumenta confidere, dummodo hujusmodi scripturae ad sui valorem non necessario exigant opus Tabellionis, sed solum illo indigent, ut per has probari possit conventio partium, ut notat Con. loc. cit.. & Pal., nam scriptura, quæ ad valorem actus exigit esse a Tabellione, (ut est testamentum, sententia definitiva Judicis, & alia hujusmodi) non valet, si a Tabellione excommunicato etiam tolerato fiat; cum semper etiam opponi possit exceptio ex capite excommunicationis.

VII. Quæritur quinto; An possit excommunicatus esse in judicio Testis?

Respondeo, in causa fidei esse & validum, & licitum testimonium excommunicati, etiam vitandi, ex cap.

In fidei favorem, de hereticis. In aliis vero causis testimonium tolerati est pariter validum, & licitum, si a partibus requiratur, & admittatur a Judice; quia permisum est fidelibus communicare cum ejusmodi excommunicatis in proprium commodum; poterit tamen & a Judice, & a partibus repelli; quia quamvis possint, non tenentur cum illo communicare.

Demum testimonium excommunicati vitandi illicitum est, ex cap. *Venientes 2. de testibus.* Est tamen validum, nisi excipiatur, siquidem nullo jure invalidatur, ut docent Sayr., Con., Bonac. contra Hurt. disp. 8. diff. 6., & Vasq., qui putant esse invalidum, eo quod non sit fides illi necessario adhibenda, in quo consistit valor testimonii. Ad quod tamen Con., & Bonac. respondent, fidem illi adhibendam, nisi excipiatur, & sic nisi excipiatur, est validum.

VIII. Quæritur sexto; An possit excommunicatus esse in judicio Advocatus, & Procurator?

Respondeo, Advocatum, (& eadem est ratio de Procuratore) si sit toleratus, debere ab advocando abstinere, quia tenetur non communicare cum fidelibus; poterit tamen ab iis invitatus, & a Judice non repulsus officium suum exercere in favorem fidelium. Si tamen sit vitandus, repellendus est tam a Judice, quam a partibus; ut communiter docent cum Pal. punct. 14. Quod si non repellatur, acta ejus valent; quia nullo jure inveniuntur irrita, adeoque potest pro iis licite stipendum accipere, donec repellatur, aut excipiatur.

IX. Quæritur septimo circa communicationem politicam; An excommunicatus possit eligi in Judicem, aut in aliud officium, & ministerium publicum, aut dignitatem assumi, puta in dignitatem Episcopi, Principis,

Pa-

Pastoris, aut in munus Curatoris, Tutoris, Procuratoris, Tabellionis, &c.?

Respondeo, ad dignitatem, & munus, quæ non ferunt annexam jurisdictionem neque Ecclesiasticam, neque temporalem, verbi gratia, ad gradum Doctoratus, ad munus Tabellionis, Procuratoris, Tutoris, etiam excommunicatum vitandum posse valide assumi; cum nullo jure ea irritentur: Illicite tamen assumeretur non solum excommunicatus vitandus, cum quo non licet communicare, sed etiam toleratus, quia iis indignus est; & quia indecens est in dignitate, & publico ministerio constitui alienum a communione fidelium: Unde Con. dub. 2. putat esse id grave peccatum, nisi excusaret necessitas, aut magna utilitas Reipublicæ, quæ speraretur: Præsertim quia ejus acta sunt invalida, si excipiatur, ut diximus. Ad dignitatem vero Ecclesiasticam habentem jurisdictionem, puta ad Episcopatum, invalide eligitur excommunicatus, ex cap. Venerabilem, de electione. Dubium tamen est inter Doctores, An invalide etiam assumatur ad dignitatem sæcularem, quæ fert secum jurisdictionem, puta ad dignitatem Judicis, Prætoris, Principis?

Docent, invalide assumi ad quodcumque officium habens jurisdictionem excommunicatum, etiam toleratum, Bonac. punct. 4. Avil., Ugolin., Reginald., Con., Sayr.: At Suar. disp. 16., Filliuc., & alii docent, invalide tantum assumi ad officium habens jurisdictionem Ecclesiasticam, non vero sæcularem. Ratio Bonac. est, quia prohibito uno, prohibitum pariter censetur id, per quod ad illud pervenire, ex leg. Oratio ff. de Sponsalibus: atqui excommunicato prohibitum est actus dignitatis etiam sæcularis exercere; ergo prohibitum videtur ad dignitatem illam pervenire, per quam

ad actus prohibitos posset descendere; Quod etiam insinuat in cap. Venerabilem, de electione. Suar. vero suam sententiam probat, quia nullus textus irritat ipso facto collationem dignitatis, cui est annexa jurisdictione sæcularis, factam excommunicato; Immo experientia constat aliquam hujusmodi dignitatem acquiri ab excommunicato jure hereditatis, & successionis, ut est Principatus; siquidem excommunicatio non privat jure successionis: ergo si potest excommunicatus in tali dignitate succedere, poterit pariter ad illam valide elegi; quanvis illicite eligeretur, ex cap. ultimo, de Clerico excommunicato ministrante; quia dignitas illicite conferitur ei, cui actiones talis dignitatis sunt prohibita. Utraque sententia est probabilis, sed probabilius videtur sententia Suar., quia in Cap. Venerabilem cit. solum dignitas Ecclesiastica habens jurisdictionem videtur irritari; Quamvis nemo neget, posse a Pontifice sciente excommunicationem Titii valide illi Episcopatum, verbi gratia, conferri; Nec ullus neget, quod possit jure hereditario acquiri ab excommunicato Officium sæculare habens annexam jurisdictionem, puta Principatum; esto non possit licere tales actus exercere.

X. Dubium hic est; An acta Tutoris excommunicati vitandi sint invalida? Nonnulli docent esse invalida; quia tutela est officium auctoritate publicum; acta autem ratione publici officii ab excommunicato vitando sunt invalida. Alii vero cum Filliuc. cap. 7. docent, esse valida, donec repellantur, ut diximus de actis Tabellionis. Et ratio est, quia acta ratione publici officii tunc sunt invalida, quoties officium non solum auctoritate, sed etiam est utilitate publicum; Officium autem Tutoris licet sit publicum auctoritate, at non utilitate;

cum

cum solum pupillis sit utilis; Et idem dicendum de Curatore, Procuratore, &c.

XI. Quæritur octavo; An contractus venditionis, emptionis, locationalis, qui fiunt ab excommunicato vitando, sint validi?

Respondeo cum Suat. disp. 15. sect. 8., Sayr., & aliis, contractus celebratos ab excommunicato vitando ratione publici officii, puta a Prælato (immo etiam a Tute, aut Curatore, juxta multorum sententiam contra Filliuc.) esse invalidos. Ratio est, quia talis excommunicatus est suspensus ab officio, & beneficio, & consequenter caret jurisdictione; ergo contractus ab eo celebrati, tanquam a non habente jurisdictionem, sunt invalidi.

Confirmatur, quia excommunicatus vitandus privatur omni actu legitimo; ergo etiam legitimo contractu. Quod si contractus non sint celebrati ratione officii publici, sed privati, cum nullo jure irritentur, sunt validi. Et ideo contractus Matrimonii est validus; necnon Professio religiosa, ac donatio, & idem dicas de aliis contractibus.

XII. Quæritur demum; Quænam Rescripta annullet excommunicationem?

Respondeo cum Bonac., Pal. punct. 12. contra Navar., irrita solum esse rescripta Pontificia, & processus virtute illorum habitos, excepto casu excommunicationis, & appellationis. Ratio est, quia solum de rescriptis Pontificiis est sermo in can. 1. de rescript. ut notat Suat. disp. 12. Quare non irritantur rescripta Imperatoria, ac Regia, nec licentia aliorum Superiorum, puta licentia egrediendi domo, quam habet Monachus a suo Abbe; Etenim facultates ista proprie loquendo non dicuntur rescripta. Annulantur autem rescripta etiam pro excommunicatis toleratis, ut communiter docent contra Archidiac.; quia per Extravag. Ad vitanda nullus favor factus est excommunicato tolerato.

Notat tamen hic Con. dub. 10. num. 87. cum Bonac., hunc effectum excommunicationis hoc tempore non magnipendi; quia in literis Apostolicis, quæ obtinentur, includi solet absolutio ab omnibus censuris ad hunc effectum, ut Rescripta, Privilegia, & Gratiae Apostolicæ valeant; excepto casu excommunicationis ob hæresim, vel quod quis per annum in excommunicatione insorduerit, unde suspicionem hæresis incurrat.

## Q U A E S T I O . V.

## De nonnullis Excommunicationibus in particulari.

**D**escendimus nunc ad excommunications majores in particulari; Quoniam autem de iis abunde agunt Summiſtæ, agemus dumtaxat de prima ex iis, quæ in Bulla Cœnæ reservantur; deinde perstringemus reliquas brevili- me. Agemus pariter de Excommunicatione ob percussionem Clerici; ac de alia ob duellum, quæ uberem pro reliquis doctrinam subministrabunt: De excommunicatione autem, quæ fertur contra non denunciates, quæ pariter obvia est, abunde diximus quæst. 3. art. 5.

## ARTICULUS I.

## De Prima Excommunicatione in Bulla Cœnæ.

I. *Ad quinque capita reducuntur vi-*  
*ginti illa excommunications, quæ*  
*in Bulla Cœnæ feruntur, videlicet*  
*Ad fidem, ad Ecclesiam, ad Ec-*  
*clesia hierarchiam, ad Sedem Apo-*  
*stolicam, ad Ecclesia caput; Ve-*  
*rius illæ dicuntur latæ ab homine,*  
*quam a jure.*

II. *Prima Excommunicatio tangit de-*  
*cem genera Personarum in ordine*  
*ad hereticos, & ad hereticorum*  
*libros.*

III. *Heresis fert tum errorem in intel-*  
*lectu, tum etiam persistaciam in*  
*voluntate. Etiam dubius in fide*  
*est Infidelis.*

IV. *Non incurritur hec censura per ha-*  
*resim mere internam, sed per ex-*  
*ternam, etiamsi occultiſſimam, &*  
*etiamsi verbis ambiguis heresim ex-*  
*primeret.*

V. *Num possint Episcopi ab heresi oc-*  
*culâ absolvere?*

VI. *Schismatici in quo differant ab ha-*  
*reticis?*

VII. *Credentes hereticorum dicuntur,*  
*qui illorum hereses credunt; Re-*

*ceptratores, qui qua tales receperant,*  
*& occultant: Fautores, qui com-*  
*missione, vel omissione in causa ha-*  
*resis iis facient: Defensores, qui*  
*qua tales illos tuerentur, etiamſi de-*  
*fendant ex motivo amicitie.*

VIII. *In Bulla Cœnæ solum excommu-*  
*nicanter legentes, retinētes, im-*  
*primentes, ac defendentes libros*  
*Hæreticorum, hæresim continebant,*  
*vel de Religione tractantes. Re-*  
*late ad alios libros Hæreticorum,*  
*aut ob hæresis suspicionem damna-*  
*tos, excommunicatio quidem incur-*  
*ritur, sed non reservata; Qui ve-*  
*ro alios libros prohibitos legit, pli-*  
*cat graviter, sed nullam censuram*  
*incurrit.*

IX. *Quid si quis legat vetitos libros,*  
*quin illos intelligat? Quid si pagi-*  
*nam dumtaxat eorum legat? Quid*  
*si quis audiat legentem illos? Quid*  
*si quis non tradat tales libros In-*  
*quisitoribus, sed eos comburat?*

X. *Quinam possit facultatem dare le-*  
*gendi libros vetitos?*

I. **I**N Bulla Cœnæ viginti excom-  
municaciones latæ lenientiae ful-  
minantur, quæ, ut observat Filliuc,  
ad quinque capita reducuntur. Pri-  
mo ad fidem catholicam; Secundo ad  
Ecclesiam christianam; Tertio ad Eccl-

Ecclesiasticam hierarchiam ; Quarto ad Sedem Apostolicam ; Quinto ad Ecclesiae Caput . Communiter Doctores docent , Bullam hanc incepisse tempore Martin. V. , quando viguerunt hæreses Boemorum anno 1420. Ejus meminit Sixtus IV. in Extravag. *Etsi Dominici gregis* , & illam auxit Leo X. contra Lutherum , necnon Paul. III. , & alii . Dubitatur , Num ejus excommunications dicendæ sint ab homine , an a jure ? Communius censent cum Paludan. contra Sylvest. esse ab homine ; Tum quia idcirco Sede vacante perdurant , quia iussu Pii V. declaratur in ipsa Bulla eas durare quo usque alii hujusmodi processus , seu alia Bulla promulgatur ; Sicut autem ante Pium V. mortuo Pontifice cessabant , ita nunc statim cessarent , nisi id declararetur : Tum etiam quia illæ statim cessant , quando alia Bulla promulgatur , etiam si non revocentur .

II. Prima itaque excommunicatio fulminatur contra decem genera Personarum , videlicet contra Hæreticos , Schismaticos , Hæreticorum credentes , Fantores , Receptatores , Defensores , Hæreticorum libros hæresim continentes , vel de religione tractantes quomodolibet scienter legentes , Domi retinentes , Imprimentes , ac Defendantes quocumque ingenio , colore , causa , publice , vel occulte .

III. Quæres autem primo ; Quinam dicitur Hæreticus ?

Respondeo cum Bellarm. , aliisque communiter hæreticum esse , qui errorem aliquem habet contra fidem cum pertinacia ; necnon qui cum pertinacia dubitat de aliquo articulo fidei . Nam *ex cap. 1. de heret.* , Dubius in fide est infidelis . Dicitur autem pertinax , qui aut aliquid tenet , aut de aliquo dubitat contra religionem , ac fidem catholicam animo liberato , seu ut explicat Bufemb. postquam contrarium est sufficienter pro-

positum , & scit teneri ab universalis Ecclesia , cui non vult suum judicium submittere ; tunc enim putat , judicium Ecclesiae non esse sufficiens fundamentum credendi , in quo conflit vera pertinacia .

Notandum tamen primo , Apostamat a fide , seu qui ad Judaismum , seu Paganismum transiret , esse pariter hæreticum , quia retineret characterem baptismalem ; & propterea subjectus esset jurisdictioni Ecclesiae , & hanc excommunicationem incurreret .

IV. Norandum secundo , quod quantum interius est hæreticus , nec signo ullo externo manifestat errorem , aut dubium , quod pertinaciter habet , excommunicationem non incurrat ; quia Ecclesia non punit suis censuris actus mere internos , ut diximus inde censuris in genere ; secus tamen si signo externo occultissimo hæresim manifestaret .

Dubium est ; An qui verbis ambiguis , & æquivocis manifestaret hæresim , excommunicationem incurreret ?

Affirmat Bonac. ex Suar. disp. 4. , & aliis ; quia per verba sufficienter exprimentia internam hæresim manifestat hæresim suam .

V. Quæres secundo ; Num possint Episcopi ab hæresi occulta absolvere ex vi facultatis a Trident. illis concessæ sess. 24. cap. 6.

Respondeo probabilius esse quod non possint : Etenim ex tercia thesi ab Alex. VII. damnata videtur non obscure colligi , Episcopos vi hujus Bullæ non habere amplius facultatem ipsis a Tridentino concessionem absolvendi ab hæresi , atque aliis criminibus in ea Bulla contentis , quando sunt occulta . Scio nonnullos Doctores apud Bonac. de legibus disp. 1. quaest. 3. punct. 8. §. 3. docuisse universim decreto Trident. nunquam censi derogatum , nisi quando expressa ejusdem Concilii , vel faltem Conciliorum Ge-

neralium fit mentio ; præsertim quia Gloss. in leg. 2. §. legati ff. de re vendicata ait, Clausulam generalem privilegiorum non se extendere ad privilegia inserta in corpore juris . Verum Recentiores communis docent, decretis Trident. sufficienter censiderogatum per clausulam illam generalem , Non obstantibus Constitutionibus Apostolicis , & quibusvis Concilii decretis , quod in Bulla Cœnæ habetur. Sed hac de re fuisus diximus in Trutina exponendo thesim commemoratam .

VI. Quæres tertio ; Quinam dicantur Schismatici ?

Respondeo , cum Schisma idem sit , ac divisio , Schismatici dicuntur , qui divisi sunt a Pontifice per inobedientiam rebellem , ac pertinacem : Ubi adverte , quod si non recognoscant ipsum pro Capite Ecclesie habente plenam potestatem , sunt Schismatici simul , & hæretici ; Si vero ipsum ut Ecclesie caput recognoscant , sed pertinaciter illi inobediant , sunt pure Schismatici , hoc est membra a suo capite separata ; & hac excommunicatione feriuntur , ut videre est apud Bellarm. , & Navar. cap. 27. n. 57. Dicuntur autem pertinaciter inobedire , qui scientes hoc , vel illud esse mandatum Pontificis , nolunt tamen illi obedire , non quia præceptum est difficile , sed quia volunt se omnino subtrahere ab obedientia Papæ , quamvis illum vere caput Ecclesie cognoscant ; debet tamen tale Schisma verbis , vel factis exterius manifestari .

VII. Quæres quarto ; Quinam dicantur credentes hæreticorum , receptatores , fautores , & defensores ?

Respondeo ; Dicuntur primo Credentes hæreticorum ex Bellarm. qui quamvis non habeant expreſſe , habent tamen implicite errores hæreticorum , & exterius eos profitentur : Verbi gratia , qui diceret , Credo quod

credit Calvinus , vel qui diceret , Calvinus fuit vir bonus , & injuste ab Ecclesia damnatus : Sicut enim multi rustici dicuntur Credentes Ecclesie Catholicæ , quia dicunt se credere , quod credit Ecclesia , ita qui dicit se credere quod credunt hæretici , dicitur credens hæreticorum , quamvis ad particulares articulos non descendat .

Secundo dicuntur Receptatores hæreticorum , qui receptant , vel occidunt hæreticos , ( etiamsi semel id faciant ) non hospitii gratia , sed ne manus Judicum veniant , & ut penas in hæreticos latas devitent ; unde ex Bellarm. qui hæreticum recipit , & occultat , ne occidatur a latrone , immo ne capiatur a judice ob causam homicidii , vel alterius criminis ab hæreti , hanc excommunicationem non incurrit .

Tertio dicuntur fautores , qui vel omissione , vel commissione favent hæreticis in causa hæresis . Favent quidem omissione , qui omittunt facere , quod tenentur ; Verbi gratia , si ii , ad quos ex officio pertinet , non inquirant , non incarcerent , non puniant . Favent commissione , qui in ordine ad hæresim verbis , aut scriptis , aut factis favent illis ; ut si quis dicat . Isti hæretici non sunt bene damnati ; vel si quis det consilium , aut praeflet opem , ut fugiant ..

Quarto dicuntur Defensores , qui suis viribus , ac potentia efficiunt , ne hæretici in manus Judicum veniant , aut ne puniantur , ne excommunicentur nominatim , &c. Immo qui patrocinium iis in causa hæresis præstaret advocoando pro illis ; necnon Notarius , qui scienter pro iis suum ministerium præberet . Ita Bellarm.

Quid si hæreticum receptes , faveas , defendas , non quia est hæreticus , sed quia amicus , consanguineus , &c. ?

Respondeo , si id facias in causa hæresis , procul dubio excommunicatio nem

nem incurres; nam non requiritur, ut ea facias ex eo motivo, quia hæreticus est, sed satis est, quod ea facias in causa hæresis, etiamsi ex motivo amicitiae. Debet tamen effectus sequi, ut incurrit excommunicatio; Quare si Titius occultet hæreticum, ne incarceretur, & tamen deinde incarceretur, non incurrit Titius excommunicationem ex Bonac.; quia effectus non est secutus, sicut mandans percussionem Clerici excommunicationem non incurrit, si percussio non sequatur.

VIII. Quæritur quinto; Quinam hæretorum libri per Bullam Cœnæ prohibent legi, retineri, imprimi, defendi?

Respondeo, Libros dumtaxat hæretorum, qui vel hæresim contineant, vel de religione tractent, ad casum hujus Bullæ pertinere. Dicuntur autem de religione tractare, qui ex professo, & non obiter tractant de re sacra, Verbi gratia, de Sacra Scriptura, de Articulis fidei, de rebus ad cultum Dei, & Sanctorum spectantibus. Quare qui alias hæretorum legit, aut retinet, non incurrit excommunicationem in Bulla Cœnæ reservata. Quamvis excommunicationem non reservatam incurrit; non secus ac qui legit, aut retinet libros cuiusvis alterius auctoris non hæretici damnatos, atque prohibitos ob suspicionem hæresis, aut falsi dogmatis; ut habetur in Regul. 10. Indicis librorum prohibitorum. Quod si libri non sint prohibiti ob hæresim, vel falsi dogmatis suspicionem, sed ex alio titulo, nulla incurrit excommunicatio ab eo, qui eos legit, vel retinet, modo non sint libri hæretorum. Et ratio est, quia excommunicatio non incurritur, nisi sit in jure expressa; exprimitur tamen a Sixto V. quod sub excommunicatione reservata prohibeantur libri Astrologiae judicariae.

Ex dictis sequitur primo, Excommunicationem nulli reservatam incurrire illos, qui legunt, aut retinent libros, & scripta necromantiae, seu continentia divinationes, sortilegia, beneficia, auguria, auspicia, & incantationes artis magicæ, quibus traditur modus recedendi a fide catholica, adorandi dæmones, & similia contraria fidei; quia tales libri in Regula 9. Indicis prohibentur ob hæresim, vel saltem ob falsi dogmatis suspicionem. Quod si hujusmodi libri sint hæretorum, (ut communiter sunt Auctores necromantiae) excommunicationem, quæ incurrit a legentibus, aut retinentibus est reservata in Bulla Cœnæ; quia sunt libri hæretorum hæresim continentates.

Sequitur secundo, quod qui legit libros catholicorum vetitos, eo quod excitent ad venereum delectationem, peccet quidem graviter, sed nullam excommunicationem incurrat; quia non legit libros hæretorum, nec prohibitos ob hæresim, aut falsi dogmatis suspicionem, sed prohibitos ob periculum succumbendi venere voluntati.

Sequitur tertio, quod legens Scholia, & Additiones hæretorum, quæ continentur in libris catholicorum, incurrit excommunicationem nulli reservatam; quia legit libros damnatos ob hæresim, aut falsi dogmatis suspicionem, ut dicitur in Regula 10. Indicis. Quod si hujusmodi scholia sint adeo copiosa, ut superent ipsum textum, Suar. apud Bonac. hic putat, legentem incurrire in excommunicationem in Bulla Cœnæ; quia talis liber potius est hæretici commentantis, quam Catholici; quod tamen negat Bonac.; non enim Summa, verbi gratia D. Th., dicitur esse liber Cajetani, quamvis annotationes Cajetani superent textum D. Th.

IX. Dubium est hic primo; An ex-

com-

communicationem dictam incurrat, qui legit non intelligendo ea, quæ legit, ut legit imperitus talis linguae. Et idem queritur de retinente libros, quos intelligere non potest, ut sunt vendentes thus, & odores, & quicquid chartis amicitur inunctis?

Respondet affirmative Bonac. hic; cum enim heresia facile serpat, merito prohibetur etiam lectio materialis, quæ potest nocere audientibus, necnon qualiscumque retentio talium librorum, cum possit aliis pariter nocere: Sanch. tamen lib. 2. cap. 10. n. 51. verius excusat sic legentem, aut retinentem; cum in tali casu finis legis videatur omnino cessare.

Dubium est secundo; An in lectio-  
ne, & retentione talium librorum de-  
tur parvitas materia?

Respondeo, Tolet., & alios apud Bonac. negare; quia etiam per lectio-  
nem unius, aut alterius linea potest error hauriri. Communior tamen sententia affirmit; quia nulla est ratio, quare sicut in aliis materiis, ita in hac non detur materia parvitas; quamvis enim aliquando possit heresia in una, vel altera linea contineri; at hoc raro accedit; leges autem, praesertim penales, spectare debent, quod plerumque, & regulariter, non quod aliquando accedit. Quare Reginald. excusat, qui tres, vel quatuor lineas legit, etiam si contineant heresim, quia non statim ac propositionem hereticalem quis legit, exponit se periculo imbibendi illam, nisi etiam fundamenta, & rationes percurrat. Sayr. excusat legentem decem lineas, & Sanch. cap. 10. legentem integrum paginam: Quamvis Dian. in Sum. V. *Hæretorum libri*, sententiam hanc putet parum probabilem; siquidem Sæ idem docens expurgatus fuit. Quoad retentionem Sanch. putat contra Suar., moram duorum dierum esse levem: Quamvis autem aliquis retineret li-

brum prohibitum per levem moram animo retinendi diutius, non idcirco excommunicationem incurret, licet graviter peccaret; quia, ut alias diximus, opus externum de se debet esse grave, ut censura incurritur.

Dubium est tertio; An excommu-  
nicationem incurrat audiens legentem  
hujusmodi libros, vel mandans, ut  
consulens talem lectionem?

Respondeo, universim censuram tam in facientes non incurri a mandantibus, & consilientibus, nisi ex primantur: Quare si Titius manderet Cajo, ut legat libros prohibitos, Titius non incurrit excommunicationem. Quod si Titius manderet Cajo, ut sibi audienti legat, communior sententia cum Laym., Azor., & aliis docet, excommunicationem a Titio etiam incurri; tum quia legens per alium moraliter ipse legit, ex *Regula illa iuriis in 6. Qui per alium facit, per se ipsum facere censetur*; tum etiam quia esset quasi frustranea lex non legendi tales libros, si non prohiberet lectionem etiam per alios factam. Multi tamen probabiliter docent, quod neque in tali casu Titius excommunicationem incurret; tum quia universim censura lata in facientes non incurrit a mandantibus; tum etiam quia lex sufficienter vitat lectionem librorum prohibitorum, dum solum prohibet, ne legantur: nam qui coram aliis legeret, vel non habet facultatem legendi, & sic ne incurrit excommunicationem, non legeret; vel habet facultatem, & consequenter, cum esset proinde vir prudens, non facile tales libros legeret coram audientibus non probis.

Dubium est quarto; An habens li-  
brum hereticum possit illum combu-  
rere, an debeat Inquisitoribus tra-  
dere?

Respondeo, non solum prohiberi retentionem talis libri etiam apud alios

lios tam nomine proprio , quam nomine alterius , sed etiam præcipi , quod tradatur Inquisitoribus in quadam motu Julii III. incipientis , Cum meditatio . Ita Sanch. , Azot. Verum Filluc. , & alii apud Bonac. excusant eum , qui propria auctoritate combureret , aut traderet iis , qui facultatem habent legendi tales libros ; Dato tamen , quod juxta priorem sententiam peccaret , certe excommunicationem non incureret , qui talem librum combureret .

X. Dubium est quinto ; Quinam posse concedere facultatem legendi libros prohibitos ?

Respondeo , libros prohibitos in Bulla Cœnæ legi non posse nisi de Pontificis facultate , ut constat ex ipsa Bulla ; unde solum in casu magnæ necessitatis potest ab Episcopo , aut Inquisitore talis licentia concedi : Ex decreto tamen Urban. VIII. , quod incipit , *Apostolatus* , præter Pontificem potest etiam Congregatio Sancti Officii facultatem concedere legendi libros tam in Bulla Cœnæ , quam in Indice expurgatorio prohibitos ; Ante tale decretum poterant Episcopi , Inquisitores , & Generales religionum suis subditis facultatem concedere legendi libros in Indice vetitos ; Quod autem amplius nequeant etiam Priviligiarii hujusmodi facultatem suis subditis concedere , docent communis contra nonnullos , ut diximus in Trutina exponentes thesim 45. ab Alex. VII. proscriptam .

## ARTICULUS II.

Perstringuntur reliquæ excommunications in Bulla Cœnæ .

- I. Excommunicantur deinde Appellantes ad futurum Generale Concilium .
- II. Pariter Piratae depradantes Christianos navigantes mare Ecclesiasticum .

- III. Necnon surripientes bona naufragantium Christianorum , non tamen Hæreticorum .
- IV. Item imponentes Pedagia , & Gabellas . Et quidem etiam Principes Supremi , si injuste illas imponant ; possuntque ex multiplici capite in justitiam continere . Collectæ ab Universitatibus imponi possunt , non tamen a Principibus .
- V. Falsarii etiam literarum Apostolicarum .
- VI. Et qui arma , & alia hujusmodi deferunt ad Infideles in perniciem Catholicorum .
- VII. Impedientes , ne victualia , & alia Romana Curia necessaria ad eam adducantur , idque sine causa legitima . Quid autem venit nomine Curia Romana ?
- VIII. Vexantes eos , qui ad Sedem Apostolicam ob causas ad illam pertinentes accedunt ; & qui jurisdictionem fibi vindicant adversus comorantes in Romana Curia .
- IX. Necnon vexantes Romipetas , qui ad Urbem principaliter causa devotionis accedunt .
- X. Qui vexant Cardinales , Episcopos , Nuncios , &c. , & qui Episcopos a suis Diœcesibus expellant ; necnon mandantes , ratum habentes , ac favorem , consilium , auxilium interponentes .
- XI. Molestantes , qui ad Romanam Curiam pro suis negotiis recurrrunt .
- XII. Pariter qui frivolam appellationem prætexendo ab Ecclesiastica ad Curiam Secularem confugiunt , & litteras Horratorias , que potius sunt comminatoria , procurant .
- XIII. Qui prætextu exemptionum causas Spirituales , Beneficiales , decimorum , &c. a Judicibus Ecclesiasticis ad se avocant ; sive etiam prætextu violentia prohibenda .
- XIV. Item qui ex prætempore officio Personas Ecclesiasticas ad seculare Tribuna-

- bunal trahunt, & libertati Ecclesiasticae prejudicant.
- XV. Et qui impediunt, ne iudices Ecclesiastici sua jurisdictione utantur sive directe, sive indirecte, carcerando consanguineos.
- XVI. Similiter qui jurisdictionem Ecclesiasticam usurpant, aut fructus pertinentes ad Ecclesiasticas personas ratione beneficiorum, aut Monasteriorum; aut si eos sequestrant.
- XVII. Ac qui collectas imponunt, aut alia onera potestate laicali Ecclesiastici sine licentia Pontificis; & qui a sponte dantibus sic imposta recipiunt; quiu ex consuetudinibus excusentur.
- XVIII. Quandonam Ecclesiastici in communibus necessitatibus tenentur ex justitia contribuere, & quomodo?
- XIX. Iudices, & alii, qui in causis Criminalibus adversus Ecclesiasticos procedunt.
- XX. Et qui loca Pontifici subjecta invadunt, usurpant, detinent, atque eorum fautores, &c.

I. Secunda excommunicatio comprehendit Appellantes ab ordinationibus Pontificis ad futurum Generale Concilium, necnon id consulentes, & auxilium praebentes: Qui enim appellat ad Concilium, censetur tollere a Papa privilegium illud a Christo Domino concessum, quod sit supra totam Ecclesiam; cum D. Petro dixerit: *Tibi dabo claves Regni Cælorum. Super hanc petram adificabo Ecclesiam meam.* Hinc damnata est ab Alex. VII. propos. 29. dicens: *Futilis, & toties convulsa est assertio de Pontificis Romani supra Concilium Oecumenicum auctoritate, ariue in fidei questionibus decernendis infallibilitate.* Additur in hac secunda excommunicatione Interdictum propter eandem causam pro Universitatibus, Collegiis, & Capitulis; nam Communitates interdici pos-

sunt, excommunicari non possunt, ut diximus quæst. 1. art. 3. Sed de hac inappellabilitate fuse diximus in Proemio tertiae Editionis Trutinae Antequænelliæ.

II. Tertio excommunicantur Pirati, Cursarii, & latrunculi maritimi interficientes, mutilantes, depradantes Christianos, qui mare Ecclesiasticum navigant, præcipue a Monte argentario ad Terracinam; necnon consulentes, & auxiliantes. Si quis tamen navim ipsotum Piratarum sumpiat, excommunicationem non incurrit, quoties id non cedat in damnum aliorum fidelium, quia licita est de prædatio piratarum, ex cap. Si quis 23. quæst. 3.

III. Quarto excommunicantur sucripientes bona Christianorum naufragantium, sive in navibus existentia, sive ab iisdem ejecta, sive in litore inventa in quocumque mari; Requiritur tamen, ut acceptio sit injusta, & ex certa scientia, quod ea bona sint naufragantium, & quod non occupentur animo ea conservandi, ac restituendi domino; ac demum requiritur, quod non presumatur ex manifestis conjecturis, quod ea bona sine derelicta; Nomine autem Christianorum non veniunt haeretici, ut communiter Doctores docent; quia non est credibile, quod Papa per Bullam hanc voluerit favere haereticis.

IV. Quinto excommunicantur, qui in terris suis sine ullo privilegio imponunt, vel augent pedagia, seu gabellas, necnon qui illas exigunt ut ministri, vel haeredes imponentis; Nomine autem Pedagii intelligitur tributum quoddam impositum ob transsum vel personarum, vel mercium per aliquem locum; sub quo nomine venit etiam Guidagium, quod est tributum pro custodia, & refectione viarum: Nomine vero Gabellæ venit tributum, quod exigitur pro delatione, trans-

translatione, venditione, & emptione mercium. Habent tamen privilegium ea imponendi, & augendi omnes supremi domini, qui in temporalibus superiorem non habent, ut Imperator, Reges, Respublica; non vero Marchiones, Principes, Comites, Dukes, nisi de licentia Principis supremi. Adverte tamen, quod si supremi Principes injustas gabellas imponant, aut sine justa causa augeant, etiam excommunicationem hanc incurvant, ut docent Suar., Molin. contra Navar., & Tolet. Est autem Gabella de se injusta, Primo ratione personarum, quibus imponitur, ut si imponatur etiam a Clericis solvenda sine licentia Papæ. Secundo ratione materia, ut si imponatur rebus, quæ venduntur, & emuntur in propriam fluctuationem. Tertio ex parte causæ, ut si non imponatur propter utilitatem publicam. Adverte demum ex Blundo, quod excommunicationem hanc etiam incurvant, qui imponunt collectas, talias, & alia onera præter pedagia, & gabellas; exceptis tamen universitatibus, & communitatibus; quia illæ quando collectas imponunt, libere sibi ipsis hæc imponunt onera, ut possint civium necessitatibus subvenire: Contra vero Principes illa imponunt civibus invitis, ad propriam utilitatem.

V. Sexto excommunicantur falsarii literarum Apostolicarum, sive falso eas fabricent, sive falsas signent sigillo vero; sive falsent illas immutando earum characteres, aut punetum aliquod; (quamvis aliquando ex levitate materiae possit hæc actio esse peccatum veniale, ex quo excommunicatione non incurrit) Qui tamen falsis literis Apostolicis uitetur, excommunicationem hanc non incurrit; sicut nec qui errorem Notarii corrigere; ut si conslet datam esse dispensationem in tertio gradu consanguini-

Pars VIII.

tatis, & Notarius per errorem scripsisset, in quarto gradu, non peccat, qui eum corrigit.

VI. Septimo excommunicantur, qui ad Saracenos, Turcas, & alios Christiani nominis hostes, necnon ad haereticos exprefse, & nominatim per Sedem Apostolicam declaratos deferunt, vel transmittunt in damnum Catholicorum arma, & armorum materiam, scilicet ferrum, stannum, necnon funes, ac funium materiam, equos, ligamina, & alia hujusmodi, quibus in perniciem catholicorum tantur; Excusantur tamen Christiani coacti remigare in triremibus Turcarum; & qui eas res deferunt ad Saracenos non gerentes bellum cum Christianis. Excusantur etiam ex Navar., & Tolet. ab excommunicatione, (si non a peccato) qui deferunt vestes, & victualia; quia hæc non intelliguntur per illa verba Bullæ, & alia hujusmodi. Excommunicantur etiam qui per se, vel per alios in Christianorum perniciem certiores faciunt haereticos, & alios fidei hostes de rebus statutis Reipublica Christianæ concernientibus; aut qui illis consilium, auxilium, vel favorem praestant.

VII. Octavo excommunicantur injuste impudentes victualia ad Romanam Curiam deferri: Dicitur autem Curia Romana tam familia Papæ, seu Tribunal Pontificium, in quo negotia Ecclesiastica conficiuntur, ubique Pontifex residet; quam locus, in quo Cardinales resident post obitum Pontificis. Verum, ut hæc excommunicatione incurrit, debent sine justa, & legitima causa impedire, seu prohibere, aut perturbare, ne victualia deferantur, aut defendere, qui id facit; Quare si Princeps, vel Respublica, ut suis propiciat, prohibet, ne triticum, vel vinum ex suis coniunctibus extrahatur, & Romanam deportetur, excommunicationem non incurrit;

Q cur-

currit; ut notat Suar. tom. 5. disp. 21.  
 VIII. Nono excommunicantur, qui mutilant, spoliant, capiunt, detinent accedentes, vel recedentes a Romana Sede: Quare non excommunicantur, qui ea faciunt in accedentes ad Urbem ad sua negotia sæcularia per agenda, sed qui ea faciunt in accedentes ad Sedem Apostolicam ob negotia, vel causas, quæ ad illam pertinent; etiamsi non in odium, & contemptum Sedis Apostolicae, sed vel ob inimicitias, vel ob alias causas id faciant. Præterea excommunicantur, qui usurpata jurisdictione, hoc est sine ulla ordinaria, aut delegata jurisdictione, prætextu tamen illius laderet commorantes in Curia Romana, qui dicuntur Curiales, & ita Romæ morantur, ut Papæ, vel Cardinalibus, vel Episcopis inserviant.

IX. Decimo excommunicantur interficiens, mutilantes, vulnerantes, detinentes, capientes, seu deprædantes Romipetas, hoc est peregrinos, qui devotionis causa petunt Romanam, & in ea morantur; Excommunicantur etiam, qui in his actionibus dant consilium, auxilium, aut favorem. Ubi adverte, quod excommunicationem non incurrat, qui occidit venientem ad Urbem sub habitu peregrini, non tamen devotionis causa, sed verbi gratia, ad vitandas expensas: Contra vero excommunicationem incurrit, qui occidit venientem ad Urbem devotionis, vel peregrinationis causa, etiamsi equester veniat, & si ne habitu peregrini: Immo etiam si veniat ob alia negotia, dummodo veniat principaliter causa devotionis, vel peregrinationis.

X. Undecimo excommunicantur, qui mutilant, interficiunt, vulnerant, percutiunt, capiunt, detinent, & hostiliter insequuntur Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, Patriarchas, Episcopos, Sedis Apostolicæ Legatos,

vel Nuncios, &c. Excommunicantur etiam Principes, Magistratus, & alii, qui Episcopos, Legatos, vel Nuncios a suis Diœcesibus, territoriis, terris, seu dominiis ( idest ubi suam jurisdictionem exercent) ejiciunt; & qui iussu Principum eisdem Ecclesiasticas personas expellunt; Neconon mandantes, ratum habentes, auxilium, consilium, favorem praehantes in aliquam ex prædictis actionibus. Dicitur autem ratum habere, quando intervenit quoddam virtuale mandatum, non vero quando solummodo laudatur factum, seu approbatur ab eo, cuius nomine nullatenus est factum; ut notat Suar. loc. cit.

XI. Duodecimo excommunicantur, qui occidunt, percutiunt, bonis expoliant recurrentes ad Sedem Apostolicam, seu Romanam Curiam super suis negotiis; Neconon eorundem negotiorum gestores, advocates, procuratores, agentes, seu etiam auditores, & Judices super dictis causis, seu negotiis deputatos, dummodo eos laderint occasione eorundem negotiorum. Nomine autem negotiorum Suar. contra Navar. putat venire non solum causas spirituales, sed etiam temporales, quæ ad Sedem Apostolicam spectant ratione sui dominii temporalis. In nona itaque excommunicatione excommunicantur, qui molestant accedentes, vel recedentes a Sede Apostolica; in hac vero excommunicatione, qui molestant recurrentes ad illam, & ea negotia pertractantes: Quare Princeps, vel Jux, qui spoliat bonis appellantem ad Romanam Curiam, hanc excommunicationem incurrit; quamvis ea bona, quibus spoliatur, domi reliquerit, qui ad Curiam habuit recursum. Excommunicantur etiam, qui ad has actiones auxilium, favorem, & consilium præstiterint.

XII. Decimotertio excommunicantur

tur appellantes sub privato prætextu ad Curias Sæculares in causis Ecclesiasticis ad impediendam executionem literarum Apostolicarum sive gratiam, sive justitiam continentium; necnon citationum, inhibitionum, sequestrorum, &c., sive talis appellatio, & recursus a Principibus admittatur, sive non. Excommunicantur etiam, qui a potestate laicali, etiam instantे Fisci procuratore, vel Advocato, faciunt, ut hujusmodi appellationes admittantur, & qui faciunt, ut hujusmodi literæ a laica potestate capiantur, retineantur. Denum excommunicantur, ut notat Azor. lib. 5. cap. 12., qui post legitimam appellationem ad Judices Ecclesiasticos, quam illi admittere non possint, recurrunt ad laicam potentiam, ut faciant illam admitti procurando literas Hortatorias; quæ quamvis videantur modeste loqui, mittuntur tamen sæpe auctoritative, & intentione præcipiendi, & comminandi; quod si ita se res habeat, tam eas obtinentes, quam mittentes excommunicationem incurront.

Notandum tamen, nomine literarum Apostolicarum venire hic tantum eas, quæ emanant a Papa, Se de Apostolica, Nunciis, Legatis, Præsidentibus Cameræ Apostolica, Auditoribus, Commissariis, Judicibus, & Delegatis Apostolicis, non tamen quæ emanant ab Episcopis, Archiepiscopis, &c.; quamvis qui has impediunt, decimam sextam excommunicationem Bullæ Cœnæ incurront.

XIII. Decimoquarto excommunicantur, qui auctoritate laica, & prætextu exemptionum, vel aliarum gratiarum, & literarum Apostolicarum, causas spirituales, & spiritualibus annexas, beneficiales, decimales, &c. ad se a Judicibus Ecclesiasticis avocant: Et qui partes aëtrices compellunt aut ad revocandas citationes,

inhibitiones, aut alias literas in talibus causis decretas, aut ad consentiendum, ut absolvantur a censuris illici, contra quos tales inhibitiones emanarunt: Necnon qui impediunt executionem talium processuum, decretorum, & literarum Apostolicarum, etiam prætextu violentiae prohibendæ, vel aliarum prætensionum; Ac demum qui ad id præstant auxilium, assensum, aut favorem.

Certe multi putant, ut notat Navar. & Blundo in Relectionibus Bullæ Cœnæ disp. 75. licere Judicibus Sæcularibus tam ex vi juris communis, præsertim ex Cap. *Filiis, vel Ne potibus* 16. q. 7. quam ex vi consuetudinis, & ex tacito consensu Papæ, præsertim in Hispania, & Gallia, multa facere huic dispositioni contraria, ne aliquis sine justa causa, & absque mera Summi Pontificis informatione a suo beneficio deturbetur, aut aliam similem injuriam gravem patiatur, quam postea aut vix, aut nullo modo possit recuperare: Putant etiam, Judicibus sæcularibus licere propter eandem rationem impedire, ne executioni mandentur sine suo assensu literæ Apostolice, necnon cognoscere causas Clericorum, præsertim beneficiorum, quando sæcularis conqueritur se injuste opprimi a Judice Ecclesiastico. An autem ea liceant? Navar., & Suar. apud Blundum definitioni Pontificis remittunt. Azor. ramen tom. I. lib. 5. cap. 12. diserte, ac solide ostendit non licere; Nec pro Hispania, Gallia, Hungaria, Germania tale privilegium unquam concessum esse; cum debeat sæcularis a Judice Ecclesiastico oppressus ad Archiepiscopum, & ad Papam conqueri, non ad Judicem sæcularem; Et quando dubitatur veræ sint, an surreptitiae literæ Apostolice, judicium in hac re non est ferendum a sæculari, sed ab Ecclesiastico.

Q. 2

Di-

Dices. In cap. laudato *Filiis*, vel *Nepotibus* habetur, quod si negligat Episcopus corriger Sacerdotem fraudantem aliquid de rebus Ecclesiæ collatis, recurratur ad Metropolitanum; Quod si hic pariter erit negligens, recurratur ad Regem; ergo non est illicitum universim ad Regios ministros recurrere, quies iustitia ab Episcopo, & a Metropolitanano denegetur.

Respondeo. id permitte causa defensionis, quando manifesta iustitia irrogatur, & non patet aditus ad Pontificem; ad quem non possit sine magno impedio haberi recursus: Cum enim solus Pontifex delicta Ecclesiasticorum tanquam legitimus Judex punire possit, ad Pontificem recurrentem pro manifesta injuria ab Ecclesiasticis irrogata, si id fieri possit: Quando autem id non licet, ad Regem nequit recurre tanquam ad Judicem Episcoporum, sed solum ut impedit hic, & nunc manifestam iustitiam, quoisque ad Pontificem tanquam legitimum Judicem causa deferri possit; ut notant communiter Doctores apud Azor. tom. p. p. 5. cap. 12. assertentes in Canone solum permitti, quod ad Regem in casu adducto recurre possit, non ut Metropolitanum corrigit, (quod certe nequit, ex cap. *Qualiter, & quando,* & ex Cap. *Clerici, de Judicis*) sed ut Metropolitanum admoneat; vel ut Rex ipse instet apud Pontificem legitimum Superiorem, ac Judicem Metropolitanum.

XIV. Decimoquinto excommunicantur, qui ex praetenso officio trahunt ad seculare Tribunal personas Ecclesiasticas, & qui eas trahi faciunt, aut procurant quovis quæsto colore; necnon qui statuta, ordinaciones, vel decreta faciunt, aut publicant, vel iis utuntur in præjudicium libertatis Ecclesiastice, & quorumcumque

juriū Ecclesiæ, etiam si prætextu cuiusvis consuetudinis, aut privilegi. Dicuntur autem statuta esse contra libertatem Ecclesiasticam, qua sunt contra privilegia Ecclesiæ concessa sive ab Imperatore, sive a Papa, &c., necnon qua sunt contra privilegia concessa prebiis, possessionibus, &c. Ecclesiæ, & Clericorum. Esset etiam contra libertatem Ecclesiasticam, ut notat Suar., si temporales domini suis subditis præciperent, ne Clericis consueta obsequia exhibeant, id est ne eis quicquam vendant, panem coquant, & similia.

XV. Decimosexto excommunicantur, qui impediunt Prælatos, & Juges Ecclesiasticos, quominus sua jurisdictione utantur; necnon qui post sententiam fori Ecclesiastici ad Curias seculares recurrent procurando prohibitions, & mandata etiam penalia Judicibus Ecclesiasticis decerni, & contra eosdem exequi: Excommunicantur etiam, qui ea decernunt, & exequuntur, seu dant consilium, patrocinium, & favorem in iisdem.

XVI. Decimoséptimo excommunicantur, qui usurpant jurisdictionem, & fructus ad personas Ecclesiasticas ratione beneficiorum, Ecclesiarum, aut monasteriorum pertinentes; necnon si eos sequestrant: Ubi duo advertit Suar., Primum est, non incurrire excommunicationem hanc, qui fructus monasteriorum, beneficiorum &c. furatur; nam usurpare proveniens est illos capere tanquam ad se pertinentes; furari vero est rapere tanquam aliena bona. Secundum est, quod si beneficium aliquod, puta Episcopatus, habeat jurisdictionem etiam temporalem, qui talem jurisdictionem etiam temporalem usurpat, hanc excommunicationem incurrit.

XVII. Decimoctavo excommunicantur, qui potestate laicali imponunt collectas, decimas, & similia onera

nera personis Ecclesiasticis, &c Ecclesiarum, monasteriorum, & aliorum beneficiorum bonis, eorumque fructibus sine speciali licentia Papæ; Nec non qui hujusmodi onera sic imposita a sponte dantibus recipiunt, & qui procurant prædicta exequi, aut ad id auxilium, consilium, favorem præstant. Et ratio est, quia sic laeditur immunitas Ecclesiastica: Nec excusantur ab excommunicatione, qui hæc faciunt ex vi alicujus consuetudinis; quia talis consuetudo in multis juribus Canoniciis damnatur; ut videre est apud Azor. lib. 5. cap. 12.

Similis excommunicatio lata est a Lateranensi sub Alex. III. in cap. *Non minus*, de *Immunitate Ecclesiast.*, & in cap. *Adversus*, ubi etiam prohibetur, ne Episcopus, vel Clericus possit conferre subsidium pro communi necessitate, vel utilitate sine licentia Papæ; Et revocatur quod in cap. *Non minus* cit. permittebatur, quod scilicet Ecclesiastici possint aliquid sponte dare in aliqua necessitate, quando facultates laicorum non sufficiunt.

XVIII. Verum est, quod si in refectione pontium, fontium, viarum proxime, & directe oriatur commoditas ipsis Ecclesiasticis, teneantur ex justitia ad talem refectionem contribuere, ut notat Abb., & Molin. disp. 672. At primo utilitas Ecclesiasticorum debet esse directa, & immediata; aliter semper deberent contribuere, quia omnis contributio est ad publicam utilitatem ordinata. Secundo, quod debet in his casibus solvi a Clericis, non debet decerni a laicis, sed laici simul cum Ecclesiasticis de communi consensu debent convenire; & si Clerici renuant, non possunt cogi a Judice sæculari, sed solum ab Ecclesiastico, ad quem retinendum est. Vide Molin. laudat.

XIX. Decimonono excommunican-

tur Magistratus, Judices, Notarii. Scribæ, executores, &c. quomodo libet se interponentes in causis capitalibus, & criminalibus adversus personas Ecclesiasticas: Unde etiam id mandantes, capientes Clericos, &c, excommunicationem incurruunt; Hoc tamen fori privilegium amittit Clericus non beneficiatus, etiamsi initatus minoribus Ordinibus, si non deferat habitum, & tonsuram, & alicui Ecclesiæ inserviat, ex Trident. sess. 23. cap. 6.: Necnon Clericus, qui per assassinios fecit alium interficere, ac Clericus conjugatus bigamus.

XX. Vigesimo excommunicantur, qui destruunt, invadunt, occupant terras Romanæ Ecclesiæ usurpando in illis supremam jurisdictionem, videlicet in alma Urbe, in Regno Siciliæ, in Insulis Sardiniaz, & Corsicæ. Benevento, &c.

Demum qui ab his excommunicationibus extra mortis articulum absolveret, ipse excommunicationem incurret, (quamvis non in Bulla, sed extra Bullam Cœnæ a Clem. VIII. an. 1602. reservatam) & absoluti-  
nem nullatenus impenderet.

### ARTICULUS III.

#### De Excommunicatione ob percussionem Clerici.

- I. *Quid venit nomine Clerici? Quid nomine Monachi? Num etiam Terziarii? Num Eremita?*
- II. *Quid sit manus violentas injicere? Quid si venenum Clerico propinetur?*
- III. *Quandonam actio dicatur graviter injuria Clerico, & quando leviter?*
- IV. *Quid si Clericus consentiat in sui percussionem? Quid si seipsum percuciat?*
- V. *A quoniam debet verberari Clerici?*

6MS.

*cus, qui talem pœnam meretur? Num possit a laicis capi Clericus delinquens, ut suo Superiori præsentetur?*

**VI.** *Quam excommunicationem incur- runt mandantes, consilentes, ra- tam habentes, & non impedientes Clerici percussionem? Et quando- nam dicatur rata haberri?*

**VII.** *Plurimis de causis percussor Cleri- ci ab excommunicatione excusatur.*

**VIII.** *Quenam dicatur percussio levis, ratione cuius potest Episcopus ab- solvere ab hac excommunicatione; quenam percussio gravis; & qua- nem enormis?*

**IX.** *In dubio an percussio sit levis, vel gravis, num possit Episcopus ab- solvere?*

**X.** *Quid si percussio sit enormis, sed oc- culta? Et num Religiosi a suo Su- periore absolvii possint, etiam si per- cussio fuerit enormis?*

**I.** **H**Æc sunt verba Canonis: *Si quis suadente Diabolo manus violencias in Clericum, vel Monachum injecerit, anathematis vinculo subjaceat, & nullus Episcoporum illum presumat absolvere, nisi mortis urgente periculo, donec Apostolico conspectui compareat, ejusque mandata recipiat.*

Quæritur nunc primo; Quid intel- ligatur nomine Clerici, aut Monachi?

Respondeo, nomine Clerici venire initiatum saltem prima tonsura, etiam si sit conjugatus, dummodo non sit bigamus bigamia vera, aut interpre- tativa, ( quam explicabimus quæst. 9. art. 4.) ex cap. Clericos, dist. 21. Quod si sit bigamus bigamia similitudina- ria, per hoc scilicet quod post suscep- tros Ordines Sacros matrimonium ( quamvis invalide ) contraxerit, & consummaverit, adhuc gaudet privilegio Canonis; Clericus tamen de- gradatus per degradationem privile- gium amittit.

Nomine vero Monachi intelligun- tur etiam Conversi, Novitii, & Mo- niales, dummodo non vivant domi propriæ more laicorum; ut nota- Fill. & Pelliz. tr. 8. c. 6. n. 15. Gau- dent etiam privilegio Canonis, & for- ri, tanquam religiosi, Milites Com- mendatarii, seu Equites S. Jacobi, S. Joannis, Calatravæ, Alcantara, Ordi- nis Christi in Lusitania, S. Lazar in Sabaudia, S. Stephani in Florentia, etiamsi aliqui ex ipsis sint conjugati; sunt enim personæ Ecclesiastica, & tria vota religiosa emittunt: Quamvis ii dumtaxat dicantur vere religiosi, qui emittunt tria vota paupertatis, castitatis, & obedientiæ perfectæ, ut Equites S. Joannis: Alii vero, quia tria etiam hæc vota emittunt, sed non vovent perfectam castitatem, & pa- pertatem, non dicuntur vere religio- si. Ita communius cum Garz., Fil- liuc., Sanch. apud Bonac.

Dubium est de Tertiariis S. Fran- cisci, vel S. Dominici; De quibus di- cendum, quod si domi vivant, non gaudent eo privilegio, quamvis ser- vent regulam S. Francisci, vel S. Do- minici; secus vero, si assumpto habi- to monachis inserviant in monasterio sub obedientia Prælati, aut eleemosy- nam petant per urbem; tunc enim censemur personæ Ecclesiastica, & reli- giosi, eo modo, quo Novitii: Ete- nium nomine religiosi non solum ve- niunt, qui tria vota emiserunt, sed etiam qui sunt participes ejus status, ut sunt Novitii, Tertiarii, & alii sal- tem late sumpto nomine religiosi, ut docent communiter contra Cajet. V. Excommunicatio cap. 10. Idem docent communiter etiam Doctores de Ere- mitis, qui in communitate vivunt in aliqua Congregatione; vel si vivant sub obedientia Prælati ex tacita, vel expressa auctoritate Papæ, quamvis in tali congregatione non fiat professio; isti enim censemur religiosi saltem la-

15

re sumpto hoc nomine , ex Suar. , Avil. , Bonac. hic , & aliis.

H. Quæritur secundo ; Quinam dicantur injicere manus violentas ?

Respondeo , manus violentas injicere , quicumque actionem injuriosam violentam inferunt , etiamsi pede , vel alia corporis parte fiat , sive immediate , sive mediate , ita ut attingatur persona Ecclesiastica fuste , sagitta , &c. Sicuti etiam si sputum , vel pulv- verem in faciem projiciant , frænum equitantium detineant , aut cingulum ephippii incident , aut rem aliquam ab iis per vim eripiant . Idem dicas si vis inferatur equo , cui insident ; aut vesti , quam tenent ; quia per has actiones mediate infertur vis personis Ecclesiasticis . Quod si projiciens , verbi gratia , lapidem in Clericum , non tangat illum , sed erret , excommunicationem non incurrit ; quia nulla censura incurrit effectu non fecuto : Si vero Clericum carcere inclusum teneat , vere vim infert , ex cap. 29. de sententia excommunicationis ; quamvis illum non tangat . Sicuti etiam si sclo- pum explodat in Clericum , qui ob solum terrorem moriatur ; aut si ita insequatur Clericum , ut is cogatur se in flumen projicere , equo decidere , &c. Secus vero si per accidens Clericus cadat inter fugiendum . Nec incurrit excommunicationem , qui metu mortis proposito prohibet , ne Clericus domo egrediatur ; tunc enim non infert illi vim physicam , ut communiter docent cum Suar. . Nec incurrit excommunicationem , qui dolo , non vi aliquid ab eo surripit ; neque si surripiat vestes Clerico dormienti ; etiamsi id faciat eo animo , ut non possit domo egredi ; ut communius docent contra Antonin. ; nec qui per metum cogit Clericum , ut a suo feudo egrediatur .

Qui vero venenum propinat Clerico , videtur vere vim inferre magis ,

quam si alapam impingeret ; ut communiter docent contra Avil. 2. part. cap. 5. disp. 3. dub. 2. , & Sà , qui putant , excommunicationem non incurri ; quia sine manuum violentarum injectione propinatur venenum ; ut videre est apud Dian. part. 9. tract. 4. resol. 36. Illud sane certum est , quod excommunicatio non incurrit , antequam venenum graviter noceat . quia nondum est fecitus effectus .

Demum si Monialis gravida venenum bibat , ut foetus necetur , actio hæc esset violenta foeti , non ipsi moniali , aut statui Ecclesiastico , ex Bonac. , Avil. , Molin. apud eundem Dian. Secus vero si invita moniali alter illi venenum propinaret , ut foetus necetur ; tunc enim per vim illi surriperet foetum , quod est magis injuriosum , quam si vestem per vim illi auferret .

III. Dubium est primo ; quandonam actio dicatur injuriosa graviter , prout requiritur ad incurriendam excommunicationem ?

Respondeo , excommunicationem tunc incurri , quando est graviter injuriosa ipsa actio exterior ; Quare si ex intentione graviter peccaminosa leviter percutiatur Clericus , peccatum mortale committitur , non tamen incurrit excommunicatio : Si vero percussio sit quidem levis , sed censeatur esse graviter injuriosa Clerico ; ut si quis illum conspuat , includat in carcere , virga percutiat , &c. excommunicatio incurrit , dummodo percutiens peccatum mortale incurrit . Censemur autem actio leviter injuriosa Clericis , juxta Avil. , Sà [apud Bonac.] , quoties illata laico ejusdem conditionis , ac est Clericus , non censemur esse peccatum mortale . Molin. vero , & Bonac. docent , quod si actio violenta seclusa excommunicatione censeretur arbitrio prudentis viri , quod esset peccatum mortale relate

ad

ad Clericum, tunc peccatum mortale, & censura contrahatur. Ex quibus sequitur, quod Clerici impuberis interfexantes excommunicationem non incurvant, quoties percussio, attenta qualitate persona, & quantitate noctimenti, non pertingit ad mortale.

IV. Dubium est secundo; An percutiens Clericum permittentem se percuti excommunicationem incurrat?

Respondeo affirmative cum communis Doctorum apud Suar. disp. 22., & Bonac. hic: Etenim talis actio est injuriosa, si minus Clerico, certe statui Clericali, & Ecclesiastico, in cuius præjudicium non potest Clericus privatus consentire: Sicuti peccatum homicidii committitur etiam quando qui occiditur, consentit in sui necem, quia fieret in tali casu injuria Reipublicæ. Idem dicas, si Index detineat in custodia Clericum consentientem.

Hac etiam de causa communiter docent, excommunicationem incurri a Clerico percutiente scipsum præ ira, desperatione, & tædio vita; quia per eam percussionem injuria irrogatur statui Clericali; non vero quando quis ex devotione se flagellat, aut si ob mortem parentum alapis se percutiat, & barbam evellat; quia talis actio non censetur statui Clericali injuriosa. Clericus tamen consentiens in sua percussionem non est ipso facto excommunicatus, sed excommunicandus, ex cap. Contingit, de sententia excommunicat. apud Bonac., Avil., Suar.

Demum si quis Clericum mortuum injuriose percutiat, putant aliqui cum Villalob., Nald. apud Dian. part. 9. tract. 4. resol. 39., quod excommunicationem incurrat; quia statui Clericali fit injuria: Quod tamen communius negant cum Henr.; quia mortuus non est amplius homo, & consequenter nec persona Ecclesiastica.

V. Dubium est tertio; A quoniam debeat Clericus verberari, quando verbera meretur?

Respondeo, ex cap. Universitatis de sententia excommunicat. puniendum esse jure communi a suis Prælati, si hi sint inferiores Episcopo, & com mode possint; aliter tam Prælati, quam percussores excommunicationem incurront; Urgente tamen necessitate posseunt Prælati Clericos per alios Clericos verberare, & per laicos, quando Clerici decesserint; Episcopi vero si per seipso extra necessitatem Clericum verberarent, excommunicationem incurrerent, ex cap. Non licet, dñ. 86. Verum quanvis jure communita se res habeat, consuetudine tamen receptum est, ut Clerici etiam per laicos capiantur, verberentur, torqueantur; potuit autem ea consuetudo introduci, eo quod non deceat Clericum, vel Monachum adeo vile munus obire. Ita Bonac. hic, Molin., Suar., & alii.

Addunt communiter Doctores cum Con., & Avil., posse ministrum iustitiae secularis capere Clericum repetitum in flagranti delicto, ut praesentem illum suo Superiori; quia presumunt tacitus Superioris consensus, & videtur hoc ad commune bonum expedire; quamvis non debeat Clerico major vis inferri, quam sit necesse.

VI. Quæres tertio; An mandantes, consulentes, non obstantes, & ratae habentes Clerici percussionem, eandem excommunicationem incurrant?

Respondeo ex dictis quæst. i. art. 4., mandantes, precibus, aut promissis incitantes, & consulentes Clerici percussionem, secuto effectu, incurrire excommunicationem maiorem, non vi Canonis, Si quis suadente, sed vi cap. Quanta, & cap. Mulieres, de sententia excommunicat; Sicuti etiam non obstantes (si tamen ex officio non ex sola charitate ad id teneant-

teneantur) ex Bonac., Molin., & aliis contra Suar., & Filluc.; Tales sunt Reges, Judices, Patres, Tutores, Parochi, Heri, Pœdagogi, & similes respectu subditorum suorum. Idem dicas de ratam habente, seu approbante Clerici percussionem suo nomine factam; quia ratihabito fitione juris retrotrahitur, & comparatur mandato; ut docent Bonac., Suar., Molin.: Debet tamen ratihabito, seu approbatio manifestari signo externo, videlicet per verba, aut natus, &c., ita ut non solum ille ostendat de percusione facta gaudere, sed sciens factam esse suo nomine, hoc ipsum approbet; Requiritur etiam, ut talis percusso facta fuerit eo tempore, quo poterat mandari a ratihabente: Quare si tempore infantiae, vel amentiae Titii facta fuit ejus nomine percusso, non dicitur ratam habere Titius, si deinde illam approbet; & consequenter excommunicationem non incurrit: Secus vero si facta fuit, dum dormiebat, quia tunc facile poterat excitari, & interrogari num vellet suo nomine percussionem fieri, & sic illam mandare. Ex quibus sequitur, quod cum Clemens VIII. reservando sex illos casus intra Italiam extra Urbem, reserverat solum Clerici percusionem, Mendicantes ab hac tantum (nisi sit occulta) absolvere non possint, sed possint absolvere mandantes, consulentes, & ratam habentes hujusmodi percussionem vi suorum Privilegiorum.

VII. Quæritur quarto; Quandonam percusor Clerici ab excommunicacione excusetur?

Respondeo, Primo excusari, quando quis Clericum percutit in defensionem, seu quando in continentia vim vi repellit cum moderamine inculpatæ tutelæ ad defendendum se, vel sua, vel suos etiam amicos, necnon etiam extraneos innocentes; Vel ad defen-

Pars VIII.

dendum proprium honorem, ex cap. Si vero, de sententia excommunicat.

Ratio est, quia defensio jure naturali est licita: Et hoc valet ex Suar., & Bonac. etiamsi percutiens posset fugere, sed ea fuga fuisset illi ignominiosa. Dixi tamen in continentia; nam si Clericus rem tuam furatus ad alium locum se recepit, non potes ibi illum percutere; quia tunc esset ultio, non defensio: Contra vero, si dum fugit, percutis illum cum moderamine inculpate tutelæ, ut relinquit, quod furatus est; vel si debitor fugam parans detineatur, ut Superiori præsentetur, & sic creditum non amittatur.

Secundo, qui joco inter ludendum fine injuria se percutiunt.

Tertio, qui in subita rixa, vel colera Clericum percutit non advertendo ad id, quod facit, unde sine mortali id accidat.

Quarto, quando sine gravi injuria, quod sœpe accedit, ut notat Sot., pueri Clerici inter se rixantur, etiamsi sanguinem e naribus, aut capite projiciant. Non negatur tamen, quod aliquando etiam in istis sit injuria gravis, ut patet ex cap. ultim. de sententia excommunicat.

Quinto, quando quis percutit Clericum ignorans, aut non advertens ad Clericatum, ut diximus quæst. 1. art. 6. Unde fit, quod si quis volens occidere Joannem Clericum, adhibita omni diligentia, ne alias a Joanne occidatur, præter intentionem occidat Titium Clericum, nec excommunicationem, nec irregularitatem incurrat; ut probabiliter docent Portel. Fregosus, & alii apud Dian. part. 9. tract. 4. resol. 31. contra Vegam, & alios, quia talis actio relate ad Titium fuit omnino involuntaria.

Sexto, si percutiatur Clericus causa correctionis ab habente potestatem, ita ut non excedatur graviter modus

R in

in percutiendo. Et hac de causa potest Pater filium etiam in Sacris constitutum cum debita moderatione verberare, Magister discipulum, ut communius Doctores docent. Sic etiam excusantur Clerici seniores, imo Laici, qui ratione officii ejiciunt Clericum minorum ordinum turbantem divina officia; Dominus pariter excusat, si percutiat famulum Clericum, non tamen in Sacris constitutum; Notandum tamen, quod si quis principaliter ex odio, vel ira percutiat Clericum, & secundario causa correctionis, ita ut peccet mortaliter, excommunicationem incurrit; quia percutit suadente diabolo; Secus vero si principaliter percutiat causa correctio-  
nis, quamvis admisceatur peccatum mortale odii, ut Bonac. hic, Avil., Molin.

Septimo, quando Ostiarius, aut aliis officialis Principum, arcendo turbam, simul Clericum arcet, ex cap. Si vero 3., de sententia excommunicat., quia talis violentia respectu Clerici censetur casualis.

Octavo, quando percutitur Clericus, qui ter fuit admonitus vel in generali, vel in particulari, ut habitum, & tonsuram deferret, & tamen non defere; tunc enim amittit privilegium Canonis, ex cap. Cum contin-  
git 2., de sententia excommunicat. Putant etiam Con. dub. 15., Suar., & alii apud Bonac. hic, Clericum minoribus initiatum privari privilegio Canonis, si habitum Clericalem non deferat, & beneficium non habeat, etiam si non sit admonitus ferre habitum; quia iste ex Trident. sess. 23. cap. 6. privatur privilegio fori; quod ex Panormit. difficultius amittitur, quam privilegium Caponis: hoc tamen negant Bonac., Rodriq., & alii; quia ista privilegia sunt inter se diversa, & a diversis non sit illatio; præsertim quia penas sunt stricte interpretanda.

Nono, si quis percutiat Clericum factum militem, ac sese in enormitibus immiscentem, ut grastando, &c. Sic enim amittit privilegium Canonis, & juxta aliquos etiam fori.

Demum, si quis percutiat in continenti Clericum, quem reperit turpi-  
ter agentem cum sua matre, uxore,  
forore, filia, ex cap. Si vero, de sen-  
tentia excommunicat., cum enim diffi-  
cile sit in his casibus a furore tempe-  
rare, excusat a censura, etiam si non  
excusat a peccato.

VIII. Quæritur ultimo; Quinam pos-  
sit absolvere ab hac excommunica-  
tione?

Respond., solum Pontificem; quamvis in multis casibus possit etiam Episcopus, & consequenter Mendican-  
tes privilegiati, quippe qui absolvere possunt a casibus, quos jus reservat Episcopo, non vero quos Episcopus reservat sibi.

Primo itaque potest Episcopus per-  
cussorem Clerici absolvere, si percus-  
sio fit levis, ex cap. Pervenit, de sen-  
tentia excommunicat., In quo casu pot-  
est etiam Vicarius generalis, quia fac-  
it unum Tribunal cum Episcopo; Et universim quando Pontifex dat aliquam  
facultatem Episcopo, quam non inten-  
dit conferre Vicario, id solet ex-  
primere.

Dubitatur tamen; quænam dicatur  
percussio levis; quænam vero gravis,  
seu mediocris; & quænam enormis?

Respondeo, dici levem, non qua-  
sit peccatum veniale; aut quæ sit morta-  
le, ita tamen ut actus externus in  
ratione percussionis habeat materię  
parvitatem; nam in nentro hoc casu  
incurritur ulla excommunicatio, ut di-  
ximus quæst. I. art. 4. Quare in re  
præsenti percussio dicitur levis, quæ  
fit pede, pugno, baculo, vel lapide  
nullum relinquentे vestigium, seu ma-  
culam, aut sugillationem carnium;  
Vel quæ fit absque effusione multi san-  
guinis.

guinis , aut multorum capillorum evulsione , & quæ notabilem injuriam , & scandalum non parit ; Et talis censetur esse apud Dian. part. 9. tract. 4. resol. 19. si quis percutiat Sacerdotem pugno , ita ut ex ore percussi aliquæ guttæ sanguinis defluant ; Unde Papiae resolutum fuit a Theologis , quod posset hic ab Episcopo absolvi : Contra vero , si quis publice percutiat Clericum in Ecclesia , vel in platea , etiamsi leviter , percussio non dicitur levis , cum fiat illi injuria gravis , ut docet Gloss. apud eundem Dian. resol. 45.

Dicitur percussio enormis , si magnus vulnus infligatur , non vero si magna copia sanguinis e naribus , vel e vulnere modico effundatur , quod indigeat Chirurgia , & Medicinalibus ; Item si percussio sit valde ignominiosa ; ut si quis manus injiciat in Episcopum , vel Abbatem , vel Superiorum , vel si vulneretur Clericus in oculo , in facie , &c. Vel ratione scandali , ut si Monachus percutiat Clericum saecularem , & inde detur scandalum ; Vel ex publicitate , ut si quis in platea , aut in publico concursu Clericum percutiat ; Vel si officialis laicus percutiat Clericum authoritative , quasi usurpans jurisdictionem Ecclesiasticam ; Vel si percutiatur Sacerdos sacris vestibus induitus ; Vel si Clericus diu detineatur in carcere tetroremo . Gravis demum , seu mediocris percussio dicitur , quæ nec enormis , nec levis est , quod tamen ab Episcopo est judicandum .

IX. Quod si dubitet Episcopus , sitne levis , an gravis , censere debet esse gravem , ex Extravag. Joan. XXII. ne detur occasio offendendi statum Ecclesiasticum ; Quamvis contrarium doceat Bordon. apud Dian. part. 9. tract. 4. resol. 46. , quia scilicet in dicta Extravag. habetur consilium potius , quam præceptum ; Et in dubio

reservationis standum semper pro libertate absolvendi , quæ est in possessione .

X. Secundo potest Episcopus absolvere percussorem Clerici , etiamsi enormis fuerit percussio , quando delictum est occultum , & non deductum ad forum contentiosum , ex privilegio Trident. sess. 24. cap. 6. , quod non constat esse revocatum , ut docet Bonac. hic , Dian. loc. cit. resol. 63. , Reginald. lib. 30. num. 91. , & alii contra Molin. disp. 64. Et ideo supra diximus num. 6. quod possint etiam Regulares privilegiarii a percussione gravi Clerici absolvere , si sit occulta ; cum possint absolvere a casibus , quos jus Episcopis reservat , non tamen ab iis , quos Episcopi reservant sibi , ut probabiliter multi docent apud Dian. par. 9. tract. 4. resol. 69.

Tertio , si Clerici in aliqua communitate viventes invicem se percutiant percussione mediocri ; non enormi , possunt pariter a suo Episcopo absolvi ; sicut pariter Religiosi a suo Superiore : Quod si Religiosus percutiat percussione mediocri alium religiosum alterius Claustrum , non solum debet a proprio Superiore absolves , sed etiam a Superiore percussi ; quamvis possit hic delegare vices suas alteri , ex cap. Cum illorum , de Sententia excommunicat . Ceterum Religiosos ex suis privilegiis posse ab hac excommunicatione absolves , etiamsi percussio fuerit enormis , notat Pal. , & Molin. apud Pelliz. tract. 8. cap. 6. num. 191.

Quarto potest Episcopus legitimate impedimentum adire Pontificem absolvere cum onere se presentandi coram Pontifice , cessante impedimento sub pena reincidentiae .

Quinto potest etiam absolvere impuberes , etiamsi enormiter Clericum percuserint , & etiamsi solutionem post pubertatem petant , ut Molin. ,

R 2 Suar.

Suar. , Filliuc. apud Bonac. ex cap.  
ult. de Sententia excommunicat.

Sexto mulieres quascumque, etiam si homicidium commiserint . Septimo pauperes, qui Romam adire non posse sunt, nisi petendo ostiatim stipem , quod non consueverunt; necnon cœcos , senes, aliosque perpetuo impenititos, & quidem sine ullo onere; de quibus omnibus fuse agit Dian. part. 9. tract. 4. resol. 59.

#### ARTICULUS IV.

##### De Excommunicatione ob Duellum .

- I. *Quid sit Monomachia, seu Duellum  
presse dictum?*
- II. *Eritam iure naturali, & divino  
Duellum est illicitum; & sub poena  
excommunicationis, aliisque poenitentie  
ab Ecclesia vetitum.*
- III. *Licitum tamen est, aut ad pugnam  
inter paucos terminandam, aut ad  
se, ac sua defendenda, si alia via  
non suppetat.*
- IV. *Non licet tamen illud acceptare ad  
timiditatis notam declinandam.*
- V. *Regularibus intra Italiam extra Ur-  
bem inhibetur absolvere provocan-  
tes, & pugnantes, nisi casus sit  
occultus.*

I. **D**uellum est proprie Pugna de-  
liberata inter duos, vel plures pari numero, sponte, & ex con-  
dicto suscepta statuto tempore, & loco cum periculo mortis, aut vulneris  
gravis; unde non est proprie duellum-  
conflictus , qui ex rixa nascitur ; ne-  
que qui fit assignato loco, & non tem-  
pore, aut tempore, & non loco; imo  
neque si in Ecclesia rixantes ob rever-  
tentiam Ecclesiae gladium non evagi-  
nant, sed continua moraliter rixa  
egrediuntur , & extra Ecclesiam pu-  
gnæ finem imponunt: Secus vero, si

in platea V. G. rixantes alter alteri  
dicat, ut inde exeat ad pugnandum;  
etenim videntur statim determinare  
locum, & tempus extra plateam, &  
ex condicto, & non ex rixa pugna-  
re; ut docet Sanch. lib. 2. Summ. cap.  
39., & Filliuc. contra Graffic. apud  
Bonac.

II. Quaritur primo ; Sitne tempore  
illicitum Duellum ?

Respondeo, Duellum non solum  
re naturali, & divino esse illicitum,  
ut ostendit Peregrin. quæst. 2. , tum  
quia temere exponitur periculo vita  
innocentis ; tum etiam quia nemini  
licet auctoritate privata alium occide-  
re ; sed præterea prohiberi jure ca-  
nonico sub excommunicatione, alii-  
que pœnis, ut habetur in Trident. sess.  
24. cap. 19. , & in constitutionibus  
plurimorum Pontificum jam inde a Ju-  
lio II. , ac deinde severius a Pio V.,  
Gregor. XIII. , & Clement. VIII. Hic  
autem excommunicationem etiam ad  
Reges, & Imperatores extendit, eti-  
am si sine patrinis, ac literis provocati-  
oriis duellum commiserint ; Imo eti-  
am excommunicantur suadentes duel-  
lum , ac provocantes , quamvis ad de-  
fensionem proprii honoris, etiam pu-  
gna non secuta, necnon comitantes,  
( nisi comitentur ad impedendum )  
socii , Patrini , spectatores de indu-  
stria, non vero qui obiter transeun-  
tes , vel occultæ curiositatis gratia il-  
lad aspicerent : Pariter excommuni-  
cantur quomodolibet se ad illud in-  
tromittentes, etiam nec pugna, nec  
provocatio sequatur ; non tamen ra-  
tihabentes, cum id non exprimatur.  
Demum excommunicantur Dominilo-  
corum, magistratus, duces militum,  
Locumtenentes, qui illud permittunt,  
aut non puniunt ; Civitates vero, aut  
Oppida , aut Castra dominorum il-  
lad etiam tacite permittentium subja-  
cent interdicto Ecclesiae , & qui in con-  
flictu moriuntur , privantur Ecclesiae  
fit.

stica epultra. Docet tamen Dian. part. 3. tract. 6. resol. 1. ex Volfan., quod si quis diffidat alterum, & ad pugnam accedat, non animo pugnandi, sed defendendi honoris, & cum morali securitate, quod nullum damnum sit securum, excommunicationem non incurrat, ( quanvis peccet peccato scandali ) quia ad rationem duelli spectat, quod fiat cum periculo mortis, aut vulneris gravis.

III. In duobus casibus videtur licitum duellum ex Azor., Sanch., & aliis apud Bonac., Primo ad sedandos dnos exercitus contrarios; licet enim duello aliquorum pugnam dirimere, dummodo sic duellum finiatur; nam in tali casu vitarentur mortes plurimorum. Secundo licitum est, quando aliquis compellitur illud acceptare, nec potest sine vita pericolo fugere acceptationem; tunc enim esset justa defensio propriæ vita; Imo etiam ad defendendas res familiares licitum est illud acceptare, si alia via non suppetat ad illas defendandas.

IV. At acceptare, ne timiditatis nota incurritur, est prorsus illicitum; proscripta quippe est ab Alex. VII. prop. 2. dicens: *Vir equestris ad duelum provocatus posset illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrit;* In cuius expositione plurima huc spectantia diximus in Trutina.

V. Quaritur secundo; Quisnam possit absolvere ab excommunicatione ob duellum contracta?

Respondeo, Eminentissimo de Lugo in Respons. Moral., lib. 2. dub. 2. probabile visum fuisse, prater Papam, posse ab ea absolvere etiam Mendicantes privilegiatos, excepta dumtaxat excommunicatione contra-cta a provocantibus, & pugnantibus;

cum hac ex decreto Clem. VIII. intra Italianam extra Urbem a Regularibus absolvii non possit; unde tam provocantes pugna non secuta, quam consilentes, Patrini, & alii videntur posse ab illis absolvii. Et ratio ex eodem Lugo est, quia Clem. VIII. reservavit duellum juxta decretum Trident., & Gregor. XIII., qui excommunicaverant provocantes secuta pugna; dicunt enim, *Qui Monachiam commiserint;* quare provocantes pugna non secuta, consilentes, Patrini, &c. videntur posse a Mendicantibus absolvii; non secus ac poterant ante decretum Clem. VIII. Sed dicendum cum Bonac. disput. 6. de Censuris pun. 2. quod isti omnes a Regularibus privilegiatis absolvii non possint; quia Clemens VII. reservavit casum provocantium, & pugnantium in duello juxta decretum Sacri Concilii Tridentini, & Constitutionem Greg. XIII. Cum autem a Tridentino, & a Greg. XIII. illi omnes subjaceant excommunicationi, sequitur quod illi omnes intra Italianam extra Urbem a Regularibus privilegiariis absolvii non possint.

Potest tamen Episcopus ab hac excommunicatione absolvere, quando casus est occultus, ex privilegio Trident. sess. 24. cap. 6., quod non est ei reservatum, juxta ea, quæ diximus art. super. num. 10. cum de percussione Clericorum: Et hac de causa probabilitate possunt etiam Mendicantes privilegiati absolvere provocantes, & pugnantes, quando casus est occultus, ut ibidem diximus, contra non-nullos apud Dian. part. 9. tract. 4. resol. 65. Demum possunt Episcopi in casu impedimenti, ut pariter ibidem ostendimus.

QUÆ

## Q U A E S T I O VI.

## De Suspensione, Depositione, &amp; Degradatione.

**A**gendum primo de natura, & multiplicitate Suspensionis. Secundo inquirendum, a quoniam possit ferri Suspensionis, & erga Quos? Tertio, Quam ob causam? Quarto, de ejus effectibus, ac violatione. Quinto, de ejusdem absolutione, & cessatione. Sexto, de Depositione, & Degradatione.

## ARTICULUS I.

Quid, & Quotuplex sit Suspensionis?

- I. *Suspensionis est censura, per quam Clericus privatur usu officii, aut Beneficii. Abbatissa ab officio suspendi potest; ea tamen Suspensionis non est censura; Nec censuram incurrit is, cui Confessarius, vel Abbatissa prohibet, ne celebret.*
- II. *Multifariam Suspensionis dividitur, & subdividitur.*
- III. *Suspensus ab officio non est eatenus a Beneficio suspensus; nec e converso. Num possit Suspensus, aut excommunicatus percipere fructus Beneficii, si iis indigeat?*
- IV. *Si Beneficiarius sit suspensus, cunnam applicentur Beneficii fructus? Et num privetur jure eligendi?*
- V. *Suspensus ab ordine exercere potest actus jurisdictionis, & viceversa. Num autem Suspensus ab Ordine inferiore potest exercere actus Ordinis Superioris?*
- VI. *Suspensus ab Officio Sacramenta potest recipere; quamvis ea administrare non possit.*
- VII. *Quomodo Suspensionis differat ab Excommunicatione, ab Interdictione, & ab Irregularitate?*

- I. **Q**uæritur primo; Quid veniat nomine Suspensionis?  
Respondeo, Suspensionem in jure

Canonico significare cuiuslibet officii, vel actionis privationem; ut constat ex Clement. Capientes, & ex Trident. sess. 22. cap. 10. Et juxta hanc latior rem significationem etiam Abbatissæ, & Priorissæ ab officio suspendi possunt: Suspensionis tamen pressæ dictæ definitur, quod sit Censura Ecclesiastica, per quam Clericus privatur usu Ecclesiasticae potestatis sibi convenientis, aut ratione officii, aut ratione beneficij, aut viriusque simul. Brevius definitur, quod sit Censura, per quam Clericus privatur usu officii, aut Beneficij. Dicitur Censura, ut constet, eum, cui Confessarius, aut Abbatissa, qui censuras ferre non possunt, interdixerunt, ne celebret, non esse revera Suspensionis; unde nec irregularitatem incurret, si celebret; Et idem dicas de eo, cui illicitum est celebrare propter peccatum mortale, quod habet; Istorum enim suspensionis, cum non sit censura, est penalis; suspensionis vero propria dicta, qua est censura, non est penal, sed medicinalis. Dicitur deinde, Per quam Clericus, ut constet, hujusmodi censuram in laicis non habere locum. Henr. lib. 13. cap. 31. putat, etiam Abbatissam posse incurrire censuram, suspensionis ab officio; quia quamvis non sit Clericus, etiam regularis, & quasi persona Ecclesiastica capax officii spiritualis, & cuiusdam jurisdictionis, saltem ex commissione, ut docent Sylvest., & Laym. lib.

lib. I. tract. 5. part. I. cap. 3.; quatenus scilicet potest Pontifex, vel Episcopus, vel Provincialis Ordinis, sub quo vivunt, committere Abbatissæ quemdam usum jurisdictionis, Verbi gratia, dispensando Monialibus in lege jejunii. Communius tamen negant, posse Abbatissam stricte suspendi ab officio; quia talis jurisdiction ex commissione, quæ competit Abbatissæ, competere etiam potest Laicis. Dicitur demum, quod per suspensio-nem Clericus privatur usi officii, aut beneficij, ut constet, suspensionem non tollere officium, aut beneficium; non tollit enim neque ordinem, neque jurisdictionem, neque jus beneficij Ecclesiastici, sed solum prohibet eorum usum, seu exercitium.

## II. Quaritur secundo; Quotuplex sit Suspensio?

Respondeo, dividi primo in eam, quæ est solum ab officio, aut solum a Beneficio, quæ sunt suspensiones partiales; & eam, quæ est ab utroque, quæ dicitur suspensio totalis: Etenim cum in personis Ecclesiasticis hæc duo tantum reperiantur, officium, & beneficium, suspensio debet usum vel alterutrius, vel utriusque prohibere.

Nomine autem officii, ut advertit Suar., intelligitur omnis potestas spiritualis, sive sit Ordinis, sive Jurisdictionis, sive Ecclesiasticae administrationis. Nomine vero Beneficii intelligitur jus perpetuum ad Ecclesiasticos fructus, seu proventus ob spiritualem aliquem titulum percipiendos. Quando autem absolute imponitur in jure Suspensio, intelligitur suspensio ab utroque, scilicet ab officio, & beneficio; ut docent communiter Doctores apud Suar., & Hurt. contra Felin., & Burgent., qui docent, intelligendum esse tantum de suspensione ab officio. Ratio communis sententia est manifesta, quia non est major

ratio de uno, quam de alio; ergo ab utroque suspendi debet; nisi ex contextu habeatur limitatio ad unum tantum. Si tamen imponatur in jure Suspensio sententia ferenda, relinquitur arbitrio judicis, num debeat suspendere ab alterutro, an ab utroque, ut iidem Doctores docent.

Subdividitur deinde Suspensio partialis in plures alias partiales prævaricatae officiorum, & beneficiorum; nam aliquando Episcopus in jure suspenditur tantum a consecratione alterius Episcopi, aliquando a collatione presbyteratus, aliquando a collatione solius primæ tonsuræ, aliquando simpliciter ab Ordine. Eodem modo alii Clerici aliquando suspenduntur tantum ab officio Sacerdotali simpliciter, aliquando a sola celebratione Missæ, vel a munere audiendi confessiones &c. Idem dicas de suspensiōne a jurisdictione; necnon de suspensiōne a beneficio. Interdum enim fertur suspensio tantum a quotidianis distributionibus, vel a dimidia parte fructuum; idque vel ad tempus, vel in perpetuum.

III. Infertur ex dictis primo, Suspensum ab officio non esse eatenus suspensum a beneficio; etenim si horas canonicas recitet, & per Vicarium satisfaciat muneribus sui officii, potest licite fructus beneficij percipere: Quamvis, ut notat Sanch., si suspensio ab officio ob delictum grave perpetuo duratura sit, privari debet Beneficiatus suo beneficio. Eodem modo suspensus a beneficio non est eatenus ab officio suspensus: Quare hic privatur tantum perceptione fructuum, & administratione temporali sui beneficij, ac proinde constitutus est ei Æconomus; nam si ille se ingerat interdictæ administrationi beneficij, ipso jure eo privatur, ex cap. Cupientes, de electione, in 6., ut communiter docent cum Sayr. & Laym.

ym. Si tamen suspensus a beneficio, necnon excommunicatus sit in indigentia, nec per ipsum stet, quomodo liberetur a censura, potest percipere fructus beneficii, qui ad se, & suos alendos necessarii sunt, ex Navar., Con., & aliis apud Laym. hic cap. 1. Imo potest omnes fructus sui beneficii percipere, si non sint copiosissimi, sed correspondentes labori, quem serviendo beneficio impedit; quia habent rationem stipendi, non fructus; ut docet Avil. apud Laym.

IV. Dubium est; Cuinam applicandi sint fructus beneficii, quando Beneficiatus est suspensus?

Respondeo cum Bonac. hic punct. 2., applicandos esse in utilitatem Ecclesie; distributiones vero suspensandas esse aliis Clericis, qui Choro intersunt, ex cap. *Si quis* 17., *quest.* 4. Idem dicendum ex Suar. de fructibus pensionis collatae titulo Clericali, ac de fructibus beneficii; quia talis penso nihil aliud est, quam ius percipiendi fructus ex bonis beneficii: Quicquid alii sentiant in contrarium.

Notandum tamen cum eodem Bonac., Suar. Con., quod suspensus a beneficio non privetur distributionibus, quæ non dantur intuitu beneficii, ut sunt Anniversaria, vel stipendia mislarum.

Dubium est secundo; An suspensus a beneficio amittat jus conferendi, aut eligendi, quod ipsi ratione beneficii competit?

Respondeo cum Suar. disp. 27., Con., Laym. contra Sayr., Navar., Henr., probabilius esse, quod non amittat; quia collatio, & electio non numerantur inter fructus beneficii, quorum perceptio suspenso interdictitur, sed potius sunt actus officii, & quasi jurisdictionis competentis Beneficiato ratione beneficii: Adde, quod quando in jure aliquis suspenditur a

beneficio, & a jure eligendi, id ipsum exprimitur, ut in cap. *Cum in cunctis ultimis, de electione.* ergo nisi exprimatur in Canone, tale jus non amittitur.

V. Infertur ulterius, quod suspensus ab Ordine possit exercere omnes actus jurisdictionis, qui actualem usum Ordinis non requirunt: Exempli gratia, potest Episcopus suspensus ab Ordine delegare alteri potestatem solvendi; quamvis ipse audire confessiones, seu absolvere non possit. Et converso suspensus a jurisdictione potest exercere actus ordinis, & officii sui spiritualis, qui jurisdictionem non requirunt; Verbi gratia, potest sacrificare, & officium custodis, & administratoris Ecclesiastici exercere; Non potest tamen absolvere; cum absolutio jurisdictionem requirat: Et propter eandem rationem non potest Parochus ita suspensus ministrare Oribus suis Sacraenta tanquam Pastor ordinarius; nec Episcopus subditis suis Ordines conferre, aut alteri licentiam dare conferendi Ordines.

Dubium hic est; An suspensus ab Ordine inferiore (puta Episcopus ab Ordine Sacerdotali) possit exercere actus Ordinis superioris, puta Episcopalis, qui absque exercitio Ordinis Sacerdotalis qua talis exerceri possunt?

Respondeo, negare plerosque apud Suar. disp. 64. sest. 4.; quia cui non licet, quod minus, est non debet licere, quod est majus. *Arg. Leg. Legatorum* §. ultimo ff. *de Interdictis.* Verum idem Suar., Con. Sà, & alii apud Laym. probabilius docent, regulam istam, quod non liceat majus ei, cui non licet minus, intelligendam esse, quando majus, & minus inter se connectuntur. Quare Sacerdos suspensus ab officio Diaconi non potest celebrare, quia sic euangelium legit, quod est proprium Diaconi; Potest

est tamen confessiones audire, solemniter baptizare, &c., quia hæc ab officio Diaconi separantur, & sunt in diverso genere: Quamvis autem ea exercere non deceat, si tamen exerceat, non sit irregularis. Addit Laym., posse aliquando prohiberi quod minus est, non prohibito quod est majus; præsertim si in usu minoris, non majoris sit commissum aliquid delictum; in quo casu licitum est exercere quod majus est, non quod minus: Exempli gratia, Si Episcopus suspendatur a collatione Ordinum minorum, liceat confert majores, ex Suar., Avil., Con., & aliis.

VI. Infertur tertio, suspensum ab officio posse quidem Sacraenta recipere, non tamen administrare; quia solum administrando Sacraenta exercet officium, & jurisdictionem contra prohibitionem, ut notat Bonac.

num. 15.  
Dividitur demum Suspensio in eam, quæ est a jure, & quæ ab homine. Rursus in Temporalem, & Perpetuam; Illa est cum limitatione temporis, verbi gratia per triennium, donec reus satisfaciat; hæc vero sine temporis limitatione. Differt tamen a Depositione & Degradatione, quia per has inducitur universalis privatio officii, & beneficii sine spe reconciliationis, & cum certa solemní cæmonia, non vero per suspensionem, ut communiter Doctores.

VII. Ex dictis patet, quomodo suspensio etiam ab Irregularitate, necnon aliis censuris differat; Nam Irregularitas privat susceptione Ordinis, ejusque usu; Suspensio vero privat tantum usu non solum Ordinis, sed etiam beneficii, & cuiusvis Ecclesiasticae potestatis. Differt præterea ab Excommunicatione minore, quia hæc privat solum perceptione passiva Sacramentorum; Suspensio vero privat perceptione activa pertinente

Pars VIII.

ad Ordines, aliosque habet effectus: Differt etiam ab Excommunicatione majore; tum quia hæc plures alios habet effectus præter effectus suspensionis; tum etiam, quia Excommunicatione major privat actionibus, quatenus sunt quedam communicatio cum fidelibus; at Suspensione privat iis, quatenus sunt quedam functio officii, vel beneficii. Quibus adde, Episcopum non posse ferre excommunicationem dimidiate, seu relate ad hoc tahtum, non illos effectus. Verbi gratia privando excommunicatum Ecclesiæ suffragiis tantum, & non communicatione fidelium; quia effectus excommunicationis sunt a jure determinati; unde non possunt coartari ab Episcopo, cum non possit hic dispensare in jure communio: Contra vero potest Episcopus suspendere dimidiate, videlicet ab officio, non a beneficio; ut constat ex usu, & juris permissione.

Ex quo sequitur, quod possit Episcopus suspendere effectus aliquos suspensionis, non vero excommunicationis; ut usu etiam receptum est.

Demum differt suspensio ab Interdicto, quia suspensio non inducit privationem tot rerum, sicuti Interdictum; hoc enim privat participatio omnium divinorum officiorum; illa vero privat tantum usu potestatis Ecclesiasticae.

## ARTICULUS II.

A quo ferri possit Suspensio, &  
Erga quos?

- I. Qui potest excommunicare, potest etiam ferre Suspensionem, & e converso. At non eatus juxta usum Ecclesia ferre poterit Interdictum.
- II. Clerici dumtaxat possunt hac censura irretiri. Suspensio generaliter lata contra Clericos non comprehen-

S dit

dit Episcopos ; & probabilius nec religiosos : Imperatores , & Reges solum improprie suspendi possunt , quatenus possunt ex concessione Apostolicae Sedis Rectores Ecclesiæ nominare .

III. Poteſt tota Clericorum communitas ſuspendi , puta totum Capitulum , tanquam persona ficta ; ac trifariam poteſt communitas iſphac ſuspendi , videlicet tum relate ad functiones proprias communitatris , tum ad functiones proprias angularum , tum relate ad utrasque .

I. Quæritur primo ; Quinam poſit ferre suspensionem ?

Respondeo ex Navar. , Sylvestr. , & aliis communiter apud Laym. , Suspensionem ferri poſſe ab eo , qui poteſt excommunicare ; Sicuti viceversa poteſt excommunicare , qui poteſt ſuspendere . Enumeravimus autem quæſt. 1. art. 2. eos omnes , qui excommunicare poſſunt , atque adeo ſpendere . Et quamvis iidem poſſint etiam ferre Interdictum tam personale , quam locale ; dicemus tamen quæſt. ſequenti , non eſſe in uſu , nec expedire , ut Prælati Ordinum , qui poſſunt excommunicare , & ſpendere , pariter Interdictum locale ferant ; Niſi tales ſint , ut etiam in plebeum jurisdictionem habeant , ex Suar. diſp. 37. ſc̄t. 1. , & Laym. Imo in aliquibus religionibus prohibitum etiam eſt Prælati immediatis , ſeu localibus excommunicare , & ſpendere . Parochum vero ferre non poſſe censuram illam , diximus loc. laud. cum communi contra Archidiacon. , quia jurisdictionem in foro externo non habet .

II. Quæritur ſecundo ; Quinam poſſint censura suspensionis ligari ?

Respondeo , præter ea , quæ diximus de Censuris in genere , omnes , & ſolos Clericos poſſe illam incurre-

re ; quamvis Henr. putet , etiam Abbatissam ſuspendi poſſe . Illud hic no-tandum ; In generali statuto , vel ſententia Suspensionis , vel Interdicti ex ſpeciali privilegio non comprehendendi Episcopos ( etiam electos , & conſimilatos ante confeſcationem , ut notat Suar. ) niſi eorum expreſſa mentio fit . Immo advertit Laym. ex Henr. tale privilegium competere cum Cardinalibus ob prætantiorem uorum dignitatem , neconon Imperatoribus , & Regibus , qui & ipli poſſunt ſuspendi , licet improprie , quatenus Ecclesiastica jura ex Apostolice Sedis confeſſione participant , ut Ecclesiærum Rectores nominare , & preſentare poſſint .

Dubiuni tamen eſt ; An ſub ſu-penſione generaliter lata contra omnes Clericos comprehendendantur Religiosi Suar. cum Pal. punct. 2. putat comprehendere faltem religiosos primatū ſura initiatos , qui vere Clerici ſunt ; Alii tamen cum Pal. negant , & i-dei docent de Interdicto ; quia nomine Clerici ſolum in favorabilibus in-telliguntur etiam religiosi , non in pe-nalibus , quamvis etiam religiosi ſint Clerici ; ſiquidem diversis legibus , & conſtitutionibus reguntur .

III. Quæritur tertio ; Poſſitne com-munitas Clericorum tota ſuspendi ? Verbi gratia , totum Capitulum , aut Collegium .

Reſpondeo ex dictis de Censuris in genere affirmative , ut conſtat ex cap. Qui ſape , de election. in 6. Quare quo-ties in ſtatuto , aut ſententia dicitur . Quicumque id fecerit , ſit ſuspensus , comprehenditur etiam Capitulum , tanquam persona ficta , ut notat Laym. Verum Suspensione lata in Capitulum , ſi nihil aliud exprimatur , aut ex ad-junctis colligatur , ligat tantum corpus Capituli , quatenus hæc vox , Capitu-lum , collectionem ſignificat , non ve-ro personas ſingulares , ut mox expli-cabi-

cabimus distinguendo triplicem modum, quo possit Communitas suspendi.

## ARTICULUS III.

Quam ob causam ferri possit Suspenso?

I. *Suspenso partialis potest venialem culpam presupponere: At totalis mortalem.*

II. *Totalis suspenso ob culpam alienam non incurrit: Nequit proinde propter delictum aliquorum tota communitas suspensi relate ad functiones proprias singulorum.*

III. *Potest Communitas suspensi solum relate ad functiones, que ad corpus Communitatis spectant.*

IV. *Cur possit Communitas interdici, ita ut etiam innocentes ea censura ligentur; non vero similiter suspensi?*

V. *Ob delictum prateritum suspenso ferri potest tanquam pena vindicativa, non vero tanquam censura, & pena medicinalis. Suspenso illa non requirit praviam monitionem, potestque oretenus imponi, eisque violator per exercitium Ordinis Sacri non incurrit irregularitatem; Secus vero suspenso, que sit Censura.*

I. PLura diximus huc spectantia quæst. i. art. 4. Quare nunc breviter inquirimus; An Suspenso ferri possit ob culpam venialem, aut alienam, aut præteritam?

Quæritur primo; An pro veniali culpa possit censura Suspensionis infligi?

Respondeo cum Laym. hic, Avil., Suar. disp. 24. sect. 4., & aliis communiter contra Cajet. & Navar. apud Con., Suspensionem absolute dictam infligi non posse, nisi ob culpam mor-

talem; Cum enim sit gravis pœna, debet gravem culpam presupponere: Suspenso vero partialis, quando est pœna levis, (ut est Suspenso ab uno electionis actu, a lucrandis una, vel altera vice distributionibus, &c.) potest propter venialem culpam infligi. Ostendimus autem cum de Censuris in genere, pœnam suspensionis totalis esse longe graviorem, quam sit excommunicatio minor; & ideo hæc tantum, non illa infligi potest pro veniali culpa.

II. Quæritur secundo; An possit quis suspensi propter culpam alienam?

Respondeo, certum omnino esse, quod possit aliquando tota aliqua Communitas suspensi propter culpam unius dumtaxat, verbi gratia, Prælati, ut diximus cum de Censuris in genere, & constat ex cap. Si Sententia, de Excommunicat. in 6. Et eodem modo potest aliqua Communitas interdici propter culpam aliquorum; in quo casu etiam innocentes videntur ligari suspensione, & interdicto propter culpam alienam: Non enim videtur absurdum ex Suar. & Hurt. diff. 9., quod innocentes, in quantum membra Communitatis sunt, per accidens participant pœnam Communitatis.

Dico tamen cum Sà V. Suspenso, Laym. cap. 3., Con. dub. 3., & aliis, censuram Suspensionis totalis proprie dictæ, quæ scilicet sit suspensi ab omnibus functionibus Ecclesiasticis, non incurri, nisi ob culpam propriam. Ratio est, quia suspensi est gravis pœna, ut diximus, quippe quæ admit usum omnem Ecclesiasticae potestatis; gravis autem pœna requirit culpam in eo, qui punitur, Argumento cap. 2., de constitution. ubi dicitur: *Rem, quæ culpa caret, in damnum vocare non convenit*; ergo non potest quis sine propria culpa suspensi:

S 2      Et

Et ideo quando quis propter senectutem, vel lepram suspenditur a celebratione missæ, talis suspensio non est censura, nec incurreret irregularitatem, qui sic suspensus celebraret.

Sciendum tamen, Communitatem aliquam tripliciter posse suspendi. Primo, ut suspensio afficiat corpus Communitatis secundum functiones proprias illius, non vero secundum functiones proprias singulorum. Secundo, ita ut suspendantur singulæ Personæ secundum functiones proprias ipsarum, non vero secundum functiones proprias Communitatis. Tertio, ita ut utroque modo suspendatur. Et ratio est, quia Communitas hoc triplici modo peccare potest. Hoc positio; quamvis possit primo modo suspendi Communitas propter peccatum aliorum, immo & solius Prælati; (quod tamen Sà loc. cit., & Laym. etiam negant) in quo casu etiam innocentes participant pœnam Communitatis; cum non possint exercere functiones convenientes Communitati, cujus sunt membra; sicuti filius per accidens punitur infamia patris peccantis: nihilominus propter peccatum aliorum non potest suspendi tota Communitas secundo, aut tertio modo, ita ut etiam innocentes priventur functionibus, quæ illis ut particularibus personis convenientiunt; & ideo nemo proprie suspenditur propter culpam alienam in sensu explicato, ita ut scilicet privetur non solum functionibus Ecclesiasticis, quæ sunt propriæ Communitatis, sed etiam iis, quæ propriæ sunt personæ particularis.

III. Neque dicas primo; prohibitum est excommunicare totam Communitatem, ne propter culpam aliorum etiam innocentes excommunicentur; non est tamen prohibitum suspendere totam Communitatem; ergo signum est, posse etiam

innocentes propter aliorum culpm suspendi.

Nam respondeo, posse Communitatem suspendi primo modo propter peccatum aliorum; in quo casu innocentes suspenduntur tantum relate ad functiones proprias Communitatis, non vero relate ad proprias singulorum: Non posse tamen Communitatem secundo, & tertio modo suspendi, nisi propter peccatum singulorum; ergo semper stat, quod suspensio proprie dicta, quæ sit suspensio totalis, & omnium functionum, tam quæ sint Communitariani, quam quæ propriæ singulorum, insig- non potest propter culpm alienam.

IV. Neque dicas secundo; Possum interdicti innocentes alicuius Communitatis propter culpm non propriam; ergo etiam suspendi.

Nam concessio antecedente, nego consequentiam. Disparitas ex Con- est, quia per interdictum innocentes proprie non puniuntur, sicut nec per cælestationem a divinis; sed Ecclesia ex justa causa denegat illis certa sua officia, & Clericis prohibet, ne ea ipsis impendant, quod non habet rationem pœnae, sed solum parentiam boni indebiti: Contra tamen per suspensionem, & excommunicationem habetur privatio bonorum, quæ jam possidentur, quod est pœnale.

V. Quarætur tertio; An possit suspen- sio ferri ob delictum mere præteritum?

Respondeo cum Laym., & aliis communiter, Suspensionem, quæ sit pœna vindicativa, posse ob delictum mere præteritum ferri, non vero suspen- sionem, quæ sit censura, & pena medicinalis; Hæc enim Judicis canonica monitionem, & contumaciam delinquentis requirit, ut explicavimus cum de censuris in genere art. 4. queſtit. 3. Quare potest quis nulla præcedente comminatio ne sus- pen-

## ARTICULUS IV.

De Suspensionis Effectibus, ejusque  
Violatione.

- I. *Suspensus a beneficio solum privatur ejus fructibus; & probabiliter non redditur incapax alterius beneficii.* Universim *Suspensus privatur usus Ecclesiasticae potestatis.*
- II. *Violans suspensionem graviter peccat, nisi materia parvitas excusat.*
- III. *Suspensio ab ingressu Ecclesiae quid ferat? Et num ea contineatur sub censura Interdicti?*
- IV. *Non possumus sine gravi culpa cum suspensi nominatim denuntiatio communicare in iis artibus, a quibus est suspensus.*
- V. *Irregularitas non incurritur a violante suspensionem, nisi ea violeatur per exercitium Ordinis majoris. Et quinam dicantur actus Ordinis Sacri?*
- VI. *Actus jurisdictionis exerciti a Suspensi nominatim denunciato sunt invalidi.*

I. **C**ertum est, Suspensionis effectus esse dumtaxat Privationem usus Ecclesiasticae potestatis, seu officii, & beneficii, vel totaliter, vel partialiter, prout art. 1. explicavimus. Quare suspensio non privat beneficio jam habito, sed tantum ejus fructibus; ac proinde tenetur Beneficiarius suspensus & officium recitare, & reliquis oneribus beneficii satisfacere; cum suspensio puniat, non relevet. Utrum autem suspensus reddatur inhabilis ad novum beneficium suscipiendum? Communius affirmant; sed probabilius negatur a Suar. disp. 27. fe&. 1., Pal., Laym., Con.; quia beneficij collationem Suspensi ipso jure irritari ex nullo textu colligitur,

ct-

etiamsi verum sit, quod per Judicem irritari possit.

II. Quæritur nunc primo; An violans suspensionem graviter peccet?

Respondeo cum communī apud Suar. disp. 27. sect. 2., quod Suspensus ex suo genere mortaliter peccet exercendo actum, a quo est suspensus; quandoquidem violat præceptum Ecclesiasticum in re gravi; Aliquando tamen parvitas materiæ excusat a mortali; ut si quis suspensus ab ingressu Ecclesiæ parvo tempore in ea commoretur, dum recitantur divina officia; aut si suspensus ab Ordine aliquod exercitium Ordinum minorum præstet.

III. Rogabis hic; Quid significet aliquem esse suspensum ab ingressu Ecclesiæ?

Respondeo cum communī apud Escob., significare, quod prohibetur illi celebrare in Ecclesiæ, divinis officiis intercessione, & in ea sepeliri, nisi prius dederit signa pœnitentia, & fuerit absolutus: Non prohibetur tamen in Ecclesiæ orare, & Sacra menta recipere, nec jurisdictionem exercere; Immo licitum est sic suspenso celebrare extra Ecclesiæ, hoc est in loco non designato per Episcopum in perpetuum ad celebrandum, puta in Oratoriis privatis, ut docent Escob., & Laym. de Interdicto cap. 1. Notandum tamen, aliquos cum Suar. docere, quod prohibitio ab ingressu Ecclesiæ contineatur sub censura Interdicti; Communior tamen sententia cum Sà docet esse speciem suspensionis; quod tamen examinabimus, cum de Interdicto art. 2.

IV. Quæritur secundo; An peccet graviter, qui cooperatur, & communicat cum suspenso in iis actibus, a quibus est suspensus?

Respondeo cum communī affirmative, si suspensus sit denunciatus; se cùs vero si non sit denunciatus; Nam

a Concil. Constantiensi, & a Martin. V. in Extravag. *Ad vitanda* conceditur facultas communicandi tam cum excommunicatis, quam etiam cum suspensis nondum denunciatis; unde possumus licite petere administrati onem Sacramenti ab Excommunicato tolerato, necnon a suspenso ab officio, si non sit denunciatus; & hic potest Sacra menta licite administrare penitenti, modo cum debita dispositione ad ministret; Quamvis non possit ipse non rogatus se ingerere, ut fuse di ximus, cum de excommunicatione art. 2. cum Pal., & aliis contra Avil, Sylvest. Non possumus tamen ab eodem petere sine ulla necessitate, ut celebret; quandoquidem sine culpa celebrare non potest, antequam absolvatur sacramentaliter a mortalibus, & consequenter antequam absolvatur a censuris, ut ibidem etiam notavimus.

V. Quæritur tertio; An violans suspensionem irregularitatem incurrat?

Respondeo, non incurri irregularitatem per quacumque violationem sus pensionis; sed solum incurri a violante suspensionem, aut aliam censuram per exercitium Ordinis Sacri, seu majoris; Quare fit irregularis, qui suspensus ab Ordine missam celebrat, sacramentaliter absolvit, baptizat solemniter, Ordines confert, &c., Epi lotlam, aut Eu angelium solemniter canit, ut habetur in cap. 1. de Sententia, & re judicata in 6., & in Extravag. Pii II. Cum ex Sacra mentorum: Econtra non incurrit irregularitatem, qui suspensus a jurisdictione illam exercet; cum hujusmodi irregularitas, seu pœna non sit in jure expressa; Nec qui suspensus ab Ordinibus minoribus actus illorum solemniter exercet; cum isti actus fieri possint etiam a laicis, ut docet Bonac. ex Sayr. contra Suar. & Filluc. Nec qui suspensus ab Ordinibus majoribus actus

actus illorum exercet non solemniter, verbi gratia, canendo Epistolam absque manipulo; tunc enim non censetur canere ex officio, ut communiter Doctores docent; Nec demum concionando etiam cum superpelliceo; quia hoc non est ita munus Diaconi, ut non possit a laicis exerceri de licentia Episcopi, ut communiter etiam Doctores contra Navar., & Valent.

Notandum tamen hic ex Bonac., Filliuc., Escob., & Suar. disp. 26. quest. 2., irregularitatem incurri non solum, quando per exercitium Ordinis majoris violatur suspensio perpetua, quæ est proprie censura, sed etiam quando violatur suspensio, quæ est pura pœna, & lata ad tempus determinatum; ut si dicatur, Sis suspensus, donec satisfasias, ex cap. 1. de re iudicata, & de sententia excommunicat. in 6. Ratio ex Suar. est, quia utraque suspensio privat sacro ministerio; & ideo per violationem utriusque irregularitas incurritur. Id tamen intelligendum de suspensione pœnali, quæ in scriptis per modum censuræ imponitur; non vero de præcepto oretenuis facto, ne quis celebret; etiamsi illi dicatur, Ego te suspendo a celebratione missæ. Notandum etiam, quod suspensus non denunciatus nominatim irregularitatem non incurrit, si ad petitionem fidelium exerceat actus Ordinis Sacri; tunc enim licite eos exercet, & ideo nullam pœnam incurrit.

¶ VI. Quæritur demum, Sintne validi actus jurisdictionis præstiti a Suspensi?

Respondeo, esse invalidos, nisi ad sit error communis, & titulus colo ratus, ut alias diximus, supplente tunc Ecclesia defectum jurisdictionis in bonum commune, ex leg. Barbarius. Ita Doct. communiter. Ubi duo nota nta sunt; Primum est, Ecclesiam

annullare ea tantum, quæ ab ipsa dependent; Quare suspensus valide celebrabit, cum consecratio non dependeat ab Ecclesia: Contra vero invalide sacramentaliter absolvet, quia ad absolutionem sacramentalem requiri tur, præter Ordinem, jurisdictione, quæ ab Ecclesia confertur, & suspenso denegatur; Secundum est, acta per suspensum a jurisdictione, non denunciatum nominatim, sicuti etiam acta per excommunicatum toleratum, else valida, prout annotavimus quest. 3. art. 5. Quinimmo sic suspensus, aut excommunicatus licite potest actus jurisdictionis exercere, si non se in gerat, sed rogetur: secus vero pec cabbit mortaliter.

## ARTICULUS V.

### De Absolutione, & Cessatione Suspensionis.

- I. Quando fertur suspensio duratura per mensem, intelligitur mensis, qui tunc temporis habitur. Quid si eo mense, aut anno incidat bissex tum?
- II. Suspensio lata per mensem non est censura. Suspensio vero lata, donec satisfeceris, est censura, sed satisfacta parte non indiget nova absolutione; secus vero juxta usum, si quis excommunicetur, donec satisfecerit.
- III. Quandonam possit Episcopus, & Privilegiarii absolvere a suspensione Papæ reservata?
- IV. Quis possit universim a Suspensione absolvere? Num possint Parochus, & simplex Confessorius absolvere a Suspensione non reservata, eo modo quo possunt ab excommunicacione non reservata.
- V. Suspensio, que sit pura pœna, est reservata insigenti illam. Num possit ab Episcopo relaxari post per-

a-

actam a Reo paenitentiam?  
VI. Quoniam sint suspensiones magis ob-  
via in jure late?

I. R Ecolenda hic sunt, quæ diximus de absolutione a censuris in genere.

Quæritur solum primo; Si primo die, verbi gratia, mensis Junii, suspenderatur quis per mensem, quandonam cessabit suspensio, post trigintane dies, an post integrum mensem Maii?

Respondeo cum Bonac. punct. 3., Suspensionem statim incipere eodem primo die Maii, quia quod dicitur in cap. I. de restitution. Spoliatorum, quod scilicet dies termini non computetur in termino, intelligitur de iis, quæ non trahunt statim executionem: quia vero censura secum trahit executionem, statim incurritur postquam est lata; Desinit autem trigesimo primo die talis mensis jam completo; quia nomine mensis venit ille, qui tunc labitur, sive habeat triginta, sive vigintiocto dies, ut docet Ugolin. cum aliis Doctoribus: Debet tamen ultimus dies esse completus, ex cap. Cupientes §. Caterum. Probabile tamen est, quod idem Bonac. docet cum communiori sententia, videlicet, quod qui per annum est suspensus, satisfaciat obligationi servando suspensionem per dies tercentum sexaginta quinque; Unde si annus est bissextile, & primo die Junii incidet in Suspensionem, liber ab ea sit die trigesimo Maii completo anni sequentis; quia in materia odiosa dies bissextile rejicitur, ex leg. Cum heres, de statu liberor. Unde sequitur, quod qui per mensem suspensus est die primo Februarii anni bissextile liber sit a suspensione die vigesimo octavo completo, ut docet Henr., Valsq. contra Bartol.

II. Quæritur secundo; Quando quis suspenditur per mensem, vel donec satisfaciat, cessatne suspensio sine ab-

solutione post mensem elapsum, vel satisfacta parte, an debet Suspensus absolviri, ut cesset Suspensio?

Respondeo, nos annotaste quæst. 2. art. 1. non esse rigorose censuram, quæ fertur per tempus determinatum, puta per mensem; quia censura cum sit poena medicinalis, debet reo corrieto per absolutionem cessare; potest autem reus corrigi serius, vel ocyus: Quare suspensio, quæ sic fertur, est poena vindicativa, & hoc post tempus determinatum elapsum statim sine alia absolutione cessat. At suspensio, quæ fertur, Donec satisficeris, est vere censura; satisfacta autem parte statim cessat sine nova absolutione; sicut potest etiam cessare excommunicatio: hæc autem quamvis sine nova absolutione cesset, non tamen cessat sine ulla absolutione, ut explicavimus loc. laud.; confertur quippe absolutio quando fertur Suspension, seu excommunicatione, at pro quanto parti satisfactum est.

Notandum tamen, quod plerumque illa verba, *Sis excommunicatus, donec satisficeris*, significant, quod excommunicatus non possit absolviri, nisi post satisfactionem, post quam sequi debeat absolutio: Econtra illa alia verba, *Sis suspensus donec satisficeris*, significare solent, quod post satisfactionem statim sine nova alia absolutione liber sis a suspensione. Ratio disparitatis ex Bonac. est ipse usus, & praxis recepta; Et quia Judices inferiores Pontifice maiorem facultatem videntur habere circa ferendam suspensionem, & Interdictum, quam circa excommunicationem; unde ad hanc tollendam videtur requiri nova absolutio.

III. Quæritur tertio; An Episcopi possint absolvere subditos suos a Suspensione reservata Papæ?

Respondeo, si ea proveniat ex delicto occulto, & non sit deducta ad fo-

forum contentiosum, Episcopos posse tam per se, quam per suos Vicarios ab ea absolvere, ex Trident. sessi 24. cap. 6.: secus vero non posse. Præter Episcopos possunt ali ex privilegio absolvere, seu dispensare in omni suspensione, sive a jure, sive generaliter lata ab homine; inter quos Patres Societ. a Superioribus deputati, qui possunt a tali censura absolvere, illamque relaxare, & dispensare; Siquidem, ut notat Suar. disp. 29. sect. 3., ipsa relaxatio dici etiam solet absolutio; unde tam censura suspensionis, quæ absolvitur, quam poena, quæ relaxatur, tolli solet eadem formula, dicendo: Absolvo te a vinculo suspensionis, quod incurristi propter tale crimen, & restituo te ad executionem tui muneris, ac ordinis, & ad beneficium tuum.

IV. Quæritur quarto; Quinam possit universim absolvere a suspensione? Respondeo, a Suspensione lata ab homine specialiter contra aliquem nominatum non potest absolvere, nisi qui eam tulit, vel ejus Successor, vel Superior, vel Delegatus; aliter perturbaretur Tribunal Judicis illam fermentis: Contra tamen a suspensione lata a jure, sive sit generalis, qua Communitas aliqua suspendatur, sive specialis, qua suspendantur particulares personæ, potest absolvere Ordinarius Suspensi, (vel ejus Vicarius) si non sit reservata, ut patet; si enim Ordinarius Suspensi non posset tollere Suspensionem non reservatam, frustra esset reservatio, quando additur Suspensioni.

Dubium est; An Parochus etiam, & simplex Confessarius, qui non habent in foro externo jurisdictionem, possint pariter ab ea absolvere?

Bona c. disp. 3. punct. 2. concedit; quia Superior statim ac absolutionem non reservat, videtur illam concede-re cuilibet Confessario: Additque id

*Pars VIII.*

verum esse non solum de excommunicatione, sed etiam de aliis censuris; Unde Suar., docet, posse simplicem Confessarium absolvere etiam ab interdicto personali speciali non reservato; quamvis non possit ab interdicto locali, aut generali personali, ad quod requiritur jurisdictione in foro ex-tero.

Communior tamen sententia, quamvis concedat, post Parochum, & simplicem Confessarium absolvere ab excommunicatione non reservata, negat tamen de Suspensione, & Interdicto, quia, ut notat Laym. hic cap. 4. ex Avil. 3. part. disp. 6., & Henr., Su-pensio, & Interdictum non impe-dient absolutionem a peccatis, sicut excommunicatio; & hac de causa Parochus, & simplices confessarii ha-bent a jure delegatam facultatem ad absolvendum ab excommunicatione non reservata, ut possint a peccatis absolvere; secus vero a Suspensione, & Interdicto. Notat tamen Laym., quod cui committitur facultas absolvendi a casibus Episcopali bus, dele-gatur pariter facultas absolvendi a sus-pensione non reservata; unde com-muniter Religiofi ex privilegiis suis possunt in foro conscientie ab omni suspensione non reservata absolvere, ut notat Busemb.

V. Quæritur ultimo; An dicenda sit reservata Suspensio, quæ fertur ut pura poena ad tempus determinatum, puta per triennium, aut quæ fertur in perpetuum?

Respondeo cum Laym. loc. cit., & aliis communiter affirmative: Quare E-piscopus non potest talem pœnam a jure latam relaxare, cum non possit inferior in lege Superioris dispensare, nisi in casibus specialiter conce-fsis.

Dubium dumtaxat est apud Docto-res; An quando fertur a jure Sus-pensio sine temporis determinatione,

T &

& sine expressione, quod in perpetuum duret, possit ab Episcopo absolvii post peractam a Reo pœnitentiam?

Negant Abb., & Navar., quia talis Suspensio habet rationem pœnae; pœna autem absolute lata censetur esse perpetua, & irremissibilis a Judice inferiore, ex leg. *Servus Cod. de penis*. Sed communius affirmant cum Laym., Avil. 3. part. disp. 6., Suan. disp. 29. sect. 1.; quia talis pœna videtur esse imposta, non ut vindicativa, sed ut medicinalis ad tollendam contumaciam; qua sublata possit consequi absolutio; sicut dicitur de omnibus censuris: Præsertim quia si auctor Suspensionis voluit illam perpetuam, & irremissibilem, id expressissimum, ut sape solet.

VI. Demum qui scire velit; Quænam sint Suspensiones juris communiores? consulat Bulemb. de Suspensi. dub. 2. Inter eas tamen notatu digna est primo suspensio contra Clericos recipientes Ordines Sacros ab alieno, vel a proprio in aliena Diœcœsi, vel sine ætate legitima, aut sine dimissoriis, vel titulo, aut extra tempora, non servatis interstitiis, vel per saltum, vel in censura; qui omnes ab executione Ordinum sunt suspensi. Secundo contra Sodomiam exercentes, simoniacos, provocantes ad duellum, vel acceptantes, contra raptores, vel præbentes ad id auxilium. Tertio contra Visitantes, si accipiant pecuniam, vel munera, usque dum restituant duplum. Quarto contra adherentes etiam in sermonibus, & scripturis privatis, quod Beatissima Virgo fuerit concepta in originali; & contra differentes in alterutram partem de conceptione Beatae Virginis in concione populari, ubi adeſt virorum, & mulierum multitudo, assérendo propriam sententiam rationibus, & auctoritatibus, & alteram re-

pellendo; Necnon qui præsumit de hac ipsa quæstione vulgari sermone scribere, vel dictare, ex Bulla Pii V. apud Bonac. hic punct. 5. §. 1. Quinto contra Episcopos, & Ordinantes non subditum, aut indignum, aut simoniace: Contra eosdem intrantes monasteria monialium sine necessitate; Contra admittentes resiguationem aduersus formam præscriptam; & contra delinquentes aduersus Clericorum immunitatem; Ac demum in eosdem Episcopos non visitantes limina Apostolorum tempore præscripto a Sixto V.

## ARTICULUS VI.

De Depositione, & Degradatione.

I. Quid importet Depositio, quid Degradatio? Per priorem privavit Clericus omni officio, ac beneficio, retento solum privilegio fori, & Canonis; Per posteriorem vero iam hoc privilegio cum quadam solemnitate privavit.

II. In quo differat Suspensio a Depositione, & Degradatione?

III. Degradatio verbalis confunditur cum Depositione; secus vero Realias.

IV. Plura gravia crimina trahunt Depositionem, & plura graviora Degradationem.

V. Depositio, & Degradatio Presbyteri spaltat ad Episcopum; Episcopi autem ad Pontificem. Degradatus a solo Pontifice potest in pristinum statum restituiri; Depositus vero aliquando etiam ab Episcopo.

I. **Q**Uæritur primo; Quid importat Depositio, ac Degradatio, & in quo differant a Suspensione?

Respondeo, Depositionem esse pœnam Ecclesiasticam, non medicinalem,

lēm, sed vindicativam, qua Clericus omni officio, vel beneficio in perpetuum privat, retento solo privilegio fori, & Canonis: Degradatio vero non solum privat omni officio, & beneficio, sed etiam privilegio fori, & Canonis cum quadam solemnitate; unde degradatus traditur brachio saeculari, ut puniatur tanquam laicus.

II. Differunt itaque Depositio, & Degradatio a suspensione, quod suspensio privat tantum usu officii, & fructibus beneficij cum spe absolutio- nis; illæ vero privant officio ipso, ac beneficio, seu titulo, & jure be- neficij, & consequenter ejus admini- stratione, & fructuum suspensione si- ne spe relaxationis.

III. Distinguunt aliqui Degradationem in Verbalem, & Realem, & dicunt, Verbalem confundi cum De- positione; Realem vero esse, quam diximus. Eaque fieri solet astantibus Abbatibus intulatis, idest habentibus jus mitrae, & baculi, atque assisten- tibus aliis in dignitate constitutis; & tunc inducitur ad conspectum Episco- pi degradandus gestans vestes, & va- sa sacra pertinentia ad Ordinem, a quo degradatur, atque ab Episcopo gradatim iis exiuitur, & privatur; ac tandem tondetur prolatis quibusdam verbis terrorem incutientibus. Ita Bo- nac. hic.

IV. Quæritur secundo; Ob quæ criminā ferri possit Depositio, & Degradatio?

Respondeo, criminā, quæ Deposi- tionem merentur, sunt adulterium,

stuprum, incestus, notorius concubi- natus, furtum, perjurium, homicid- ium etiam solo consilio patratum, simonia notoria, necnon alia crimi- na enormia, quæ trahunt irregulari- tam: Degradationem vero meren- tur homicidium qualificatum, puta parricidium, heres manifesta, fodomia saepius exercita, falsificatio li- terarum Apostolicarum, calumnia proprio Episcopo irrogata, & quod- vis crimen, in quo aliquis redditur incorrigibilis; necnon crimina valde Reipublica perniciosa. Ita communi- ter apud Laym. hic.

V. Quæritur demum; Quinam pos- sit ferre, & tollere Depositionem, & Degradationem?

Respondeo cum Bonac. hic, Depo- sitionem, & Degradationem presby- teri pertinere ad proprium Episco- pum, vel ejus Vicarium generalem post Trident. sess. 13. cap. 14.; Episco- pi vero Depositionem, & Degrada- tionem spectare ad Pontificem, sicut & Religiosorum exemptorum; nisi ex consuetudine, vel privilegio eorum Prælato talis potestas compe- tat. Degradatum vero in pristinum statum restituere solus Pontifex pot- est, ex cap. *Lapsis*; quamvis raro, aut nunquam id fiat. Depositum au- tem potest etiam Episcopus in pristi- num statum restituere, si crimina, ob quæ fuit depositus, leviora sint adulterio, ex cap. *At si Clerici, de ja- ducis*; quamvis non soleant Depositi ad Clerum restitui, ex cap. *Permitit*, dist. 50.

## Q U A E S T I O VII.

De Interdicto, & Cessatione a Divinis.

**Q**uæremus primo ; Quid, & Quotuplex sit Interdictum ? Secundo ; quiam ejus effectus ? Tertio , quam ob causam feratur ? A Quo , & erga Quos ? Quarto , de ejus violatione , ac de participatione cum personis interdictis . Quinto , de ejusdem ablatione ; Demum , de cessatione a Divinis , quæ Interdicto persimilis est .

## ARTICULUS I.

Quid , & Quotuplex sit Interdictum ?

I. Per hanc censuram prohibentur omnia divina Officia , nonnullorum Sacramentorum administratio , & Ecclesiastica sepulchra . In quo differat ab aliis censuris Interdictum ?

II. Interdictum aliud est Personale , aliud Locale ; & utrumque subdividitur in Generale , & Particulare ; necnon in latum ab homine , & latum a jure .

III. Personale Interdictum non trahit locale , nec e converso , nisi forte per accidens .

IV. Interdictum locale ab omnibus omnino servari debet ; esto possit Episcopus ferens hanc censuram etiam ad aliquos effectus illam suspendere , aut tollere .

V. Civitate interdicta intelliguntur etiam interdicta loca Religiosorum , Suburbia , & Aedificia coniumentia .

VI. Ex vi Interdicti personalis generalis quanam Persona obligentur , & quanam excipiantur ? Interdicto dumtaxat Clero , probabiliter non intelliguntur interdicta Persona religiosa .

I. **Q**uæritur primo ; Quid veniat nomine Interdicti ?

Respondeo , Interdictum esse Censuram Ecclesiasticam , qua prohibentur omnia divina officia , nonnullorum Sacramentorum administratio , & Ecclesiastica sepulchra . Ita communiter Doctores ; Unde fit , convenire Interdictum cum reliquis censuris in hoc , quod privet quibusdam bonis spiritualibus ; Differt tamen ab iis , quia Excommunicatio privat Sacramentis , necnon divinis officiis , &c. quatenus continent sacram communicationem cum fidelibus ; Suspensio privat spiritualibus bonis , quatenus proveniunt ex potestate clericali , quæ per censuram impedita est : at Interdictum privat iisdem , quatenus continent participationem quandam , & dispensationem rerum sacrarum , quas Ecclesia justis de causis prohibet etiam aliquando innocentibus .

H. Quæritur secundo ; Quotuplex sit Interdictum ?

Respondo , dividi primo in Personale , & Locale . Illud afficit immediate personam , prohibendo illi unicunque sit participationem praedictarum functionum sacrarum : Locale vero afficit immediate locum , prohibendo ne in eo Sacrae illæ functiones fiant ; Quando tamen tam locus , quam incola interdicuntur , tale Interdictum dicitur mixtum , complectens utrumque , Locale , & Personale .

Sub-

Subdividitur utrumque in Generale, & Particulare. Primo itaque Interdictum Personale generale respicit communitatem aliquam, puta Civitatem, familiam, Collegium, Clerum, Capitulum, exercitum, &c., in quantum sunt unum corpus politicum, & constringit etiam innocentes, nisi existimantur. Secundo Personale particolare, seu speciale respicit Personas particulares, vel nominatim, verbi gratia, Episcopum, Gubernatorem, &c., vel in genere interdicendo, verbi gratia, omnes, qui tale facinus commiserunt; in quo casu personæ particulares, quamvis ignotæ, interdicuntur, in quantum personæ particulares sunt, & non in quantum sunt membra corporis politici. Tertio Interdictum locale generale est, quo interdicitur locus, qui a pluribus habitationibus occupatur, ut Regnum, Provincia, Diœcesis, Civitas, Oppidum, necnon Parochia, quæ plures sub se Ecclesiæ habeat, aut Villa. Quarto Interdictum particulare locale respicit certum locum Sacrum, unum, vel plures, verbi gratia, Ecclesiam, aut Ecclesiæ parochiales; quo nomine comprehenduntur etiam Cappellæ, & Cemeteria contigua: Quemadmodum nomine Civitatis intelliguntur etiam suburbia, licet ad alterius jurisdictionem sive temporalem, seu Ecclesiasticam spectent, ut sunt Ecclesia regularium, & Equitum Sancti Joannis, ex cap. *Si Civitas, de sententia excommunicat.* in 6. tum quia, ut notant Laym., & Avil., accessorium sequitur conditionem principalis; tum quia alioqui parvifueret Interdictum, si populus posset divina peragere in suburbis: Et idem dicas ex Avil. de Ædificiis continentibus, seu propinquis Civitati, nisi a Civitate distent per aliquod milliare, ex Sylvest. Præterea Interdictum locale generale, & particulare illud etiam habent discrimen, quod

interdicta, verbi gratia, Civitate, neque intra, neque extra Civitatis Ecclesiæ licitum est divina celebrare: Contra vero interdicta, verbi gratia, una, aut omnibus Ecclesiæ Civitatis, licitum est extra tales Ecclesiæ in aliis Oratoriis ea celebrare.

Dividitur deinde Interdictum in Totale, & Partiale: Illud comprehendit omnes effectus Interdicti; hoc vero solum aliquos; ut si quis tantum interdicatur a Sacramentorum susceptione, vel ab ingressu Ecclesiæ, vel ab Ecclesiastica sepultura.

Dividitur tertio in Latum ab homine, & Latum a jure. Demum in latum tanquam censuram, seu ut poenam medicinalem ob contumaciam respectu Ecclesiæ præcipiens, & in latum ut puram poenam vindicativam peccati præteriti.

III. Dubium est primo; An posito Interdicto locali censeatur simul positum personale? Aut e converso positio Interdicto personali Communilitatis censeatur positum locale?

Respondeo negative cum communione apud Laym., & Hurt. diff. 3. Quare posito Interdicto locali etiam generali, verbi gratia, interdicta Civitate non sunt interdictæ persona Civitatis, nisi tantum illæ, ob quarum culpam positum est Interdictum locale, ex cap. *Si sententia, de sententia excommunicat.* in 6.; reliquæ vero possunt extra locum interdictum intresse Divinis. Eodem modo posito Interdicto personali generali non censeatur locus interdictus, ut communiter docent cum Con., Suar., Hurt. contra Covar., & Henr.; cum unum non trahat alterum. Quare interdicto populo alicujus Urbis, poslunt Clerici, qui non sunt interdicti, celebrare divina officia in Ecclesiæ, etiam januis apertis, & pulsatis campanis, ut possint confluere alienigenæ, qui non sunt cives, sed vel negotii, verbi gratia,

vel

vel studiorum causa ibi commorantur; Nisi aliquando per accidens id non liceat, quia scilicet interdicti non possunt aliter a templo excludi. Ubi adverte, quod interdicta aliqua communitate, si quis desinat esse membrum illius communitatis, verbi gratia, per mutationem domicilii, desinit esse interdictus, si causam illi sua culpa non dederit; sicut e contra, si quis fiat de novo membrum communitatis interdictæ, tunc incipit ligari Interdicto talis communitatis, ut notant Laym., & Ayil.

IV. Dubium est secundo; A quibusnam servari debeat Interdictum locale?

Respondeo, ab omnibus omnino, etiam ab Exteris, a Religiosis, ab Innocentibus, ab ipsomet ferente Interdictum; quia hæc non est prohibitio facta personis directe, sed est privatio divinorum officiorum loco imposita, & talis obligatio nascitur a jure communii, cui ferens Interdictum derogare non potest: Solum potest, qui Interdictum tulit, illud suspendere, vel tollere, aut simpliciter, aut ad aliquos effectus, & sic potest ipse divina officia celebrare.

V. Hic autem adverte, quod interdicta Civitate intelliguntur interdicta non solum loca Religiosorum, suburbia, & ædificia continentia, ut diximus; sed etiam Ecclesia Cathedralis, ut communiter docent contra Escob., Covar., & Henr., aliter enervaretur vis Interdicti: Sic Interdicta Diœcesi intelligitur Civitas interdicta, & interdicta aliqua Ecclesia intelliguntur interdicta ejus Cappellæ, & Cemeterium: Contra vero interdictis Capellis non intelligitur interdicta Ecclesia, & interdictis ab Ordinario omnibus Ecclesiis Civitatis per Interdictum speciale, non intelliguntur interdicta Ecclesiæ exemptæ Religiosorum; quia hæc ab Ordinario interdicti-

non possunt per Interdictum speciale, sed solum per generale.

VI. Dubium est tertio; Quinam obligentur per Interdictum personale generale?

Respondeo, interdicto populo, vel alia communitate, interdictas esse omnes personas talis communitatis, etiam innocentes, etiam habitantes in suburbis, (modo sui juris non sint, nec habeant honores, & onera distincta) etiam Marchiones, Duces, &c., si censeantur esse de tali populo.

Primo tamen excipiuntur Episcopi, si non fiat de iis expressa mentio, ex cap. *Qui periculosem, de sententia excommunicationis in 6.*

Secundo, Clerici, & a fortiori Regulares; quia nomine populi non veniunt Ecclesiastici; Notat tamen Bonac., quod si aliqua familia interdictatur, etiam Clerici illius familie sunt interdicti; quia tale Interdictum est speciale relate ad omnes personas talis familie.

Tertio, Infantes, & Amentes, quippe incapaces obligationis; quamvis non debeant sepeliri in loco Sacro, ut dicemus, cum hæc obligatio cadat in eos, qui sepeliunt.

Quarto, Exteri, qui studiorum, vel negotiorum causa ibi habitant, etiam si longo tempore; quia non censentur membra talis communitatis, iuxta fatus probabilem opinionem.

Quinto, qui per mutationem domicilii desinunt esse illius populi.

Sexto, qui habent duplex domicilium, alterum in loco interdicto, alterum in non interdicto; quando non habitant in loco interdicto, si non dederint causam Interdicto.

Septimo, qui tulit Interdictum; quamvis enim subjiciatur Interdicto locali, non tamen personali generali, cum non possit seipsum punire: Quod si Interdictum feratur in Clerum, probabiliter non comprehenduntur Religiosi,

giōsi, ut diximus quēst. super. art. 2. cum Pal. & Avil.; Nec comprehenduntur Clerici, qui solum habent privilegium Canonis, & non fori; cum hi reputentur seculares.

## ARTICULUS II.

## De Effectibus Interdicti.

- I. Nonnisi tres sunt effectus Interdicti, Privatio aliquorum Sacramentorum, omnium Divinorum, & Ecclesiasticae Sepulturae. Plura tamen in cap. Alma Mater permittuntur.
- II. Quanam Sacraenta vi Interdicti prohibeantur?
- III. Qui privilegio gaudet audiendi Missam tempore Interdicti, num die festo teneatur illam audire?
- IV. Quanam dicantur Divina officia tempore Interdicti verita?
- V. Quinam possit tempore Interdicti Divinis officiis, que permittuntur, interesse? Num infantes? Num Clerici conjugati? Num familiares eorum, qui privilegio gaudent?
- VI. Ecclesiastica sepulchra quibusnam, & quando per Interdictum prohibeatur?
- VII. Num possit Ecclesiastica sepulchra dari Interdicto, aut Suspenso ab ingressu Ecclesie? Et quid interest inter Suspensionem, & Interdictum ab ingressu Ecclesie?
- VIII. Interdictus nominatim denunciatus non privatur usu jurisdictionis in foro externo.
- IX. Num sit invalidum, an solum illicitum Sacramentum Pœnitentiae ab Interdicto administratum?

- I. **T**Res sunt, ut diximus, Interdicti effectus, Privatio aliquorum Sacramentorum, omnium officiorum Divinorum, & Ecclesiasticae sepulturae. Bonifacius VIII. jure nostro in cap. Alma Mater tria indulxit

tempore Interdicti, (videlicet localis generalis, ut patet ex contextu) quæ jure antiquo erant prohibita. Primum circa Sacramentum Pœnitentiae, quod possit ministrari omnibus, qui non dederunt causam culpabilem Interdicto; vel qui suo consilio, auxilio, aut favore non concurrerunt ad delictum, propter quod lata est sententia Interdicti; Iste tamen solum in articulo mortis permittitur Sacramentum Pœnitentiae. Secundum, quod possint celebrari missæ, & alia divina officia a Clericis in singulis Ecclesiis, (quo nomine ex Bonac. veniunt etiam hospitalia erecta auctoritate Episcopi, & Oratoria privata approbata ad missas in iis celebrandas) necnon in monasteriis; sed januis clausis, voce submissa, non pulsatis campanis, exclusis laicis non habentibus privilegium, exclusis etiam excommunicatis, ac interdictis, scilicet denunciatis, cum hostiantur excludere teneamus, ut notat Pal. Qui tamen si nolint exire, non proinde tenetur Sacerdos omittere Sacrum, ut putant Suar., & Laym., cum non sit eadem ratio de excommunicato, ac de interdicto denuntiatio. Tertium, quod in quatuor festivitatibus præcipuis anni, videlicet Natalis Domini, Pascha, Pentecostes, & Assumptionis Beatae Virginis, possint officia celebrari solemniter januis apertis, alta voce, pulsatis campanis, & interdictis admissis, dummodo altari non appropinquent, qui dederunt causam Interdicto, idest, ut exponit Suar. disp. 14. sect. 1., dummodo non communicent, nec ab iis oblationes accipiantur.

Hoc privilegium extendit Martinus V. ad festum Corporis Christi Domini; & Eugenius IV. ad totam ejus octavam; Et Leo X. extendit ad festum Conceptionis Beatae Virginis, & ad ejus octavam, ut notat Avil. part. 5. disp. 4. sect. 2. ex Sylvestr. Henr. cap.

cap. 47. num. 4. & alii. Porro festum Paschæ, & Pentecostes incipit a Missa Vigiliae, quia in earum Vigiliis missa fit de ipsis festivitatibus per anticipationem: Alia vero festa incipiunt a primis vesperis, & desinunt non in secundis vesperis, ut aliqui putant, sed in completorio festi, cum hoc pertineat ad celebritatem illius diei. Pal., Avil., Con., Hurt. putant, festum Nativitatis, Paschæ, & Pentecostes includere sequentes dies festivos; quamvis aliqui cum Glossa dicant durare primo tantum die. Præterea Gregorius IX. in cap. *Permittimus*, de *Sententia excommunicat.* in Interdicto locali, sive generali, sive speciali concedit Clericis, Pastoribus (id est Parochis, qui id aliis committere possunt) semel in hebdomada celebrare ad conficiendam Eucharistiam pro infirmis, servatis conditionibus præscriptis in dicto cap. *Alma Mater.* Permittitur etiam in cap. *Quod in te*, de *Pœnit.*, & *Remission.*, quod in Ecclesiis Collegiatis officium divinum a Clericis binis, vel ternis peragatur, non cantando, sed legendo sub iisdem conditionibus.

II. Quæritur nunc primo; Quænam Sacra menta prohibeantur per Interdictum?

Respondeo, prohiberi omnium Sacramentorum administrationem, & perceptionem, exceptis casibus in jure expressis, quos mox subjiciemus per currendo per singula Sacra menta.

Primo itaque excipitur Baptismus, qui omnibus ministrari potest cum solitis solemnitatibus; quamvis non a persona specialiter interdicta, nisi privatim in casu necessitatis.

Secundo excipitur Confirmatio, quæ baptismino est affinis, & illius quasi complementum: Quare omnibus pariter ministrari potest, & ideo potest confici Chrisma etiam in loco specialiter interdicto.

Tertio excipitur Sacramentum Matrimonii, quod in loco interdicto non solum a persona generaliter, sed etiam a specialiter interdicta celebrari potest, ut putant Pal., Hurt. contra Bonac., Ugolin., Sayr., & alios: Etenim matrimonium non cadit sub hac prohibitione, cum non sit res pure spiritualis; sed sit quidam humanus, & politicus contractus, cui ex institutione Christi Domini ratio Sacramenti est annexa; nullus autem contractus humanus tempore Interdicti prohibetur; Verum tamen est, quod notarunt Navar., & Sanch. contra nonnullos, benedictiones nuptiales tempore Interdicti non licere, nisi in festivitatibus, in quibus permittuntur divina officia.

Quarto, circa Extremam unctionem, certum est ex cap. *Quod in te* citato, neque recipi, neque ministrari posse in Interdicto sive locali, sive personali: Utrum autem Mendicantibus moribundis Extrema uncio conferri possit? Consuluntur eorum privilegia: Quando autem infirmus nullum aliud Sacramentum recipere posset, probabile est, posse hoc illi ministrari ex præsumpta Ecclesia voluntate, ut docent Laym., Pal., & alii.

Quinto, nullum Ordinis Sacramentum conferri, aut recipi potest in loco interdicto, aut Clericis etiam generaliter tantum interdictis: Prima autem tonsura cum non sit Sacramentum, sed sacramentale, prohibetur solum, in quantum per Interdictum prohibentur divina officia, ut dicemus quæst. sequenti.

Sexto, Sacramentum Pœnitentia conceditur, ut diximus, jure novo in cap. *Alma Mater*, omnibus, præterquam iis, qui causam dederunt Interdicto, excepto mortis articulo; immo istis neque in articulo mortis Sacramentum Pœnitentia, neque extra mortis articulum Confirmatio ministrata.

strari potest, nisi præstiterint prius satisfactionem: Quam si dare non posse, debent prius præstare cautionem pignoratitiam, aut fidei sufficiam, aut faltem juratoriam. Sacramentum autem Penitentia administrari potest a persona generaliter, non tamen a specialiter interdicta; cum huic quælibet administratio Sacramentorum prohibetur extra casum necessitatis: Quamvis si administretur, valide administretur, ut notarunt Bonac., Pal., & Filliuc.

Septimo, Eucharistia permittitur solum in articulo mortis cum solita solemnitate, & comitatu; non tamen specialiter interdictis, nisi cum conditionibus supradictis: Extra mortis verro articulum, ne innocentibus quidem generaliter interdictis permittitur Eucharistia suscepio; pro iis enim sola Missæ celebratio conceditur in cap. *Alma Mater*. Clericis tamen, & Religiosis communionem licere, etiam posito interdicto locali speciali, docet Escob. in summ. cap. 4. ex Tolet.

Præterea probabilius est, quod docent Suar. disp. 33. sect. 1., Pal. contra Bonac., & alios, quod hi, qui causam Interdicto non dederunt, nec sunt specialiter interdicti, possint Eucharistiam recipere in illis festivitatibus exceptis: Nam in cap. *Alma Mater* tantum excluduntur, qui causam Interdicto dederunt, & specialiter interdicti. Præterquamquod hoc privilegium administrandi in iis festivitatibus Eucharistiam habent sere omnes Religiosi ex suis privilegiis: Si quis tamen vellet oppositam sententiam sustinere, non teneretur præcepto communionis in Paschate; sicuti quia non permittitur Missa die festo tempore Interdicti, nemo tenetur ad illam audiendam.

III. Rogabis: An qui ex privilegio posset tempore Interdicti missam audire die festo, aut communicare in

*Pars VIII.*

Paschate, ad id teneretur?

Respondeat affirmative Bonac. hic punct. 4. cum Henr. contra Avil., & Con.; Sicut qui in carceribus detenus obtinet a Judice facultatem audiendi missam, tenetur illam audire; cum cesseret impedimentum, a quo excusabatur. Avil. tamen part. 5. disp. 4. sect. 2. putat, solum Religiosos, & Clericos, qui secundum jus commune eximuntur ab Interdicto, ad id teneri; non tamen habentes privilegium; cum nemo teneatur uti privilegio suo. Quod confirmat, quia si diceretur missa in tali distantia, ut non comprehendatur in continentia mœniorum, quamvis non sit tanta, ut deobligaret homines ab audienda missa, si non esset Interdictum, non tenerentur tamen homines illuc ire ad missam audiendam tempore Interdicti. Ad rationem in contrarium respondeat, impedimentum carceris esse impedimentum ipsius personæ; sicuti impedimentum infirmitatis; unde eo cessante datur obligatio audiendi missam: Econtra in casu nostro impedimentum est ipsius juris deobligantis a missa audienda, & dantis privilegium aliquibus personis; quæ tamen cum non teneantur uti privilegio, non tenentur missam audire tempore Interdicti. At Clerici, & Religiosi tenentur audire missam, quia in Interdicto non includuntur; unde non habent privilegium, sed obligationem audiendi missam.

IV. Quæritur secundo; Quid veniat nomine Divinorum officiorum, quæ per Interdictum prohibentur?

Respondeo cum communi apud Suar., Bonac., & alios, Divinorum officiorum nomine intelligi quæcumque fiunt in Ecclesia a Ministro Ecclesiastico, seu a persona consecrata, vel deputata ad illud; sive quæcumque a solis Clericis ex institutione Christi, vel Ecclesiae fieri permittuntur; ut

V. fiunt

sunt sacrificium missæ , horæ Canonicae , officium Beata Virginis cum Psalmis , & litaniis in loco ad id deputato cum sua solemnitate ; unde etiam monialibus tempore Interdicti id prohibetur ; Et universim omnia Sacramentalia prohibentur , seu omnia , quæ ad solemnem ritum Sacramentorum spectant , vel immediate , vel preparatorie , vel consecutive ; ut solemnis benedictio nuptiarum jam celebratarum , benedictio templi , vasorum , & vestium sacrarum , candelarum in die Purificationis , & ramorum in die Palmarum , fontis baptismalis , aquæ lustralis , Chrismatis , altaris consecratio , fusio aquæ cum Asperges , solemnis benedictio Episcopi , professio solemnis in Religione , litaniæ professionaliter recitatae , collatio primæ tonsuræ , &c. Contra tamen permittuntur , quæ non requirunt personam Ecclesiasticam ad ea deputatam ; cum non censemantur officia Ecclesiastica communia , sed privata ; ut benedictio mensæ , oratio pro itinere , adoratio Crucis die Parasceves , sine tamen orationibus ab Ecclesia pro eo actu institutis , quæ dicuntur officia illius diei . Permittitur pariter salutatio Angelica dici solita statutis horis diei , concio , lectio sacra , litaniæ in Ecclesia , vel extra Ecclesiam cantatae , dummodo non canantur solemniter , id est cum superpelliceo , & cum , Dominus vobiscum . Recitari etiam potest confessio generalis ; quia hæc omnia etiam a laicis fieri solent : potest etiam , qui ad officium tenetur , recitare illud cum sociis , modo non ita recitent , ut publicam orationem facere videantur .

Cum autem Divina officia non permittantur , nec permittitur pulsatio campanæ ad convocandos Sacerdotes ad missas celebrandas ; immo aliqui putant , neque licitum esse uti tintinnabulo ad Sanctus , & in missæ elevatio-

ne , sed tabula cum matraca , seu tuba ; quorum tamen sententiam non sequor , cum tintinnabulum non pulsetur ad populum convocabendum , sed ad excitandum illum ad Christi adorationem ; & ideo omnes docent , licet esse pulsare campanas in solita salutatione Angelica , vel ad indicandam populo festivitatem alicujus diei , vel ad Eucharistiam comitandam , aut ad concessionem , &c. , cum hoc non sit ad Divina officia convocare .

V. Dubium est ; Quinam possint tempore Interdicti localis generalis admitti ad Divina officia , quæ permittuntur in cap. Alma Mater singulis Ecclesiis , & Monasteriis sive virorum , sive mulierum , januis clausis , voce submissa , & non pulsatis campanis ?

Respondeo cum Bonac. punct. 3. posse admitti Primo amentes , & infantes ; quia cum careant usu rationis , non sunt capaces præcepti , & obligationis , nec possunt Divinis officiis moraliter interesse ; Et ideo putat Henr. , non esse peccatum admittere infantem ad Claustrum Monialium ; quamvis in Trident. sess. 24. cap. 5. feratur excommunicatio in ingredientes Claustra Monialium . Secundo admitti possunt Clerici non conjugati , dummodo non sint excommunicati , aut specialiter interdicti , nec dederint causam Interdicto ; cum enim Divina officia permittantur , & hæc a Clericis celebrentur , permittitur consequenter Clericos ad ea admittere . Admitti etiam possunt propter eandem rationem Clerici conjugati , si sint addicti alicui Ecclesiae , vel ministerio Sacro ; aliter reputantur tanquam laici ; quamvis , si gestent habitum , & tonsuram , gaudent privilegio Canonis , & fori . Contra tamen non possunt admitti Primo excommunicati , & interdicti , videlicet nominatim denunciati , ut supra notavimus , quia istos

istos tantum tenemur vitare. Secundo laici non habentes privilegium, ut docent communiter Doctores cum Suar., Avil., quia aliter frustra claudenda essent januae ad Divina celebraanda.

Dubium est secundo; An qui tempore Interdicti habet privilegium assistendi Divinis officiis, possit secum adducere familiares?

Respondeo cum communi affirmative; dummodo causam non dederint Interdicto: Familiares autem dicuntur domestici, qui sunt de ejus familia, & eum solent comitari; atque adeo non solum uxor, filii, &c., sed etiam famuli, qui continue in ejus familia assistunt sustentati ejus sumptibus. Quod si quis famulorum, qui illum comitari solent, sit absens, aut infirmus, potest alter substitui: Iste tamen non possunt sine domino ad Divina officia admitti.

VI. Quæritur tertio; Quibus, & quando prohibeatur Ecclesiastica sepultura?

Respondeo, quodvis Interdictum sive personale, sive locale privare Ecclesiastica sepultura tam personas, quam locum, ita scilicet ut in loco interdicto non possit sepeliri cadaver in Ecclesia, aut in Cæmeterio benedicto, nec in loco ubi Divina peraguntur, nec cum pompa funerali; Si tamen Interdictum sit locale, possunt in alio loco sacro non interdicto sepeliri personæ, quæ non dederunt causam Interdicto, nec sunt nominatim denunciatae; cum nullum extet impedimentum neque ex parte personæ, neque ex parte loci non interdicti: Non possunt tamen in loco sacro interdicto sepeliri, ne infantes quidem, & amentes; quia quamvis non extat impedimentum ex parte personæ, extat tamen ex parte loci interdicti: Quare sepeliri debent in campo, aut in Cæmeterio ab Episcopo

deputato, non tamen benedicto.

Notat tamen Laym. ex Suar., Con., & aliis contra Sæ, & Escob. in summ. cap. 4., in Interdicto generali satis esse, ut tota communitas sit denunciata, ut singula ejus membra teneamus vitare relate ad officia Divina, & Ecclesiastica sepulturam; cum sit moraliter impossibile omnes nominatim denunciari. Si tamen in loco Sacro sepeliantur, non eatenus sunt exhumandi; Immo econtra qui tempore Interdicti in loco non sacro sepeliuntur, elapsi Interdicto, exhumandi sunt, & in loco sacro sepeliendi.

A prædicta regula excipiuntur Primo Clerici, qui si non dederunt causam Interdicto, sicut possunt officia Divina celebrare januis clausis, ita possunt eodem modo in loco sacro etiamsi generaliter interdicto sepeliri; & in quatuor illis festivitatibus possunt etiam cum pompa funerali: Nominis autem Clericorum veniunt etiam Religiosi, Moniales, & Clerici conjugati addicti servitio alicujus Ecclesiæ: Secundo excipiuntur laici, qui habent privilegium assistendi Divinis officiis; tum quia quibus communicamus vivis, possumus etiam mortuis communicare; tum etiam quia, si conceditur iis assistere Divinis officiis, quod est principale, conceditur pariter Ecclesiastica sepultura, qua est accessorium: Tertio propter eandem rationem puto cum Bonac., Henr., Sylvest. contra Suar., Con., Avil., quod possint etiam laici in quatuor illis festivitatibus sepeliri in loco sacro publice; quamvis enim Ecclesiastica sepultura non sit Divinum officium, tamen quibus conceditur, quod est principale, intelligitur etiam illud accessorium concedi.

VII. Rogabis; An interdictus ab ingressu Ecclesiæ possit in loco sacro sepeliri?

V 2 Re-

Respondeo, ex cap. *Is cui*, de *sen-  
tentiæ excommunicat.* in 6. quod si dederit signa contritionis, possit absolvī, & in loco sacro sepeliri; secus vero non possit. Quid autem significet, aliquem esse interdictum ab ingressu Ecclesiæ, & utrum talis censura sit dicenda suspensio, an vero Interdictum? diximus quæst. super. art. 4.

Notandum hic solum ex Avil. disp. 4 dub. 5., & Henr., per suspensionem ab ingressu Ecclesiæ solos Clericos ligari; per Interdictum vero ab Ecclesiæ ingressu ligari etiam laicos, ne officiis Divinis intersint. Præterea talis suspensio ferri non potest pro culpa aliena; potest vero tale Interdictum ferri; Et ideo aliquando in jure hæc censura vocatur suspensio ab ingressu Ecclesiæ, aliquando vero Interdictum.

VIII. Quæritur quarto; An Interdictus privetur usu jurisdictionis exterioris?

Respondeo cum Bonac., Avil., & aliis communiter negative; cum hoc non includatur in triplici effectu assignato Interdicti. Quare Interdictus, etiam nominatum denunciatus poterit excommunicare, & absolvere in foro exteriori, etiam cum solemnitate, tam intra, quam extra Ecclesiæ. Sacramentum vero Pænitentiæ ministrare non potest, cum hoc includatur intra Divina officia, quæ per Interdictum prohibentur.

IX. Utrum autem Sacramentum Pænitentiæ ab interdicto ministratum sit solum illicitum, an etiam invalidum? Disputant Doctores. Bonac. putat, esse solum illicitum, sicuti si ab irregulari ministraretur. Suar. tamen censet, fore invalidum, quia Interdictum privat rebus Divinis, quantum potest.

### ARTICULUS III.

Quam ob causam? A Quo? Et erga Quos ferri potest Interdictum?

- I. Interdictum personale speciale presupponit culpam propriam; secus vero Interdictum generale, sive personale, sive locale.
  - II. Innocentes per Interdictum generale non puniuntur, sed solum Ecclesia ob justam sui defensionem subtrahit illis suum ministerium.
  - III. Interdictum generale prærequisit gravem culpam. Et probabilitas etiam Interdictum speciale personale, nisi sit partiale.
  - IV. Interdictum generale, ac speciale locale imponi nequit ob debitum pecuniarium; potest tamen ob id imponi Interdictum speciale personale, non secus ac Excommunicationem, & Suspensio.
  - V. Ritus ferendi Interdictum quinam sit?
  - VI. Ferre possunt Interdictum, qui jurisdictionem habent in foro exteriori, demptis Pralatis regularibus ex defœtudine. Etiam excommunicatus vitandus interdicere potest.
  - VII. Quenam persone, & quanam loca interdicti possunt?
  - VIII. Interdictum locale etiam ab Interdicente servandum est; nisi vellet illud ad tempus, vel simpliciter tollere.
- I. **Q**uaritur primo; Ob quam culpam possit Interdictum ferri?
- Respondeo, Interdictum personale ferri non potest, nisi ob culpam propriam, cum nullus innocens possit licite puniri. Ita communiter contra Avil. dub. 3.; Ubi ex Henr. di-

dicit, posse uxorem propter culpam mariti interdici; quia quamvis nemo possit puniri ob culpam alienam in bonis spiritualibus interioribus, potest tamen in bonis spiritualibus externis, quae sunt externa adminicula spiritualia. Interdictum vero generale personale, sicut etiam locale, tam generale, quam speciale ferri potest propter culpam alienam, non tamen propter culpam personæ privatæ, nisi tantum a Pontifice; Etenim poena communitatis debet supponere culpam etiam ipsius communitatis. Quare ferri potest propter culpam vel communitatis, vel ejus capitatis, aut Domini temporalis, ut habetur in cap. *Si sententia, de sententia Excommunicat.*

II. Neque dicas, quod in tali casu innocentes punirentur; Nam, ut superius diximus, per Interdictum generale Personale, aut Locale non privantur innocentes bonis spiritualibus, ad quæ jus aliquod habeant; (sicut per Suspensionem privantur usi juris jam acquisiti) sed solum subtrahit Ecclesia interdictis suum ministerium; quod nocentibus cedit in penam, & ignominiam; innocentibus vero non vertitur in poenam, sed id iis permittitur propter justam Ecclesie defensionem: Sicuti si Rex propter culpam perduellum tolleret ab aliqua civitate privilegia concessa, donec sibi satisficeret.

III. Dubium est; An propter veniale culpam ferri possit aliquod Interdictum?

Respondeo, certum esse, quod circa culpam gravem ferri non possit Interdictum Generale Personale, & Locale, quod etiam innocentes afficiat; cum sit poena gravissima. Interdictum vero personale speciale ferri posse ob culpam veniale, putant Avil., Henr., Sa., Hurt. diff. 13., non secus ac ob levem culpam fer-

tur excommunicatio minor, quæ est major poena, quam Interdictum; Illa siquidem privat perceptione passiva omnium Sacramentorum, & electione passiva ad Beneficium; Interdictum vero solum aliquibus Sacramentis privat. Verum negat probabilius Suar., Vafq., Laym., Pal., tum quia privat Interdictum gravissimis bonis, quibus non privat excommunicatio minor, videlicet divinis officiis, Ecclesiastica sepultura, &c. Tum etiam quia difficultius tollitur, quam excommunicatio minor; cum hæc etiam a simplici sacerdote probabiliter tolli possit; illud saltem a Confessario approbato; Demum quia per violationem Interdicti incurritur saepe irregularitas, non vero per violationem excommunicationis minoris. Non negaverim tamen, quod Interdictum partiale, quod sit levis poena, (puta si sit Interdictum ab ingressu Ecclesie ad breve tempus) imponi possit ob culpam veniale.

IV. Quæritur secundo; An possit ob debitum pecuniarium ponи Interdictum?

Respondeo cum Avil. dub. 3., Henr., & aliis, Interdictum locale generale, & a fortiori Interdictum personale generale imponi non posse propter debitum pecuniarium, ex Extravag. *Provide, de sententia Excommunicat.*; & probabilius per eamdem Extravagantem neque potest propter debitum pecuniarium ponи Interdictum locale speciale; Potest tamen ponи propter talam causam personale speciale; sicuti Excommunicatio, & Suspensio ob eandem causam ferri possunt.

V. Quæritur tertio; Quonam modo, seu ritu feratur Interdictum?

Respondeo, ferri, sicut fertur suspensio, videlicet sine determinatis verbis, sed in scriptis, & instrumentum debet dari intra mensem Interdi-

dicto, si petatur; aliter Judex erit suspensus per mensem ab ingressu Ecclesiae. Quando ponitur Interdictum ob contumaciam, præcedere debet monitio; secus vero si ponatur ob delictum præteritum: Etenim in cap. *Romana, de sententia excommunicat.* in 6., ubi fit mentio Excommunicationis, Suspensionis, & Interdicti, de sola excommunicatione dicitur, nunquam ferendam esse sine monitione; atque adeo possunt Suspensionis, & Interdictum ferri ob delictum præteritum. Quando tamen Judex fert Interdictum contra participantes cum Interdictis a se, debet monere ipsos participantes nominatum tribus vicibus, vel una pro tribus; alias erit nullum, ex cap. *Statutum de sententia Excommunicat.*

VI. Quæritur quarto; Quinam possint Interdictum ferre?

Respondeo, omnes illos, qui possunt excommunicare, & suspendere, ut diximus quæst. 3. art. 2.; qui scilicet jurisdictionem habent in foro exteriori, & contentioso sive ordinariam, sive delegatam. Prælati tamen Religionum, quamvis possint ferre Interdictum personale, non tamen locale, ut notant Bonac. punct. 2., Suar. disp. 36., & alii; tum quia eorum jurisdictione magis est in personas, quam in loca; tum etiam quia interdictum locale ab iis ferri non solet; quod signum est, eos illud ferre non posse ex desuetudine; nisi forte in plebem habeant jurisdictionem, ut notant Doctores; Ubi etiam notandum, quod licet excommunicatus, vel suspensus non toleratus valide interdicere non possit, cum sit privatus omni usu jurisdictionis, toleratus vero possit valide interdicere; interdictus tamen, quamvis non toleratus, & valide, & licite interdicere potest, cum per interdictum nec privetur jurisdictione, nec prohibeat illam exercere.

VII. Quæritur ultimo; Quinam possit interdicci?

Respondeo cum communi, interdicti possit, excepto Papa, omnes baptizatos rationis compotes subditos Interdicenti, non solum ut singulares personæ sunt, sed etiam ut membra Communis. Ratio est, quia omnes isti habent Superiorem in foro exteriori, etiam quoad jurisdictionem coactivam; Et in hoc Interdictum differt ab excommunicatione, quæ in communiam ferri non potest. Interdicti etiam possunt direcere præter personas loca subjecta jurisdictioni Interdicenti, & indirecte loca non subjecta, sed exempta, per Interdictum locale generale; ne Interdictum a Judice positum enervetur. Denique quod est semel interdictum, potest iterum interdicci.

VIII. Rogabis; Possitne idem se ipsum interdicere?

Respondeo negative; cum idem non sit sibi met subditus: Verum tamen est, quod in Interdicto locali ipmet ferens edictum includatur; sicut etiam superior, & æqualis; quia effectus Interdicti instituti sunt a jure communi, a quo illi obligantur: Sicut enim Episcopus, si excommunicet Petrum, tenetur vi juris communis cum illo non communicare; ita si ferat Interdictum locale, tenetur in eo loco Interdictum servare; nisi velit illud aliquando vel simpliciter, vel ad tempus tollere.

#### ARTICULUS IV.

De Violatione Interdicti, & de Participatione cum Personis interdictis.

I. *Interdicti violatio secundum se est culpa lethalis.*

II. *Etiam laici violando Interdictum in multis casibus lethaliter peccant.*

III.

- III.** *Quid si laicus missam audiret in loco sacro sine fraude, vi, aut scandalio?*
- IV.** *Quandonam laici Interdictum violantes excommunicationem incurvant?*
- V.** *Clerici Interdictum violantes quandom incurvant irregularitatem?*
- VI.** *Religiosi non servantes Interdictum quam poenam incurvant?*
- VII.** *Laici ne in Divinis quidem tenentur vitare Interdictos nominatim denunciatos: Clerici tamen tenentur eos vitare in iis rebus sacris, a quibus sunt interdicti; quando scilicet Clericis regimen Ecclesia commissum est, ubi Divina officia celebrantur; aut si iis astantibus ea celebrent.*

**I.** *Quæritur primo; Quale peccatum sit Interdictum violare?*

Respondeo cum communi apud Con. dub. 3. contra Cajet., esse peccatum mortale, nisi parvitas materiae, aut inadvertentia excusent. Aliquæ tamen actiones, etiam si parvæ, propter suam dignitatem non dicuntur esse materia parva, ut si quis Sacramentum aliquod administraret, vel solemniter caneret Euangelium, &c. Quare etiam in his casibus mortaliter per Interdicti violationem peccatur.

**H.** Aliqui numerantur casus, in quibus mortaliter peccant etiam laici violando Interdictum. Primo quidem, si posito Interdicto personali etiam generali se ingerant Divinis; cum hoc directe ipsis prohibetur; præsertim si violenter se ingerant injuriam Clericis inferendo; aut si cum scandalo violent Interdictum.

Secundo, ut notat Avil. disp. 5. dub. 2. contra Henr., si cum mendacio obtineant facultatem, ut possint Divinis interesse, vel fingendo se esse Clericos, vel privilegiatos, &c. Ratio est,

quia mendacio inducunt Clericos ad faciendum, quod est illicitum; Sicut qui alium induceret ad comedendas carnes die jejunii mentiendo, quod non sit dies jejunii, peccat mortaliter.

Tertio, si inducant Clericos, ut Divina coram se peragant, quod Clericis non licet.

Quarto, si non obtemperent ministris Ecclesiæ volentibus illos exclude-re a Divinis; nam cum Clerici tene-antur sub mortali illos excludere, illi sub mortali tenentur Clericis obedire; aliter daretur bellum justum ex utraque parte.

Ultimo, quando laicus exercet ea officia Divina in loco interdicto, quæ si Clerici exercearent, violarent Interdictum: In quo casu per Judicem Ecclesiasticum puniendi sunt, cum delictum sit Ecclesiasticum, ut notat Avil. loc. cit.

**III.** Dubium est; Peccatum laicus non interdictus, qui in loco interdicto audit Divina officia sine ulla fraude, vi, aut scandalio?

Respondeo, Cajet., & Navar. putare, quod non peccet, eo quod non prohibetur illi interesse Divinis, sed solum Clericis præcipitur, ut laicos a Divinis excludant: Henr., & alii putant peccare mortaliter, quibus adhæret Suar. disp. 34. sect. 4: Qui tamen addit, hunc assistendo aliis Divinis officiis, præterquam Sacrificio Missæ, facile excusari posse a mortali ob materiae levitatem; cum non ita graviter Ecclesia prohibeat dictis officiis interesse; Con. pariter putat, hunc peccare mortaliter suscipiendo Sacra-menta sibi prohibita in loco interdicto; cum hæc Sacramentorum participatio sit valde gravis. Avil. tamen loc. cit. cum Sot., Reginald., & aliis media via incedit, dicendo probabilius esse, quod peccet venialiter; quia quamvis præceptum juris non dirigatur ad laicos, sed ad Clericos,

ta-

tamen ipsi faciunt contra virtualem intentionem Ecclesiae, & Clericorum: Peccat tamen mortaliter, si suscipiat Sacraenta, quia saltem inducit, & cooperatur cum Clerico ad id, quod ipse sine peccato mortali praestare non potest, ut notat Laym. cap. 3.

Quod si laici violent Interdictum personale, etiam si generale, procul dubio peccant mortaliter; sicut violando excommunicationem; Utraque enim censura eodem modo privat Divinis officiis.

IV. Quæritur secundo; Quam poenam incurvant violantes Interdictum?

Respondeo, laicos nullam poenam incurrere ipso facto; cum nulla sit in jure expressa, praterquam in Clement. 2. de *Sententia excommunicat.*, ubi excommunicantur laici cogentes aliquem celebrare Divina officia in loco interdicto, vel vocantes alios interdictos, ut assistant Divinis officiis, aut qui recusant exire, quando a celebrantibus admonentur, aut qui prohibent, ne interdicti exeant, postquam fuerint a celebrantibus admoniti.

Incurritur etiam excommunicatio ab eo, qui aliquem sepelit in loco Sacro interdicto, aut qui personam interdictam sepelit in loco sacro non interdicto. Ubi iterum advero, solum interdictos denunciatos esse vitandos; Et præterea denunciata aliqua Communitate, singulos illius Communilitatis censeri denunciatos, ut docent Doctores contra Sà, & Escob. in summi. cap. 4.

V. Clerici vero tam sacerdtales, quam regulares violantes Interdictum sive personale, sive locale per exercitium Ordinis Sacri incurvant irregularitatem; etiam quando Interdictum non est censura, sed poena ob delictum præteritum, ex cap. Is cui, de *Sententia Excommunicat.* in 6. Dixi, per exercitium Ordinis Sacri, nam viola-

tio Interdicti per exercitium Ordinis minoris non videtur grave peccatum, ut possit proinde irregularitas incurri: Sicut nec si exerceatur Ordo sacer non solemniter, nec ex officio, ut si canatur a Subdiacono Epistola sine manipulo, &c. Ita Bonac. Suar. & Avil. Ubi nota, tripliciter posse graviter violari Interdictum a Clerico. Primo, si ipse sit interdictus, & exerceat Ordines majores, verbi gratia, conferendo Sacraenta. Secundo, si in loco interdicto ea conferat, etiam si ipse non sit interdictus. Tertio, si Sacraenta conferat persona interdicta, etiam si nec ipse, nec locus sit interdictus. In primis duabus casibus incurrit irregularitatem, non vero in tertio, ut probabiliter censem Bonac. punct. 7. cum non sit hoc in jure expressum.

Præterea Clerici violantes Interdictum privantur voce activa, & passiva, ex c. cit. Is cui, & suspenduntur a jurisdictione, ut notat Avil. deb. 4.; cum suspendantur ab officio, & beneficio, ex cap. Tanta, de *Excessibus Pralator.* immo possunt per sententiam privari etiam beneficiis.

VI. Religiosi vero non servantes Interdictum locale generale, aut cessationem a Divinis, quando servatur ab Ecclesia Cathedrali, seu a Matrice Oppidi, ipso facto sunt excommunicati, etiam si Interdictum sit nullum, ex Clement. 1. de *Sententia excommunicat.*

Demum omnes, etiam exempti, qui scienter celebrant, aut celebrare faciunt Divina officia in loco interdicto, aut excommunicatos, vel interdictos non toleratos ad eadem, vel ad Sacraenta, vel ad sepulturam Ecclesiasticam admittunt, interdicuntur ab ingressu Ecclesiae, donec satisfaciant ei, cuius sententiam violarunt, ex cap. *Episcoporum, de Privilegiis* in 6.

VII. Quæres ultimo; In quibusnam teneamur vitare interdictos denunciatos?

Respondeo, laicos non teneri vitare interdictos etiam nominatim denunciatos nec in humanis, nec in Divinis, præterquam in sepultura. Ita communiter apud Avil. dub. 5. contra Sayr., & alios apud Bonac. putantes, laicum teneri vitare interdictum in Divinis. Ratio communis est, quia id in jure non prohibetur laicis: Quare si Sacerdos admittat hujusmodi interdictos ad missam audiendum, laici non tenentur illos expellere, sicut tenentur expellere excommunicatos non toleratos. Et ratio a priori est, quia sola excommunicationem privat etiam Divinis officiis, in quantum sunt quædam communicatio cum fidelibus. Clerici vero sub mortali tenentur vitare nominatim interdictos in iis rebus sacris, a quibus sunt interdicti. Hoc tamen intelligendum solum de Clericis celebrantibus Divina officia, & de permittentibus illa celebrari, quando illis est commissum regimen talis Ecclesia; Etenim in cap. Non est vobis, de Sponsalib. dicitur, Ne celebreis, nec aliquem celebrare permittatis. Quare si illis non sit commissum regimen Ecclesiae, non dicuntur permettere, interdictos audire Divina officia, si illos non expellant; quia in tali casu Clerici se habent tamquam laici.

## ARTICULUS V.

### De Relaxatione, seu Absolutione ab Interdicto.

I. Non est idem tollere ad tempus, ac suspendere interdictum.

II. Interdictum latum ad tempus, eo lapso, sine alia absolutione cessat; latum vero simpliciter, & absolute, sine absolutione non cessat. Nec Pars VIII.

- cessat interdictum locale per destructionem adiutoriorum illius loci.
- III. Interdictum personale generale latum contra Communem, hac dissoluta, cessat ligare solum innocentem, non vero eos, qui causam interdicto dederunt.
- IV. Interdictum personale particolare non reservatum probabiliter absolvit potest per Confessarium, qui possit absolvere a mortalibus.
- V. Tacite reservatur interdictum, si feratur contra personam particularem; aut si hujus causa latum sit interdictum locale, aut generale personale.
- VI. Solum interdictum locale generale relaxari non potest ad cautelam. Et nunquam relaxatur interdictum, nisi a Principali delinquenti satisfactio offeratur.
- VII. Non habetur determinata forma, qua tollatur, aut suspendatur interdictum.
- VIII. Recensentur celebriores casus, in quibus a jure latum est Interdictum sive Locale, sive Personale.

I. **N**otat Avil. part. 5. disp. 4. dub. 4., non esse idem tollere ad tempus Interdictum, ac illud suspendere: Nam suspendere est manente Interdicto permittere, ne ejus effectus ponantur; quod solus Pontifex auctor juris communis facere potest, non vero inferiores Papa; cum effectus Interdicti sint a jure communis in quo nemo inferior Papa dispensare potest: At Interdictum ad tempus tollere potest, qui illud tulit; Sicut potest illud tollere simpliciter, aut tollere ad aliquos tantum effectus, puta quantum ad dicendam aliquam missam, vel ad sepeliendum aliquem; ut notat Avil. loc. cit.; eo quod sola excommunicatione habeat suos effectus inseparabiles secundum jus commune,

X Prae-

Præterea, ut notat Laym. cap. 3. excommunicatio suspendi, seu ad tempus tolli non potest, ita ut elapsu tempore, etiamsi satisfactio sit præstata a reo, reincidat: Contra vero Interdictum, argumento cap. *Cum desideres, de Sententia excommunicat.*

II. Quæritur nunc primo; An sine absolutione cessare possit Interdictum?

Respondeo: Universim Interdictum latum ad tempus, vel sub conditione cessat sine alia absolutione elapsu illo tempore, vel conditione purificata, juxta dicta quæst. præced. art. 5.: Interdictum vero absolute latum non cessat sine absolutione. Ita communiter. Porro Interdictum locale non cessat per destructionem ædificiorum illius loci; non possunt enim sepeliri corpora in solo Ecclesiæ interdictæ destruētæ; ut docet Suar. disp. 38. sect. 1.

III. Interdictum vero generale latum contra aliquam Communitatem, dissoluta communitate, cessat respectu innocentium, non vero respectu eorum, qui causam culpabilem Interdicto dederunt, quia tale Interdictum respectu istorum est speciale.

IV. Quæritur secundo; Quinam possit absolvire ab Interdicto?

Respondeo, Interdictum locale, aut generale personale non reservatum relaxari posse ab Episcopo, aut ab alio habente in dictum locum, aut communitatem jurisdictionem Episcopalem, ex cap. *Nuper, de Sententia excommunicat.*, non tamen ab Inferiore, quia requiritur ad hoc jurisdictione fori externi. Ita communiter apud Con.: Interdictum vero personale particulare non reservatum probabiliter absolvi potest per confessarium, qui possit absolvire a mortalibus, ut diximus quæst. 6. art. 5. cum Bonac. & Suar. contra Avil., Laym., & alios. Interdictum autem reservatum relaxari

potest a reservante, vel ab ejus Superiore, aut successore, ut patet. At Interdictum Papale contractum ob delictum occultum etiam ab Episcopo absolvī potest, ex Trident. sess. 24. cap. 6.

V. Notandum hic tamen cum Pal. §. 2.; duplice posse interdictum reservari, primo expresse, secundo tacite, si videlicet in aliquam personam determinatam feratur; alias perturbatur tribunal Judicis; Vel si ejus causa latum sit interdictum locale, vel generale personale; quia in tali casu interdictum relate ad talem personam est speciale, & reservatum, non secus ac interdictum loci, vel Communitatis.

VI. Quæritur tertio; Possit dari absolutio ab interdicto ad cautelam? Et quonam ritu illud relaxetur?

Respondeo, Interdictum locale generale non posse relaxari ad cautelam, ex c. *Sententia, de Sententia excommunicat.* in 6. posse vero alia interdicta, ut communiter Doctores docent; monendo interdictum nunquam esse relaxandum, nisi prius Principalis delinquens offerat satisfactionem. Vide tamen que hac de re diximus cum de censuris in genere quæst. 2. art 3.

VII. Præterea circa ritum tollendi, aut suspendendi interdictum non habetur ulla determinata forma, sed sufficit, quod voluntas interna absolvientis exprimatur; Nec ullæ solemnitates, aut cærenoniae præscribuntur, ne juramentum quidem delinquentis, ut notat Suar. disp. 38. contra Sayr.; quia juramentum in jure solum jungitur pro absolutione ab excommunicatione.

VIII. Denique qui scire velit, quibus in casibus a jure latum sit interdictum sive locale, sive personale, consulat Escob. in summ. cap. 3. Celebriores sunt isti. Primo si dominus terræ injuriose Episcopum percutiat aut

aut percutere mandet, a jure latum est interdictum locale generale; Sicut etiam si Civitas exigat gabellas a personis Ecclesiasticis de rebus ipsorum exportandis; necnon si personae Ecclesiasticae manifestis usurariis domos concedant. Secundo, latum est interdictum personale generale, si Capitulum dimissorias concedat infra annum; si ab Ecclesiasticis exigantur tributa: Si appelletur a sententiis Papæ ad futurum Concilium: Si Ecclesiasticis decimæ imponantur, vel ab iis exigantur: Demum incurrit interdictum personale speciale usurpans redditibus Ecclesia vacantis; Necnon Episcopus, vel Abbas alienans bona Ecclesiastica contra Bullam Paulinam. Item violans Interdictum locale; & Prælatus in visitatione recipiens ultra concessa; Necnon Clericus in Sacris, qui in crimen fornicationis jacet.

## ARTICULUS VI.

## De Cessatione a Divinis.

I. Neque censura, neque pena est Cessatio a Divinis, sed imponitur in signum majoris ob gravem injuriam Ecclesia, aut Divini honori illatum.

II. In multis ea differt ab interdicto. Probabiliter tamen quæ permittuntur tempore interdicti localis, permittuntur etiam tempore cessationis a Divinis.

III. Probabiliter tempore Cessationis non prohibetur Sacra sepultura, quæ sine funebri officio fiat.

IV. Praeter causam gravissimam plurime conditiones requiruntur, ut indici possit Cessatio a Divinis.

V. Cessationem hanc indicare potest is, qui ferre potest interdictum; Eaque tolli solum potest ab eo, qui illam tulit, aut a Superiori, vel successore. Ejusque effectus, non se-

cns ac effectus excommunicationis, vi juris communis sunt inseparabiles.

I. Quid sit; Et in quo differt ab interdicto Cessatio a Divinis?

Respondeo, Cessationem a Divinis (quæ & Suspensio Organorum dicitur) non esse censuram, nec poenam, sed meram prohibitionem Ecclesiasticam, ob quam Clerici cessare debent a divinis officiis, & a Sacramentorum administratione in certo aliquo loco, excepto casu necessitatis; Idque in signum gravissimi mœroris ab Ecclesia concepti ob gravem aliquam injuriam Ecclesiae, aut Divino honori illatum; ut sic injuriosus cogatur satisfacere Ecclesiae læsa; ut explicant Laym. & Suar. disp. 39. ex Clement. i. de Sententia excommunicat.

II. Quare Cessatio a Divinis differt ab Interdicto. Primo quia non est censura, nec poena proprie dicta, nec unquam a jure imponitur, sicuti Interdictum. Secundo, quia interdictum afficit immediate semper personam aliquam, quæ sua culpa dedit causam interdicto, non vero Cessatio a Divinis; Unde posita cessatione a Divinis, quilibet potest in aliis locis Divina celebrare. Tertio, Clericus agens per exercitum Ordinis Sacri contra interdictum incurrit irregularitatem; at si agat contra cessationem a Divinis, peccat quidem mortaliter, non tamen incurrit irregularitatem. Quarto, Privilegia concessa circa interdictum, verbi gratia, quod Clerici possint quotidie celebrare cum moderationibus in cap. Alma Mater, non habent locum in Cessatione a Divinis, ut communiter docent cum Suar. disp. 39. sect. 2., & Laym. contra quosdam Canonistas; etenim a diversis non tenet illatio. Ex aequitate tamen juris multi probabiliter do-

X. 2. cent,

cent, quod tempore cessationis possint Divina officia solemniter celebrari in quatuor illis festivitatibus, ac in Octava Corporis Christi Domini, & in festo Conceptionis; quia in cap. *Alma Mater*, talis facultas videtur concessa tempore interdicti ob reverentiam istarum festivitatum; unde potest probabiliter extendi ad tempus cessationis; Et quamvis tempore cessationis videatur solum concessa facultas administrandi Sacramentum Baptismi parvulis, & Pœnitentiae moribundis, adjuncto etiam Viatico; nihilominus etiam ex æquitate juris concedunt multi, posse tempore cessationis administrari ea omnia Sacraenta, quæ possunt tempore interdicti generalis: Immo certum est, posse in singulis Ecclesiis celebrari unum Sacrum per hebdomadam, ad renovandam Eucharistiam pro moribundis.

III. Quæritur secundo; An tempore Cessationis a Divinis prohibita sit Sacra Sepultura, sicut tempore interdicti?

Respondeo, Avil. dub. 10., Henr., Bonac., & alios affirmare: Negant vero Suar. loc. cit., Con. dub. 7., & alii, cum nullo jure id prohibeat tempore cessationis, ne laicis quidem, dummodo sine funebri officio fiat.

IV. Quæritur tertio; Quam ob causam, & sub qua forma indici possit cessatio a Divinis?

Respondeo, solum indici posse propter gravissimum delictum publicum, & contumaciter perseverans adversus commune bonum Ecclesiae, verbi gratia, adversus ejus immunitatem. Iste autem conditiones requiruntur, ut notat Con., Prima, ut in Indicente sit legitima potestas. Secunda, ut causa sit evidenter justa, & proportionata. Tertia, ut evidenter constet talem causam esse datam; etenim cum cel-

fatio a Divinis ferat gravissima incommoda, requirit causam gravissimam, & evidentem, quæ aliter emendari non possit; & ideo ferri non potest, nisi ad frangendam alicujus contumaciam; ac proinde jura volunt debere relaxari, statim ac delinquens paratus est satisfacere. Quarta, ut causa cessationis exprimatur aliquo instrumento munito publico sigillo. Quinta, ut hoc tradatur parti, contra quam fertur. Sexta, ut pars ita monita rogetur, quod velit satisfacere. Septima, ut posita cessatione, utraque pars saltem per Procuratorem ad Pontificem accedat, ut coram eo causa disceptetur, nisi pars intra mensem parata sit satisfacere: Si tamen is, qui tulit cessationem mense elapsu Romam non iverit, cessatio ipso jure relaxatur. Quamvis autem Con. putet, quod Prælatus non teneatur post mensem Romam mittere, ut Romana Sedes de remedio provideat, ne diu Ecclesia a Divinis cessalet in detrimentum fidelium; Communius tamen Doctores contendunt, Episcopum ad id teneri. Octava conditio est, ut quando Capitula, aut Conventus cessationem indicunt, omnes, qui habent vocem, convocentur, sicut in electionibus; ut convocati de re tota deliberent. Ultima, ut major pars Capituli judicet, cessationem esse indicandam. Iste autem conditiones colliguntur ex cap. *Si Canonici* 2., & ex cap. *Quamvis* 8., de Officio Ordinarii in 6.; ubi dicitur, cessationem non esse observandam, si is, qui cessationem tulit, ista omnia non servaverit.

Notandum tamen primo, ista omnia requiri, quando Conventus, aut Capitula cessationem indicunt, non vero quando eam indiceret Prælatus; Qui tamen videtur sex priores conditiones ex natura cessationis debere observare, cum non possit alter

ter constare de contumacia ejus, pro quo fertur cessatione; quamvis non teneatur Prælatus monere partem per instrumentum publico sigillo munatum.

Notandum secundo, quod qui sine sufficienti causa cessationem indicit, privetur omnibus fructibus, quos tempore cessationis deberet percipere, & teneatur satisfacere parti læse. Quod si juste indicitur, pars, contra quam fertur cessatione, tenetur cestantibus satisfacere de damno, quod interim subeunt, cum non possint consueta officia peragere.

V. Quæritur demum; Quinam possit indicere, aut tollere cessationem a Divinis?

Respondeo, is, qui potest ferre Interdictum; atque adeo is, qui Episcopalem, aut similem Episcopali jurisdictionem habet in foro externo, potest indicere cessationem, ut com-

muniter docent apud Suar. disp. 39. sect. 3.: Aliquando tamen cessationem præcedit censura interdicti, ut prohibitio sit arctior; Aliquando vero imponitur pura cessatione sine interdicto.

Præterea cessationem tollere potest, qui illam tulit, aut Superior, aut Successor, ne Tribunalia turbentur; nam cessatione solum ab homine, & non a jure fertur. Tolli autem potest sive simpliciter, sive ad tempus pro beneplacito. Solus Papa potest illam quoad aliquos tantum effectus suspendere; quia effectus cessationis sunt a jure communi inseparabiliter connexi inter se, sicut effectus excommunicationis. Per legitimam appellationem suspenditur cessatione, antequam executioni mandetur, cum per appellationem impediatur jurisdictione imponentis: Post executionem vero nonnisi relaxatione tollitur, ut diximus de censuris in genere.

## Q U Æ S T I O N E VIII.

### De Irregularitate.

Quamvis Irregularitas non sit censura, de ea tamen communiter Doctores disputant post censuras, quibus valde affinis est; cum pariter sit affectus clavium, seu Ecclesiastice potentatis. Quæremus itaque primo, Quid, & Quotuplex sit? Secundo, Quam ob causam incurritur? Tertio, Quinam possit Irregularitatem imponere? Et erga quos? Quarto, an dubium excusat ab Irregularitate? Quinto, quomodo tollatur? In postrema vero quæstione descendendo ad Irregularitates in particulari, agemus de Irregularitatibus tum ex delicto, tum ex defectu.

#### ARTICULUS I.

Quid, & Quotuplex sit Irregularitas?

I. Irregularitas est moralis inhabilitas personæ ad Ordines recipiendos, & exercendos.

II. In quo differat a censuris, & a Depositione, ac Degradatione.

III. Nonnisi duo sunt effectus Irregularitatis; Videlice Ordinum susceptionem, & Usum impedire.

IV. Irregularis illicite quidem sacramentaliter absolvit, sed non invalida, si bona fide ad illum pénitentes accedunt.

V. Beneficiarius irregularis ad quid tenetur? Illicita, & irritanda potius est, quam irrita Beneficii col-

la-

- Iatio facta Irregulari.*  
**VI.** Probabiliter Irregularitas non impedit susceptionem prime Tonsura.  
**VII.** Recensentur tam Irregularitates ex delicto, quam ex defectu.  
**VIII.** Irregularitas alia est Totalis, alia Partialis.

**I.** Quæritur primo; Quid veniat nomine Irregularitatis?  
 Respondeo cum communi apud Laym., & alios, Irregularitatem esse *Impedimentum canonicum ex aliqua indecentia proveniens*, per se primo impediens Ecclesiasticorum Ordinum susceptionem, & secundario eorundem usum ob reverentiam Divinorum. Explicatur per partes. Dicitur primo esse *Impedimentum canonicum*, ut ostendatur, Irregularitatē non esse inductam jure Divino, aut naturali, sed jure Canonico, quod est conforme juri naturali. Ratio enim naturalis dicit, non esse admittendos ad Ordines Sacros, nisi qui decenter accedant, & ideo ius Canonicum irregularares declarat, qui indecenter accederent: Quia vero feminæ, sicut etiam homines nondum baptizati excluduntur ab Ordinibus jure Divino, ideo non dicuntur irregularares.

Dicitur secundo, *Proveniens ex aliqua indecentia*; hæc autem vel est culpabilis, ut quando quis fit irregularis ex delicto; Vel inculpabilis; ut quando fit irregularis ex defectu aliquo corporis, aut animi; sicut est notabiliter deformis, amens, &c. Illa irregularitas dici solet pœnalis; ista vero mixta.

**II.** Dicitur tertio, *Impediens per se primo, seu directe Ordinum susceptionem*; Et in hoc Irregularitas disconvenit a censuris; nam excommunicatio major impedit quidem Ordinum susceptionem, & eorundem usum, sed impedit hæc, quatenus sunt quædam communicatio cum fidelibus;

unde excommunicatio major directe prohibet communicationem cum fidelibus, & indirecte impedit Ordinum susceptionem: Excommunicatio minor non impedit usum Ordinum, sed solum passivam eorum, ac reliquorum Sacramentorum participationem: Suspensio ( sicut etiam Depositione, & Degradatio ) privat tantum directe usu Ordinum susceptorum, unde solis Clericis competit; Irregularitas vero cum directe impedit Ordinum susceptionem, competit etiam laicis. Interdictum demum impedit etiam Divinorum officiorum auditio-  
nem, Ecclesiasticam sepulturam, & certa quedam alia Sacra-  
menta, que non impedit Irregularitas. Differt præterea Irregularitas a Censuris, quia Censura ( quæ est sape ab homine ) est pena medicinalis, & habet pro fine emendationem, & resipiscientiam delinquentis: Irregularitas vero ( quæ semper est a jure ) non semper est pena, sed solum est moralis inhabilitas personæ ad Ecclesiasticos Ordines; Et quando provenit ex delicto, habet rationem pena vindicativæ, non medicinalis; habetque pro fine reverentiam Divinorum. Differt demum Irregularitas a Depositione, & Degradatione, quod illa tantum non admittat laicos ad statum Clericalem; ista vero hominem a tali statu ejiciant.

Dicitur quarto, quod *Secundario impedit exercitium Ordinum susceptorum*; non enim semper impedit tale exercitium, sed solum quando indecenter exercentur Ordines: Quare si Diacono amputetur pollex, ita fit irregularis, ut non possit ad Sacerdotium ascendere, possit tamen canendo Euangelium exercere Ordinem Diaconiatus; ut notat Bonac. Con., & alii.

Dicitur demum, *Ob reverentiam Divinorum*; ut ostendatur causa finalis.

lis Irregularitatis ; Sed brevius defini-  
niri potest Irregularitas , quod sit  
*Moralis inhabilitas personae ad Ordines*  
*suscipiendos, & exercendos.*

III. Sequitur ex dictis , duos tan-  
tum esse effectus Irregularitatis , vi-  
delicet impedire susceptionem , & u-  
sum Ordinum . Unde fit primo , pos-  
se Clericos irregulares ea munera obi-  
re , quæ potest laicus ; videlicet in  
Ecclesia canere , missæ ministrare ,  
Sacra menta suscipere , Ordine exce-  
pto , ad quem inhabilis est , sed non  
incapax ; unde illicite , non tamen  
invalidè confertur Ordinis Sacramen-  
tum irregulare.

IV. Fit secundo , Clericos irregu-  
lares posse valide exercere omnes a-  
ctus jurisdictionis Ecclesiastice , quam-  
vis non licite illos , qui actus Ordini-  
nis requirunt , ut sunt absolutio a pec-  
catis , realis degradatio , &c. Proinde  
docent communiter Doctores cum  
Con. dub. 1. , Laym. cap. 1. contra  
Navar. , & Avil. dub. 6. , quod etiam  
irregularis denunciatus ( necnon sus-  
pensus ab Ordine non denunciatus  
nominativi . & interdictus personaliter )  
valide , quamvis illicite , sacra-  
mentaliter absolvant accedentes bona  
fide , cum non careant jurisdictione ,  
sicut caret excommunicatus denuncia-  
tus : Immo suspensus a solo benefi-  
cio etiam licite sacramentaliter absol-  
vit , cum non privatetur usu Ordinis.

V. Fit tertio , Irregularitatem non  
privare Clericum ipso jure fructibus ,  
& administratione beneficii , dummodo  
officium saltem per Vicarium ex-  
erceat , ut docent Suar. , Laym. , A-  
vil. ; Qui tamen notant , quod si be-  
neficium requirat officium , cui irre-  
gularis per seipsum satisfacere non  
possit , debeat beneficio privari , juxta  
cap. *Ex literis , de Exception. Prala-  
tor.* Immo sponte illud debeat resignare ,  
si dispensatio brevi tempore im-  
petranda non sit.

Dubium est ; Utrum collatio bene-  
ficii facta irregulari sit ipso jure irri-  
ta ; unde provisus teneatur in con-  
scientia illud resignare ?

Affirmant Henr. Bonac. , & Avil.  
dub. 6. cum communiori ; quia ex cap.  
ultim. *de Rescriptis in 6.* beneficium  
datur propter officium ; ergo inhabi-  
lis ad officium est pariter inhabilis ad  
beneficium acquitendum , ex cap. ultim.  
*de Clerico excommunicato mini-  
strante.* Verum Suar. disp. 40. sect. 2. ,  
& Laym. docent , talem collationem  
illicitam esse , & irritandam , non ve-  
ro irritam : etenim beneficii collatio  
non debet conferi irrita sine ullo jure  
expreso ; in calu autem nostro nullum  
ius expressum adducitur . Quibus ade-  
de , aliquod beneficium requirere of-  
ficium , cui ipse irregularis satisfacere  
potest , puta si officium requirat tan-  
tum preces Canonicas : Quod si non  
possit irregularis per se satisfacere ,  
fatis est , si satisfaciat per Vicarium.

VI. Majus dubium est ; An Irregu-  
laritas , quæ impedit Ordinum suscep-  
tionem , impedit etiam suscep-  
tionem primæ Tonsuræ ?

Communior sententia cum Bonac. ,  
Suar. , Avil. affirmat ; quia quamvis  
prima Tonsura non sit Ordo , sed di-  
positio ad Ordines , tamen in jure  
Canonico venit nomine Ordinis , *Argu-  
mento cap. Cum contingat , de atate ,  
& qualitate , &c.* Verum P. Aloysius  
Bariola apud Bonac. negat ; quia cum  
juxta communiorum Theologorum sen-  
tentiam prima Tonsura non sit Ordo ,  
Irregularitas non impedit susceptionem  
prima Tonsuræ ; sicut nec impedit in-  
gressum in religionem : In odiosis e-  
nim non est facienda extensio de u-  
no casu ad alium , ex cap. *Pœna , de  
Panit. dif. 1.*

Rogabis ; An irregularis suscipien-  
do , vel exercendo Ordines aliam ir-  
regularitatem , aut pœnam incurrat ?  
Respondeo negative ; quamvis mor-  
tali-

taliter peccet; nulla enim pœna injure imponitur pro tali delicto.

VII. Quæritur secundo; Quotuplex sit Irregularitas?

Respondeo, esse duplicis generis, Alteram ex indecentia morali, seu ex delicto, aut facto, puta ex homicidio; Alteram ex indecentia physica, seu ex defectu inculpabili.

Irregularitates ex delicto istæ enumerauntur apud Busemb. Prima ex iteratione Baptismatis; estque irregularis tam rebaptizans, quam rebaptizatus. Secunda ex violatione censuræ, si scilicet censura innodatus actum aliquem Ordinis Sacri solemniter exerceat. Tertia si Clericus actum Ordinis Sacri, quem non habet, solemniter exerceat. Quarta propter indebitam suscepctionem Ordinum; ut si quis suscipiat Ordines in excommunicatione, aut suspensione, aut ab Episcopo non habente jurisdictionem, aut per saltum, aut ante legitimam ætatem, aut sine dimissoriis, aut furtive, idest Episcopo nesciente, non approbante, nec examinante; Quamvis multi apud Bonac. quæst. 3. punct. 4., & Avil. putent, quod fere in his omnibus casibus suspensio potius, quam irregularitas incurritur. Quinta ob enormia crimina, quæ a jure habent annexam infamiam, si sint notoria, & publica, ut sunt Infidelitas, heres, adulterium, raptus, incestus, perjurium in judicio. Ultima quæ oritur ex injusta mutilatione, vel homicidio, etiam indirecte tantum voluntario, quæ extendit ad consulentes, & mandantes; Et quamvis Dian. part. 4. tract. 2. resol. 28. putet, solum consulentes homicidium incurtere in irregularitatem, non autem consulentes mutilationem, cum hoc non habeatur in jure: communis tamen sententia est in contrarium, ut notat Molin. apud eundem Dian.

Irregularitates vero ex defectu sunt

octo. Prima ex defectu animi; unde sunt irregulares Amentes, Phrenetici, Epileptici, Illiterati, seu non habentes necessariam doctrinam pro Ordinibus, Neophyti, seu recenter ad fidem conversi, donec judicio Episcopi sint sufficienter instructi.

Secunda ex defectu corporis; Quare irregulares sunt cæci, surdi, claudi, carentes pollice, aut indice, vel oculo sinistro, seu canonico. Item maxime deformes, ut si quis careat auribus, naso, si notabiliter sit gibbosus, paralyticus, leprosus, gigas, pignæus, ethiops inter alienos, ubi disparitas est ludibrio, hermaphroditus; non tamen ille, qui per vim, aut infirmitatem factus est eunuchus.

Tertia ex defectu natalium: Illegitimi enim reputantur viles; & ideo sunt irregulares, donec legitimantur, vel per professionem religiosam, vel per subsequens matrimonium inter parentes, dummodo tempore conceptionis potuerint valide contrahere; Vel demum per dispensationem Pontificiam; Etenim Principes seculares possunt tantum legitimare in ordine ad officia secularia, & hæreditates.

Quarta ex defectu ætatis, si scilicet ante legitimam ætatem quis ordinetur.

Quinta ex defectu Sacramenti, seu significationis matrimonii, hoc est ratione bigamiz. Bigamus enim cum carnem suam in plures diviserit, non apte representat unionem Christianum Ecclesie. Est autem bigamus, tum qui secundum matrimonium saltem presumptum contraxit, & consummavit; tum qui viduam duxit, & cognovit; tum etiam qui uxorem prius ab alio per fornicationem cognitam duxit, & cognovit; necnon qui propriam uxorem cognoscit post ejus adulterium: ac demum qui post solemne votum castitatis matrimonium (licet invalide) contrahit, & consummat; nam interpretatione juris censetur duo matrimonij.

trimonia contraxisse, alterum spirituale cum Christo Domino, alterum carnale cum muliere.

Sexta ex infamia; quæ etiam ex delicto enormi, & publico parentum, & ex vilis conditione personæ oritur.

Septima ex defectu libertatis; Proinde irregulares sunt servi proprie dicti, necnon originarii, ex Laym. hic cap. 8., donec plenam libertatem consequantur; Item conjugati, nisi uxores consentiant, & voveant castitatem; Curiales etiam, seu obligati juramento, vel stipendio Curiae seculari, in Judices, Advocati, &c., quoisque in his officiis detinentur; Milites pariter donec juramento tenentur; Thesaurarii, & Depositarii publici, & qui Rempublicam administrant; Ac demum Apparitores, & alii, qui sœva, aut turpia exercuerunt, aut in causa sanguinis ministrarunt, ut mox dicemus.

Octava ex defectu lenitatis, videlicet ex licita mutilatione, aut homicidio in bello justo, aut in judicio: Quandoquidem Sacerdos representat personam Christi, qui lenissimus fuit, & neminem unquam læsit. Non est autem irregularis ex defectu lenitatis, qui alium occidit in defensionem inculpatam sui, aut proximi; Nec qui hortatur ad fortiter pugnandum, sed solum qui in bello justo propria manu alium mutilat, aut occidit; & qui in judicio justo ad mutilationem, vel mortem alicujus cooperatur active efficaciter, & proxime, ut infra examinabimus.

VIII. Porro Irregularitas dividitur in totalem, & partiale: Totalis privat omni Ordine suscipiendo, & exercitio Ordinis suscepti; Et talis est, quæ contrahitur ex homicidio, bigamia, &c. Partialis vero privat aliquantum exercitio Ordinis, & ascensu ad Ordinem superiorem; Verbi gratia si Sacerdoti pollex amputetur, fit inhabilis ad sacrificandum, non ta-

men ad audiendas Confessiones, &c. Et si amputetur pollex Diacono, fit inhabilis ad Sacerdotium, non vero ad exercendum munus Diaconi. Appellatur etiam ab aliquibus Irregularitas partialis, quæ non est in perpetuum, sed ad tempus; Verbi gratia, pro tempore durantis infantia, morbi, infamia, &c.. Sed hæc improprie dicitur Irregularitas.

## ARTICULUS II.

Quam ob causam incurritur Irregularitas ex delicto? Et Quomodo ignorancia excusat?

- I. Irregularitas non incurritur, nisi propter delictum externum simul, & consummatum, ac in suo genere perfectum.
- II. Negandum verius posse Pontificem pro veniali culpa Irregularitatis penam imponere.
- III. Non requiritur, quod delictum, cui annexitur Irregularitas, sit publicum, aut quod probari possit.
- IV. Excusat ab ea incurrenda ignorantia probabilis, seu non crassa tam irris, quam pæna.
- V. Qui patrato homicidio excusat ab Irregularitate ex delicto ob ignorantiam probabilem, non fit irregularis ex defectu lenitatis.
- VI. Quamvis esset minus lenis Homicida, quam Minister justitie, non per hoc ille etiam contrahit Irregularitatem ex defectu lenitatis.
- VII. Episcopus probabiliter potest dispensare in Irregularitate contracta ob homicidium occultum voluntarium, quod tamen in judicio probari nequit: Sed in Irregularitate ex defectu lenitatis dispensare non potest; Quare universem homicida, qui ab Irregularitate ex delicto excusat, non contrahit Irregularitatem ex defectu.

Y

I. Quæ-

I. Quæritur primo; Quænam culpa requiratur ad Irregularitatem ex delicto incurrendam?

Respondeo, requiri culpam exteriā consummatam, & mortalem. Quod requiratur culpa externa, & consummata, nec satis sit sola culpa interna, aut exterius tantum inchoata, constat ex iis, quæ diximus quæst. I. art. 4.. Unde fit, ut irregularitatem non incurrat, qui verbi gratia vulnerat aliquem lethaliter animo illum mutilandi, aut occidendi, si vere illum non mutilet, aut occidat. Ita communiter contra Glossam ultimam in cap. *Perniciose, de Pœnit. dist. 1.*, & contra alios perpaucos Juristas. Et ratio est, quia de facto nullum jus fert irregularitatem, nisi propter delictum exterius consummatum, puta propter homicidium: Quicquid sit, utrum actus internus possit subiacere judicio Ecclesiae? quod communiter etiam negatur.

II. Quod vero requiratur etiam culpa mortalis ad incurrendam irregularitatem ex delicto, communiter Doctores docent contra Cajet., Armil., Covar., & Cordub.; Etenim irregularitas censetur esse pœna gravis; cum privet magno bono in perpetuum fine spe restitutionis; ergo supponere debet culpam gravem: Quare quoties culpa est levis, aut ex levitate materia, aut ex defectu plenæ deliberationis, irregularitas non incurritur.

Putant aliqui apud Bonac. punct. 3., & Avil. disp. 2. dub. 3., posse Pontificem pro veniali culpa irregularitatem imponere; quamvis de facto solum pro mortali sit imposta: Sed negat verius Escob. cap. 1.; quia pœna esset improportionata culpe.

III. Quæritur secundo; An requiratur, quod delictum, ob quod irregularitas incurritur, sit publicum, aut notorium, ita scilicet ut probari possit?

Respondeo negative; quicquid con-

tradicat Castro, & Glossa in cap. *Ex tenore, de temporibus Ordinationum.* Ratio est, tum quia jura imponunt irregularitatem incurrendam ipso facto, ad quod probatio non est necessaria; tum etiam quia Trident. sess. 24. cap. 6. tribuit Episcopis facultatem dispensandi in irregularitatibus provenientibus ex delicto occulto; ergo ex Trident. constat, etiam ob delictum occultum irregularitatem incurri.

IV. Ex dictis infertur cum Bonac. punct. 3., Irregularitatem ex delicto non incurri interveniente ignorantia probabili, seu non crassa; nam sicut ignorantia probabilis excusat a culpa, ita etiam a pœna; Immo non solum ignorantia juris, sed etiam ignorantia pœnae excusat ab irregularitate incurrenda, ut constat ex iis, quæ diximus de Censuris in genere art. 6. num. 7. cum Sanch. lib. 9. de Matrim. disput. 32., Bonac., & Con. contra Suar. sect. 5., Reginal., Filliuc., Laym. Rationes, quas suse adducit Con., sunt, tum quia cap. 2. de Constitutione in 6. dicitur, *Ignorantes non ligari constitutionibus Ordinariorum, nisi eorum ignorantia sit crassa, vel supina;* Et eadem est ratio de constitutionibus Pontificiis; Tum etiam quia cap. *Propositi, dist. 82.* habetur, Clericos, qui impure vixerunt, si ignorabant constitutionem Siciliæ id sub pena depositionis prohibentis, venia dignos esse, nec hac pœna plectendos; Eadem autem est ratio de pœna depositionis, ac de pœna irregularitatis: Tum demum quia irregularitas ex delicto valde affinis est censura, persertim in eo, quod reus illam in se teneatur execui; cum ergo censura ignorata non incurritur, nec irregularitas. Et ratio a priori est, quia ignorans legem Ecclesiasticam prohibentem aliquid sub pœna irregularitatis, vel censuræ, quamvis aliquan-

do

do peccet contra legem naturalem, verbi gratia, patrando homicidium Clerici; at non peccat contra legem Ecclesiasticam, quam ignorat; ergo non est dignus, qui pena ab Ecclesia imposita puniatur. Quamvis autem irregularitas ex delicto ignorata non incurrit, incurrit tamen irregularitas ex defectu, etiamsi ignoretur; haec enim non imponitur ab Ecclesia tanquam pœna, ut patet, sed est impedimentum canonicum statutum ab Ecclesia ob aliquam indecentiam, ut homo cum tali defectu Altari ministret; & ideo etiam ignorata incurritur.

Neque dicas, hinc sequi homicidiam ignorantem irregularitatem homicidis statutam melioris esse conditionis, quam sit Judex juste condemnans reum ad mortem; hic enim irregularitatem ex defectu lenitatis incurret, ille nullam.

Nam quamvis homicida nullam irregularitatem incurrat, non per hoc est melioris conditionis, quam Judex; cum sit reus pœnae æternæ: Sicuti qui mæchatur, quamvis non incurrat irregularitatem, quam incurrit Judex iuste damnans reum, non per hoc dicunt melioris conditionis; cum sit reus pœnae æternæ.

V. Mendo in Epitome V. Censuræ num. 7. quamvis censeat ignorantiam irregularitatis ex delicto excusare ab illa incurrenda, excipit irregularitatem ex homicidio; putat enim in tali casu incurri saltem irregularitatem ex defectu lenitatis. Sed rejicitur a triginta Doctoribus citatis a Dian. part. 11. tract. 2. resol. 63., & part. 3. tract. 5. resol. 79., quia irregularitas ex defectu lenitatis non imponitur a jure personis privatis, sed tantum ministris justitiae ad mortem concurrentibus, necnon occidentibus in bello justo: ergo qui iuste aliquem occidit, ignorantis impositam esse homicidio pœnam

irregularitatis, nullam irregularitatem incurrit: Quod aperte etiam docet Cornejo apud Leand. de Irregularit. tract. 1. disp. 4. quæst. 6., & alii apud Dian. part. 12., & Less. cap. 9. dub. 21.

VI. Neque obstat, quod minus lenis sit, qui alium iuste occidit tanquam persona privata, quam minister justitiae concurrens ad mortem; ergo si iste incurrit irregularitatem ex defectu lenitatis, a fortiori ille.

Nam contra est; quia Ecclesia irregularitatem ex defectu lenitatis dum taxat statuit pro ministris justitiae; sicut etiam pro occidentibus in bello justo; in lege autem positiva non tenet argumentum a minori ad majus. Præfertim quia ministri justitiae, & milites veluti ex habitu solent ad justas occisiones procedere, quod a lenitate, & mansuetudine Christi Domini videtur alienum. Qui vero alium culpabiliter occidit, non solet ex habitu sic delinquere, & irregularitatem incurrit ex delicto, nisi ignorantia excusat.

VII. Confirmatur, quia quamvis Episcopus ex Trident. (sicut etiam qui habent jurisdictionem quasi Episcopalem, ut Generales, & Provinciales religionum) non possit dispensare in irregularitate proveniente ex homicidio voluntario occulto, tamen potest dispensare in tali irregularitate, si homicidium voluntarium sit omnino occultum, (quod scilicet ad notitiam hominum, & ad judicium deduci non potest, & probari) ut multi probabiliter docent apud Dian. part. 7. tract. 2. resol. 15., & apud Mojam tract. 5. quæst. 2. ex Bruno, Tabien., Texeda, Rodriq. tom. 1. quæst. regular. quæst. 14. art. 2.: Etenim Concilium dum negat Episcopis facultatem dispensandi in irregularitate orta ex homicidio voluntario occulto, videtur loqui de eo homicidio occulto, quod

Y z non

non est probatum in judicio, potest tamen probari; non vero de homicidio omnino occulto, quod nec probatum est in judicio, nec potest probari: Ex alia parte Episcopus numquam potest dispensare in irregularitate orta ex defectu lenitatis, ut docent communiter Doctores apud Dian. part. 4. tract. 2. resol. 69.; ergo homicida non contrahit irregularitatem ex defectu lenitatis, & consequenter, si ignoret, impositam esse penam irregularitatis homicidio, neque irregularitatem ex delicto contrahit.

### ARTICULUS III.

Quisnam possit Irregularitatem imponere, & Erga Quos?

- I. Irregularitas de facto a jure imponitur, & incurritur ipso facto in casibus dumtaxat in jure expressis.
- II. Non incurritur Irregularitas in casu simili, aut majori, si non sit id expressum.
- III. Capax est Irregularitatis quicumque capax est Ordinis, aut exercitii Ordinis, dempio Pontifice.
- IV. Episcopi, & Cardinales Irregularitatem incurtere possunt, quamvis de iis non sit expressa mentio.
- V. Potest ex multiplici capite multiplex Irregularitas incurri, ita ut una sublata, altera remaneat.

I. Quæritur primo; Quinam possit imponere Irregularitatem? Respondeo, Irregularitatem a solo jure canonico imponi; Quo nomine venit tam corpus juris, quam Bullæ, vel decreta Pontificia, & Concilia approbata. Ita in cap. *Is qui*, de sententia excommunicat. Potest etiam per sententiam, seu ab homine Irregularitatem ferre Pontifex, etiam pro delicto mere præterito; cum possit Pontifex in jure communi dispensare, ut

notat Bonac. punct. 3., & Avil. ob Hinc sequitur primo, quod quando in Canone præcipitur, ut alicui pena per judicis sententiam imponatur, talis pena nunquam sit irregularitas, sed vel suspensio, vel depositio; cum irregularitas a judge, qui sit inferior Papa, infligi non possit.

Sequitur secundo, irregularitatem semper incurri ipso facto independenter ab executione judicis, & ab eius sententia, etiam declaratoria criminis; quia ipsum jus immediate irregularitatem infert, & sententiam profert.

Sequitur tertio, non esse admittendam ullam irregularitatem ex consuetudine, nisi sit in jure scripto expressa. Ita Bonac. punct. 2. cum Suar. ex cap. *Is qui* citato contra Laym. cap. i. dicentem, quod consuetudo per tacitum consensum Papæ sit constitutiva juris, etiamsi jus scriptum desideretur. Verum quia caput citatum *Is qui* requirit jus expressum, ideo non latet est tacitus consensus Ecclesiæ, & Pontificis habitus ex consuetudine.

II. Sequitur quarto, Irregularitatem non incurri in casu simili, aut majori, quam sit ille, cui annexa est excommunicatio; siquidem solum incurrit in casu a jure expresso.

III. Quæritur secundo; Quinam possit irregularitatem incurtere?

Respondeo, Omnem, & solum hominem capacem aut Ordinis, aut exercitii Ordinis esse pariter capacem irregularitatis, excepto Pontifice, qui in terris Superioribus non habet; unde a suis legibus obligari non potest quoad vim coactivam, sed solum quoad vim directivam. Ratio cur omnis capax Ordinis possit irregularitatem contrahere, est, quia potest illi prohibiri susceptio, aut exercitium Ordinis, & sic fieri irregularis. Ratio vero cur solus hujusmodi homo, & non aliud possit irregularitatem contrahere, est, quia

quia non potest cadere prohibitio, & privatio circa formam, cuius subiectum est incapax.

IV. Hinc fit, sceminas, & infideles non baptizatos non posse fieri irregularares; omnes vero laicos, & Clericos posse irregularitatem contrahere, etiam Episcopos, & Cardinales, quamvis non fiat de iis expressa mentio; quia in cap. *Periculorum*, de sententia excommunicat. solum eximuntur a Suspensione, & Interdicto, quoties de iis non fit expressa mentio. Si quis esset irregularis, non deberet in Pontificem eligi, ut late ostendit Majol., utpote tali dignitate indignus: Si tamen eligeretur, eo quod irregularitas esset occulta, electio esset valida, ad vitanda schismata, ex cap. *Litterarum de Electione*. Quare ipso facto per electionem tolleretur ab eo irregularitas, necnon censura, si quam haberet, cum non possit amplius jure Pontificio ligari quoad vim coercitivam: Sicuti enim non potest Pontifex novam irregularitatem contrahere, etiamsi propria manu aliquem verbi gratia occideret; ita nec potest priorem irregularitatem in se conservare.

V. Irregularis ex uno capite potest iterum aliam irregularitatem ex alio capite, verbi gratia, ex novo homicidio, incurrire, ita ut dispensatus in una, adhuc maneat alia irregularitate irretitus.

#### ARTICULUS IV.

An dubium de Irregularitate excusat ab illa incurrenda?

I. In dubio juris, ratione ipsius juris dubii, irregularitas non incurritur.

II. In dubio vero juris, ratione personae, qua dubitet de jure catenoqui non ambiguo, incurritur irregularitas, si ignorantia sit crassa, non secus ac incurritur censura; non

tamen si ignorantia sit invincibilis, aut non mortaliter culpabilis.

III. Etiam dubium facti excusat ab incurrenda irregularitate, non secus ac dubium juris.

IV. Quod in tali dubio tertiior pars elegatur, consilium est, non praeceptum.

V. In dubio homicidii iniusti incurritur irregularitas ex delicto; at in dubio homicidii justi non incurritur irregularitas ex defectu lenitatis.

VI. Incurritur in dubio homicidii irregularitas, quando constat tum de homicidio secuto, tum de causa culpabiliter adhibita de se sufficiente ad causandum hoc homicidium, & solum dubitatur num ex hac causa, an aliunde illud sit secutum.

VII. In dubio mastitationis non incurritur irregularitas, sicut in dubio homicidii.

VIII. Qui dubitat, an suo consilio influxerit ad homicidium Clerici, debet se gerere ut irregularis, non vero ut excommunicatum, nec tenetur saltem ad integrum restituitionem.

IX. Procurans abortum, in dubio an fetus sit animatus, probabiliter non est irregularis. Et quid si dubitetur, num fetus sit mas, qui ciuius, an fæmina, qua serius animalatur?

I. **D**iximus art. 2., ignorantiam sive juris, sive poenæ excusare ab incurrenda irregularitate; discussendum nunc, an etiam excusat dubium sive juris, sive etiam facti: Dicitur autem dubium juris, quando quis dubitat, an lata sit lex aliqua sub poena irregularitatis. Dicitur dubium facti, quando quis dubitat, an commiserit factum, quod se sit prohibitum esse sub poena irregularitatis.

II. Quæritur itaque primo; An excusat dubium juris?

Respondeo, dubium juris aliquando

do haberi ratione ipsius juris, quando scilicet fundamentum dubii est in ipso jure; quia videlicet ejus verba sunt ambigua; vel quia dubitatur, an tale jus extet, nec potest homo certificari post diligentem inquisitionem. Aliquando vero dubium juris habetur ratione personæ, quæ dubitat ex propria ignorantia, & negligentia, non quia jus sit in se ambiguum.

In primo casu non incurri irregularitatem, sive dubium sit negativum, sive positivum, docent communiter Doctores cum Suar. disp. 40. sect. 5., Sanch. lib. 1. in Decalog. cap. 10., Bardi, Bonac. punet. 5. contra Garz. de Beneficiis cap. 1., & alios. Ratio est; tum quia lex non obligat subditos, nisi sit illis sufficienter proposita; quoisque enim non habetur certitudo de lege prohibente, stat in possessione libertas; Tum etiam, quia irregularitas non incurritur, nisi sit in jure expressa, ex cap. cit. *Is qui*; In dubio autem juris non habetur jus expressum; ergo in tali dubio juris non incurritur irregularitas.

In secundo casu, in quo habetur dubium juris ratione personæ illud ignorantis, dicimus eodem modo discurrendum de ignorantia censuræ, ac de ignorantia irregularitatis, & cuiusvis poenæ extraordinariae. Quare si cuti ignorantia invincibilis, non vero affectata, crausta, & supina, mortaliter culpabilis, excusat a censura incurrienda, (juxta dicta de Censuris in genere) ita & ab irregularitate, ut diximus art. 2. cum Pal., Con., Sanch. contra Suar., & alios existimantes diversimode discurrendum de censura, ac de irregularitate; Volunt enim, censuram non incurri ab ignorantie invincibiliter sive jus, sive poenam; quia est poena medicinalis, quæ requirit contumaciam, quam excludit ignorantia: Irregularitatem vero volunt includi; quia est poena vindicativa non præ-

supponens contumaciam.

III. Quæritur secundo; An etiam dubium facti excusat ab incurrienda irregularitate?

Respondeo cum coiuncti contra nonnullos cum Vasq., Azor., Hurt., eodem modo discurrendum de dubio facti, ac de dubio juris, quia scilicet in utroque dubio melior est conditio possidentis: Excipitur tamen dumtaxat homicidium; Nam in cap. *Significasti*, & in cap. *Ad audienciam 2.*, de homicidio, imponitur irregularitas, etiam quando quis dubitat, an homicidium commiserit. Ratio doctrinæ ulterior ex Bonac. est, quia ad summum ambigitur, an in aliis factis, præter homicidium, quando ea sunt dubia, jus statuerit irregularitatem; & consequenter tale dubium est dubium juris; sed in dubio juris non incurritur irregularitas, ut jam ostendimus, ergo neque in dubio facti, præter homicidium.

Confirmatur; quia in dubio Voi, an scilicet sit emissum, non habetur obligatio illud servandi; ut communiter docent cum Sanch. lib. 1. de matrim. disp. 9., & tamen est dubium facti; ergo neque in dubio facti incurritur irregularitas, nisi exprimatur, ut exprimitur in homicidio.

IV. Dices: Clemens III. in cap. cit. *Ad audienciam* assignat rationem universalem, cur in dubio homicidii debeat quis se gerere ut irregulari; quia scilicet tutior pars eligenda est; ergo in omni dubio facti incurritur irregularitas; cum in omni dubio facti militet eadem ratio. Sed contra est primo, quia hæc ratio probat, quod etiam in dubio juris incurritur. Secundo dico, Axioma illud, Quod tutior pars eligenda sit, non esse de præcepto, nisi tantum in casibus a jure expressis, eo quod in dubio melior sit conditio possidentis, sed esse tan-

tantum de consilio, ut notat Sanch. de matrim. disp. 41.

V. Notandum tamen primo ex Sanch. & Henr., illum dumtaxat censendum esse irregularem, qui dubitat, an patraverit homicidium injustum; non vero qui dubitat, an patraverit homicidium justum in iudicio, aut in bello justo, quia de homicidio injusto videtur esse sermo in capitibus citatis; sed dicendum verius cum Avila apud Bonac. punct. 5. esse irregularem; quia in cap. *Petitione tua de homicidio* habetur: Eum, quem conscientia remordet de homicidio patrato in bello justo, censendum esse irregulararem.

VI. Notandum secundo ex Escob., & Bardi de conscient. disp. 6. cap. 7. §. 4. & aliis apud Dian. part. 4. tract. 2. resol. 16., probabiliter irregularitatem solum incurri, quando constat de homicidio secuto, & de causa applicatione, seu de cooperatione ad illud, & dubium solum est, an ex propria cooperatione illud secutum sit; talis enim est casus illorum textuum, ut notant Ostiens., & Zabarel. Quare si vel non constet de morte secuta, vel non constet de sufficienti cooperatione ad illam, probabiliter irregularitas non incurritur. Idem docet Dicastil. tract. 10. de Censur. dub. 3. dicens: *Accedit, quod iura loquuntur in casu, in quo constat de homicidio simul cum actione adhibita, que ex se posset influere, & juvare.*

VII. Hinc sequitur primo, non esse irregularem, qui dubitat, an aliquem mutilaverit; quia irregularitas non contrahitur in dubio mutilationis, sed solum in dubio homicidii.

Secundo, si quis in dubio juris de irregularitate homicidii, aut de alia censura suscipiat mala fide ordines, eo quod non adhibuerit debitam diligentiam ad assequendam veritatem, potest deinde post adhibitam diligentiam Or-

dines exercere, etiamsi dubiam perseveret. Ita Bonac. quest. 1. punct. 5. contra Reginald. lib. 3. cap. 2.. Ratio est, quia quamvis peccaverit non adhibendo debitam diligentiam, at huic peccato non est annexa irregularitas. Ex alia parte adhuc remanet dubium juris, utrum irregularitatem, vel aliam censuram contraherit; ergo non debet se gerere ut irregulararem.

VIII. Tertio sequitur, quod qui consilium dedit de homicidio, quod jam secutum est, si dubitet, an suo consilio cooperatus sit ad illud, debet se gerere ut irregulararem; quia in tali casu habetur dubium facti relate ad homicidium, quod vere est secutum, & ad quod meam actionem, seu concursum moralem applicavi: Et quamvis dubitem, an ego ad illud cooperatus sim; at satis est, quod ego actionem meam posuerim de se sufficientem ad cooperationem, in quo casu præsumit jus, me ad homicidium meo consilio cooperatum esse. Ita Bonac. loc. cit. ex Sanch.; qui pariter putat, sic dubitatem teneri ad restitutionem; Avil. autem quamvis putet, si secutum jam sit homicidium Clerici, debere dubitatem, an suo consilio influxerit, etiam se gerere ut excommunicatum, negat tamen teneri ad restitutionem, eo quod in dubiis melior sit conditio possidentis. Evidem censeo, sic dubitatem in homicidio Clerici debere se gereret tantum ut irregulararem, non vero ut excommunicatum, nec teneri saltem ad integrum restitutionem; quia irregularitas dumtaxat contrahitur in dubio homicidii, non vero excommunicatio, nec obligatio restituendi saltem adequate; cum in dubiis possessio stet pro libertate; unde ad summum pro ratione dubii ad restitutionem tenetur.

Non me latet, Giballin. de irregularitatem.

larit. cap. 4. quæst. 1. docere, quod dubitans, an consilium, vel mandatum influxerit in homicidium, hoc etiam secuto, non incurrit irregularitatem in foro conscientiæ, quamvis in foro exteriori, si constaret de consilio, declararetur incurrisse. Et Henr. lib. 14. cap. 13. addit, quod dubitans, an homicidium sit secutum ex vi propriæ, an alterius actionis, non sit irregularis, quia ad incurrendam irregularitatem debet dubitans probabilis reputare, quod ipse commiserit homicidium. Quam sententiam non putant improbabilem Suar., Salas, Rebell., & alii apud Bardi in Bullam Cruciatæ part. 3. tract. 2. sect. 5., quia textus Canonici loquuntur de foro externo. Sed hisce opinionibus meum calculum addere superseedeo.

X. Quarto sequitur, quod qui dubitat, an sit secutum homicidium, ad quod dedit suum consilium, non debet se gerere ut irregularem; quia non constat de homicidio secuto. Hinc qui sceminae gravidae propinavit venenum ad abortum, si secuto abortu dubitatur, an fetus fuerit animatus, probabiliter non incurrit irregularitas. Ita apud Mojam in selectis quæstion. tract. 5. quæst. 6. Präposit. Bardi, Pelliz., & alii apud Dian. loc. laud. part. 4. tract. 2. resol. 16. contra Sanch., Avil., Rodriq., Mendo, & alios. Ratio doctrinae est, quia dubitatur de homicidio secuto. Et ratio a priori est, quia in dubio juris non incurrit irregularitas, ut communiter Doctores docent; sed in casu nostro dubium est juris, an sciœfit sit imposta in jure irregularitas, quando dubium est de homicidio secuto, cum aliqui Doctores id afferant, alii negent, interpretantes varie textus Canonicos; ergo in tali casu irregularitas non incurrit; siquidem nunquam irregularitas incurrit, ni-

si sit in jure expressa.

Hinc nonnulli cum Präposit., Machad., & aliis apud Dian. part. 3. tract. 5. resol. 24. docent, in dubio, an sit scetus mas, vel scemina, præsupponendum esse scemina, ac proinde non esse animatum ante octogesimum diem, juxta communem opinionem afferentem cum Aristot. & Plin., mares animari quadragesimo die, & sceminas octogesimo; ut videre est apud Dian. part. 6. tract. 5. resol. 6. Verum benignis hisce opinionebus aduersus hujusmodi scelestos non est facile utendum: Probabilior enim, & communior sententia docet cum Sanch. lib. 1. cap. 12. Avil., Molin., & aliis, irregularitatem incurri, etiamsi de homicidio non constet, quia universim in dubio talis delicti incurrit irregularitas.

## ARTICULUS V.

Quomodo tollatur Irregularitas?

- I. Nonnulla irregularitates cessant, cessaante earum causa. At qua proveniunt ex actu præterito qua tali, non qua moraliter perseverante, indigent dispensatione.
- II. Non cessat irregularitas per absolutionem, ut censura, nempe per actum judiciale; sed per dispensationem, quæ est exceptio a lege communi, & dicitur *vulnus legis*.
- III. Quanam irregularitates per Baptismum tolluntur improprie; quanam vero proprie? Verius per Baptismum non tollitur irregularitas ex defectu lenitatis.
- IV. Episcopi in nonnullis dumtaxat irregularitatibus dispensare possum.
- V. Num possit Episcopus secummet dispensare in iis irregularitatibus, in quibus id potest cum subditis suis? Num etiam cum Religiosis exceptis? Num cum suis subditis ex.

- tra propriam Diocesim? Quinam  
hac in re dicantur subditii Epis-  
copo?
- VI. Num possit Episcopus simpliciter dis-  
pensare, quando reus in iudicio est  
punitus, aut est absolutus? Et  
num Episcopi dispensatio profit pro  
foro externo?
- VII. Pralati regulares, qui gaudent  
quasi Episcopali jurisdictione, dis-  
pensare possunt cum suis subditis  
in iis irregularitatibus, in quibus  
possunt Episcopi cum propriis sub-  
ditis.
- VIII. Dispensatio in irregularitatibus,  
qua sit a Pontifice sine justa can-  
sa, est illicita; qua vero sit ab E-  
piscopo, est etiam invalida.
- IX. Etiam per verbum, Absolvo, dis-  
pensari potest irregularitas; qua-  
tenus ea est etiam quoddam vin-  
culum, quo Irregularis irretitur,  
& per dispensationem dissolvitur.
- X. Viriute jubilai non potest conferri  
dispensatio in irregularitatibus ul-  
lis, etiam irregularitates ex deli-  
cto essent censurae, aut pena Ec-  
clesiastica.
- XI. Dispensatio in Irregularitatibus non  
semper est totalis. Qui dispen-  
satur indefinite ad Ordines, probabi-  
lius ad omnes Ordines, etiam ma-  
iores, dispensatur.
- XII. Probabiliter ratabilitio Superioris  
de presenti, qua sufficit ad juris-  
dictionem conferendam, satis est  
ad dispensandum in irregularitati-  
bus.
- XIII. Num ad obtinendam dispensatio-  
nem in pluribus irregularitatibus  
exprimi debeat numerus delictorum,  
ob qua sunt contracta?

I. Certe tollum est primo, multiplici-  
ter tolli posse irregularitatem.  
Primo, si tollatur causa irregularita-  
tis, juxta illud, Cessante causa cessat  
effectus; In quo differt a censura;

Pars VIII.

hæc enim, etiam cessante contumacia,  
tolli debet per absolutionem, ut  
diximus; Quare qui est irregularis,  
verbi gratia, quia est illiteratus, ac-  
quisita scientia sufficienti, liber est i-  
psò facto a tali irregularitate; sic qui  
recenter est baptizatus, elapsis decem  
annis post baptismum, non dicitur  
amplius Neophytus, & sic amittit ta-  
lem irregularitatem: Et idem dicas  
de pluribus aliis irregularitatibus,  
præsertim quæ proveniunt ex defectu  
corporis, vel animi (excepta ea, quæ  
oritur ex morbo caduco, vel furia;  
quia etiam post sanitatem remanet ta-  
lis irregularitas, ex canon. 3. & 4. &  
5. dist. 33.) Pariter cessante servitute,  
cessat irregularitas; Cessat etiam sub-  
lata illegitimitate per subsequens ma-  
trimonium: Irregularitas vero orta  
ex infamia facti cessat per mutatio-  
nem vitæ, aut loci; Et quæ oritur ex  
infamia juris, cessat, si hæc per senti-  
entiam, aut aliter abeat; Irregulari-  
tates tamen, quæ oriuntur ex actu  
præterito qua tali, & non qua mo-  
raliter perseverante, ut sunt omnes  
irregularitates ex delicto, ex bigamia,  
ex defectu lenitatis, &c., nunquam  
cessant sine dispensatione.

Secundo per professionem religio-  
sam tollitur irregularitas ex defectu  
natalium relate ad suscipiendos Ordini-  
nes; quamvis non relate ad prælaturas.  
Verum tamen est, plurimas Reli-  
giones habere privilegium, ut etiam  
illegitimi possint eligi in Prælatos. Sot-  
tentit, per professionem religio-  
sam tolli omnem aliam irregularita-  
tem, excepta bigamia, & homicidio  
voluntario: Sed hoc communiter ne-  
gatur.

III. Tertio tollitur irregularitas per  
dispensationem, non vero per abso-  
lutionem; nam absolutio rigorose di-  
cta importat actum judiciale libe-  
rantem reum a suo reatu; Contra ve-  
ro dispensatio exceptionem a lege com-  
muni

muni significat; Quando autem Pontifex dispensat in irregularitate, non exercet actum judiciale, sed solum eximit irregularem a prohibitione communi. Præterea absolutio est juxta jus, dispensatio vero est contra jus; unde fit, ut reum peracta pœnitentia debat Judex absolvere, nunquam tamen tenetur Judex in irregularitate dispensare.

III. Quæritur nunc primo; An etiam per baptismum tollatur irregularitas?

Respondeo cum Avil. disp. 10. dub. 2., nullam irregularitatem proprie loquendo tolli per baptismum; siquidem ante baptismum nemo est irregularis, cum non sit subditus legibus Ecclesiasticis. Verum improprie loquendo irregularitates ex delicto per baptismum tolluntur, quatenus cum baptismo consurgunt: Contra tamen irregularitates ex defectu per baptismum non tolluntur, quatenus cum baptismo consurgunt. Quare bigamus ex delicto, & homicida, si baptizentur, non sunt irregulares, sed sunt irregulares, si baptizentur cæci, claudi, &c., nec non bigami, quando bigamia oritur ex defectu significationis, & non ex delicto, ut notat Avil. ex August., D. Th., & aliis. De irregularitate tamen ex defectu lenitatis varie sentiunt Doctores apud eundem Avil.. Aliqui putant cum Covarr. non tolli per baptismum, cum non fundetur in delicto: Alii probabilius cum Henr., Sylvest. putant tolli, quia licet non fundetur in peccato, fundatur tamen in illo titulo ministri justitiae, vel militis, qui tollitur per baptismum, per quem homo mutatur in ovem mansuetam.

IV. Quæritur secundo; Quinam possit in Irregularitatibus dispensare?

Respondeo, cum omnis irregularitas proveniat ex jure Pontificio, potest Pontifex in omnibus dispensare: Episcopus vero jure ordinario non potest;

cum non possit inferior in lege superioris dispensare, nisi ei concedatur. Conceditur tamen Episcopis primo a Trident. cap. 6., ut dispensare possint cum suis subditis in irregularitatibus provenientibus ex delicto occulto, & non deducto ad forum contentiosum, excepto homicidio voluntario: Præterea in cap. 1. *de filiis Presbyteror.* in 6. conceditur Episcopis facultas dispensandi cum illegitimis ad ordines minores, & beneficium simplex, excepto Canonicatu Cathedralis Ecclesie, qui requirit Ordinem Sacrum. Possunt etiam Episcopi dispensare juxta probabilem opinionem (ut videre est apud Dian. part. 4. tract. 20. resol. 64., & sequentibus, & part. 7. tract. 2. resol. 25., & sequentibus) tum in irregularitate veræ bigamie quoad Ordines minores, & simplex beneficium; tum in irregularitate occulta ex defectu natalium; tum in irregularitate ex defectu lenitatis; tum in ea ex mutatione alicujus membra; tum demum in proveniente ex homicidio casuali etiam publico, & in orto ex repentina rixa, et si directe volito, necon in aliis casibus, ut constabit ex dicendis de irregularitatibus in particulari.

V. Dubium est primo; An possit Episcopus dare alteri facultatem, ut secum dispenset in iis irregularitatibus, in quibus potest ipse cum aliis dispensare?

Respondeo, ut diximus de Censuris, affirmative; tum quia non debet esse Episcopus inferioris conditionis, quam Clerici inferiores; tum etiam quia iurisdictio hæc non est contentiosa, sed gratiosa; ergo potest Episcopus alteri committere, ut eam exerceat in ipsummet: Immo propter eandem rationem potest ipsam sibi dispensare: Et idem dicitur de dispensatione votorum, & aliarum legum, quando queritur, an possit Episcopus immediate secum in iis dispensare.

Ita

Ita Bonac., Avil., Suar., & alii communiter.

Dubium est secundo; An possit Episcopus dispensare cum religiosis existentibus in sua Diœcesi?

Respondeo cum Avil. part. 7. disp. 10. dub. 5., posse ex aequitate juris tam Prælatum monasterii exempti, quam Religiosum particularem de licentia sui Prælati sponte quoad hoc se subjecere Episcopo, & sic ab eo dispensari; sicut etiam a Censuris Papæ reservatis ex delicto occulto provenientibus absolvvi. Ratio est, quia per exemptionem non deperditur id, quod est favorable.

Dubium est tertio; An possit Episcopus dispensare cum suis subditis extra propriam Diœcesim?

Respondeo cum eodem Avil. loc. cit., & Henr., quod licet possit Episcopus absolvire suos subditos extra territorium tam a peccatis, quam ab excommunicatione non reservata, eo quod talis jurisdictione sit gratiosa; non potest tamen dispensare in hujusmodi irregularitatibus, & aliis casibus Papæ reservatis, ut docent communis; quia id restringit Concilium sess. 24. cap. 6. dicens, quod id possint in Diœcesi sua per seipso, sive per Vicarium ad id specialiter deputandum.

Dubium est quarto; Quid veniat hic nomine subditorum erga Episcopum?

Respondeo, venire tam eos, qui in ejus Diœcesi domicilium habent; quam qui in ea commorantur majori anni parte, ex Sanch. lib. 3. de Matrim. disp. 23.; necnon peregrinos, quales sunt scholastici, mercatores, &c. propriam Diœcesim habentes, ad quam brevi sunt reddituri, ex Dian. part. 7. tract. 2. resol. 2.; Ac demum vagos, ex Sanch. loc. cit.

VI. Dubium est quinto; An possit Episcopus dispensare in irregularitate proveniente ex delicto deducto in fo-

rum contentiosum, quando judicium est jam finitum, & reus est punitus, aut absolutus?

Respondeo cum Avil. loc. cit. dub. 7., Henr., Laym. contra Bonac., & Guttier. affirmative: Ratio est, quia intentum Concilii fuit conservare auctoritatem judicibus; haec autem nihil immittitur in casu nostro; cum jam judex functus sit officio suo.

Dubium est sexto; An dispensatio hujusmodi data ab Episcopo proposita etiam pro foro externo?

Respondeo cum Pal. affirmative; Ratio est ex Sanch. lib. 2. in Decalog. cap. 2., quia illa verba apposita in Trident. pro foro conscientia non cadunt supra dispensationem in irregularitatibus, sed supra solutionem a reservatis; ut intelligatur relinquere judicibus potestatem puniendo delicta, quoties in judicio probantur.

VII. Dubium est ultimo; Possintne Prælati Regulares dispensare cum suis subditis in iis casibus, in quibus potest Episcopus cum suis subditis?

Respondeo affirmative. Ratio est, quia, ut docet Hurt., & alii apud Dian. part. 7. tract. 2. resol. 5., in Trident. loc. cit. nomine Episcoporum veniunt etiam Prælati Regulares, videlicet Generalis, & Provincialis, quippe qui quasi Episcopalem jurisdictionem habent cum suis subditis: Et consequenter, sicut Episcopi, ut supra diximus art. 2., possunt probabiliiter dispensare etiam in irregularitate proveniente ex homicidio omnino occulto, quod scilicet probari non possit in judicio; ita etiam dispensare possunt in eadem Generales, & Provinciales cum subditis suis.

VIII. Quæritur tertio; An ad licite dispensandum in irregularitate requiratur aliqua causa, & quænam?

Respondeo cum Avil. hic disp. 10. dub. 1. procul dubio requiri causam: Quod probatur tum ex Trident. sess.

23. cap. 14, quod dicit, cum promotis per saltum, si non ministraverint, Episcopus ex legitima causa poterit dispensare; tum ex D. Th. p. 2. quæst. 97. art. 4., ubi universim docet, quod dispensatio in quacumque lege, si fiat sine causa, est illegitima.

Notandum tamen, quod si dispensatio fiat sine ulla causa a Pontifice, erit illicita, sed valida, ut docet idem Avil. contra Ananiam, & Cardinal.; quia in iis, quæ pertinent ad jus humanum, Papa non est dispensator, sed legislator, & dominus: Contra vero Episcopus illicite, & invalide dispensabit, quando conceditur illi facultas dispensandi ex justa causa: Immo etiam quando datur illi facultas dispensandi absolute. Ratio est, quia, ut docent communiter Doctores inde legibus, invalida est dispensatio obtenta sine justa causa a Prælatis dispensantibus in jure communi. Verum tamen est, majorem causam requiri ad dispensandum in irregularitate graviori: Exempli gratia, ad dispensandum in bigamia requiritur magna causa, quia inducta est ab Apostolis, & est quædam imitatio juris divini; major etiam causa requiritur ad suscipiendos novos Ordines, quam ad ministrandum in susceptis.

IX. Quæritur quarto; Quanam forma dispensetur in irregularitatibus?

Respondeo, non requiri verba determinata, sed solum signum externum manifestans voluntatem Superioris. Solent tamen hujusmodi verba adhiberi: Dispenso in irregularitate, quam propter hanc causam contraxisti, teque habilem efficio ad suspicionem, & executionem Ordinum, & officiorum tuorum, quantum possum, In nomine Patris, &c. Si dicatur, Absolvo te ab irregularitate, &c., adhuc valida est dispensatio, ut communiter docent Recentiores; quia quamvis verbum, Absolvo, cadat po-

tius supra censuras, adhuc tamen potest aliquo modo cadere supra irregularitatem, quatenus est vinculum quoddam, quod per dispensationem dissolvitur.

X. Quæritur quinto; An virtute Jubilæi possit quis dispensari in irregularitatibus ex delicto provenientibus?

Respondeo, Thomistas docentes, irregularitatem ex delicto esse censuram, id afferere cum Sot., Bagn., Medin., Can., Cordub., & aliis; quamvis Sot., & Medin. negent posse absolviri irregularitatem ortam ex homicidio; quia in tali casu non solum habetur irregularitas ex delicto, sed etiam ex defectu lenitatis; quod tamen falsum esse ostendimus art. 2. Quare Guttier. cap. 3. Canon. quæst. affert etiam irregularitatem ex homicidio posse per bullam Cruciatæ, atque adeo vi etiam Jubilæi dispensari.

Nonnulli vero, qui cum communione negant, irregularitatem esse censuram, adhuc afferunt posse vi Jubilæi absolviri. Ratio est, quia saltem irregularitas ex delicto est poena Ecclesiastica; cum autem vi jubilæi possit quilibet absolviri a censuris, & aliis sententiis, & poenis Ecclesiasticis, ut dicitur in Bulla; sequitur, quod possit etiam ab irregularitate ex delicto absolviri, seu dispensari. Ita nonnulli apud Summam Dian. V. Censuræ num. 1., & sententiam hanc probabilem docet Hear. de Indulgent. cap. 13.

Verum communis opinio negat cum Avil. part. 7. disp. 10. dub. 4., tum quia irregularitas non est censura, ut notavimus quæst. 1. art. 1.; tum etiam quia in Bulla Jubilæi, quando dicitur, quod possit quilibet absolviri ab omnibus censuris, & aliis sententiis, & poenis, nomine poenæ non venit irregularitas ex delicto, sed vel suspensio imposita a Confessario, ne ad tempus aliquis celebret, vel communiceat; vel poena qua Canones mandant

dant per aliquod tempus aliquem ad communionem non admitti; ut docet Navar. apud eundem Avil. Et ratio est, quia in eadem Bulla subduntur haec verba: *Propter presentes autem super aliqua irregularitate publica, vel occulta non intendimus dispensare.* Neque dicas, haec verba debere intelligi de irregularitate ex defectu; Nam ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus. Quare etiam dato, quod irregularitas ex delicto dici possit non solum poena Ecclesiastica, sed etiam censura, tamen adhuc vere, & proprie venit sub nomine irregularitatis; cum ergo Pontifex super ulla irregularitate non permittat dispensari, sequitur, quod nec super irregularitate ex delicto. Adde ex Bonac. quæst. ult., idcirco in Jubilæis concedi facultatem absolvendi ab omnibus censuris, & poenis, ut possint fideles, sublato tali impedimento, lucrari jubilæum; atqui irregularitates non sunt impedimentum ad consecutionem jubilæi; ergo non est cur debeant per jubilæum dispensari. Unde Mendo in Epitome V. *Irregularitas* num. 11. dicit, non posse sine formidine fateri, certo probabilem esse sententiam contrariam; quamvis illam doctissimi viri teneant; quia stylus Curiae, qui facit jus, tali sententiæ adversatur.

XI. Quæritur sexto; An dispensatio in irregularitate semper debeat esse totalis?

Respondeo cum communis negative; potest enim irregularis aliquando dispensari, verbi gratia, ad unum Ordinem, non ad omnes, vel dispensari ad usum Ordinis suscepiti, non vero ad alios suscipiendos. Unde dispensatus ad Ordines minores non potest promoveri ad maiores, & dispensatio ad Ordines maiores non includit dispensationem ad beneficia curata, seu quæ prælationem, & jurisdictionem

nem habent: Immo dubium est apud Sanch. lib. 8. de matrim. disp. 1., an dispensatio ad Ordines includat dispensationem ad beneficium simplex; Multi enim affirmant; Sed ipse Sanch. cum aliis negat, si dispensatio sit ad Ordines minores tantum; quia isti non necessario connectuntur cum beneficio simplici: Econtra, dispensatus ad Subdiaconatum, verbi gratia, censetur dispensatus ad Ordines minores, cum non possit ordinari per saltum; & dispensatus ad exercitium Ordinum majorum censetur etiam ad exercitium minorum; Sicut dispensatus ad beneficium, quod exigit aliquem Ordinem, censetur dispensatus ad tales Ordines.

Qui tamen indefinite dispensatur ad Ordines, multi tenent apud Sanch. lib. 4. de matrim. disp. 1., quod non possit nisi minores Ordines suscipere; eo quod dispensatio, utpote odiosa, (est enim odium juris, & veluti vulnus legis) stricte interpretanda sit, ex cap. 1. de filiis Presbyterorum. Suar. tamen fact. 3. existimat, regulam hanc non esse universaliter veram; cum propositio indefinita sapientia aequivaleat universaliter, ita ut idem sit dicere, Dispensatio ad Ordines, ac Dispensatio ad Ordines omnes. Quare, quando verba indefinita stricte debeant interpretari, judicandum est juxta materiam subjectam, & juxta receptum verborum sensum.

XII. Quæritur septimo; An sit signum, quod Superior dispenset in irregularitate, si videat irregulariter exercere aliquem Ordinem; Verbi gratia, si videat aliquem publicum irregulariter celebrare, & confessiones audire, & tamen taceat, cum possit illum cohibere?

Respondent communiter negative; quia superior in tali casu patitur potius, quam agit, seu tolerat transgressionem potius, quam dispensat.

San-

Sanch. tamen lib. 8. de matrim. disp. 1. cum aliis affirmat, quoties Prælatus facile contradicere potest, & non contradicit, sed tacet: talis enim taciturnitas est quædam ratihabitio de præsenti; quæ cum sufficiat ad confessiones audiendas, seu ad jurisdictionem communicandam, a fortiori sufficit ad dispensandum.

XIII. Quæritur ultimo; An ad obtinendam dispensationem oporteat exprimere numerum delictorum, propter quæ contracta est irregularitas?

Respondeo cum Avil. loc. cit. dub. 8., Bonac., & aliis contra Rodriq. part. 1. cap. 182., quod quamvis opus sit exprimere delicta diversæ rationis; (quandoquidem ob illa incurruunt diversæ irregularitates) non est tamen opus exprimere numerum delictorum ejusdem speciei: Quare si quis excommunicatus plures celebravit, quamvis non possit dicere, quod semel censuram violaverit per exercitium Ordinis Sacri, tamen satis est, si dicat, se esse irregularem, quia celebravit excommunicatus. Ratio ex Navar. est, quia hic est stylus Curiae. Et quamvis controversum sit apud

Doctores, utrum qui propter eandem causam pluries repetitam incurrit excommunicationem, vel irregularitatem, plures, an unam tantum excommunicationem, aut irregularitatem incurrat; & communius cum Navar. doceant, quod plures: Nihilominus quoad proxim parum refert, utrum sint una, an plures; quia censentur esse una gravior, & una sublata ex stylo Curiae tolluntur omnes; ut fuse Avil. ostendit cum de excommunicat. part. 2. cap. 6. disp. 2. dub. 3.

Con. tamen num. 112. ex Sua. disp. 44. sect. 3. putat, quod qui plures homines occidit, debeat exprimere numerum homicidiorum. Avil. vero docet, quod si quis occidat Presbyterum, non satis sit dicere, quod occiderit hominem, quia jura jubent exprimi delictum, ob quod contracta est irregularitas; Presbytericidium autem est delictum gravissime qualificatum, & longe gravius homicidio; unde exprimi debet. Sic etiam qui suspensus, & excommunicatus celebravit, debet utramque censuram exprimere.

QUÆ

## Q U A E S T I O IX.

De Irregularitatibus in particulari, tum ex delicto,  
tum ex defectu.

**D**escendimus ad agendum de Irregularitatibus in particulari; de iis præsertim, quæ magis usui sunt, & plus habent difficultatis. In primo articulo agemus de variis Irregularitatibus ex delicto, puta de Iteratione baptismi; de Violatione Censuræ per exercitium Ordinis Sacri; de Clerico exercente Ordinem Sacrum, quem non habet; de indigna Sacrorum Ordinum susceptione, ac de Hæresi, aliisque criminibus infamiam inducentibus. In secundo agemus speciatim de Homicidio, ac Mutilatione injusta. In tertio agemus de Irregularitate ex defectu lenitatis. In quarto demum de aliis Irregularitatibus ex defectu.

### ARTICULUS I.

De variis Irregularitatibus ex  
delicto.

- I. *Irregularitas ex iteratione Baptismi & quibusnam incurritur? Ob iterationem Confirmationis, aut Ordinis irregularitas non incurritur.*
- II. *Innodatus censura, quamvis toleratus, irregularitatem incurrit per exercitium Ordinis Sacri. Quinam dicatur Ordines Sacros exercere?*
- III. *Clericus etiam ministrans in Ordine Sacro, quem non habet, requiritur autem, & quod exterius talem Ordinem exerceat, & quod habeat intentionem illum exercendi.*
- IV. *Incurritur etiam irregularitas aliquando per indignam susceptionem Ordinis Sacri, puta si conjugatus Sacris Ordinibus initietur. Dubitatur autem in multis casibus, num Suspenso dumtaxat, an vero Irregularitas incurritur?*
- V. *Pariter incurritur propter enormia crimina, puta propter Hæresim,*

*& Apostasiam tam a fide, quam a religione, & propter crimina infamiam inducentia. Hæresis tamen, & Apostasia occulta probabiliter irregularitatem non inducunt.*

**VI.** *In Bulla Cœna casus Hæresis occulte reservatur Pontifici quoad absolutionem a culpa, & censura, non vero quoad dispensationem in irregularitate: Et probabiliter etiam per Vicarium Episcopi potest talis dispensatio conferri, non tamen absolvio.*

**I.** **P**rima irregularitas ex delicto habetur ex iteratione Baptismi. Certum autem est, irregularitatem hanc incurrire tam rebaptizatum, quam scienter rebaptizantem; sicut etiam qui solemniter, seu publice, & ex officio ministrat. Non incurrit tamen irregularitatem, qui sub conditione rebaptizat, etiamsi debitam inquisitionem non præmittat; nec qui metu adactus simular Baptismi collationem; quamvis mortaliter peccet, ut notat Laym. hic.

Addes, quod etiam irregularitatem incurrit, qui citra necessitatem baptizari se finit ab hæretico, ex cap. A.

fras

fros dist. 98.; necnon qui differt baptismum usque ad ægritudinem mortalem; & qui adhuc est Neophytus, seu recenter baptizatus; hic enim quamdiu neophytus est, ne ad minores quidem Ordines potest promoveri. Ad Episcopum autem spectat decernere, quamdiu durat status neophyti, considerata qualitate, & doctrina personæ, quamvis universum per decennium durare soleat.

Hujusmodi irregularitates non tolli per susceptionem baptismi, manifestum est, cum imponantur ob ipsam baptismi susceptionem vel dilatam ad ægritudinem, vel recenter factam.

Pro iteratione aliorum Sacramentorum imprimentum characterem, puta Confirmationis, & Ordinis, parvissim irregularitatem incurri docent nonnulli apud Laym.; Sed communior sententia negat, quia non est id in jure expressum.

II. Secunda irregularitas ex delicto contrahitur per exercitum Ordinis Sacri cum violatione censuræ. Certum quippe est, innodatum excommunicatione majori, vel suspensione, aut interdicto, etiamsi sit occultus, & toleratus, irregularitatem incurrire exercendo solemniter, seu ex officio actus Ordinis majoris; nisi excusat necessitas vitandi scandalum, aut ignorantia, &c., ex cap. *Is qui, de sententia excommunicationis*. Quare primo hanc irregularitatem incurrit, qui canit in choro, tanquam hebdomadarius cum Dominus vobiscum; quia hoc modo ab initiatibus solum Ordinibus Sacris canitur. Secundo, Subdiaconus canens Epistolam cum manipulo, & Diaconus canens Euangeliū cum stola. Tertio, qui baptizat solemniter, & qui consecrat aquam ad aspergendos fideles; cum isti sint actus Ordinis Sacri; secus vero qui baptizat privatim. Quarto, qui absolvit sacramentaliter, etiamsi absoluto-

tio ex indispositione pœnitentis sit invalida. Quinto Sacerdos benedicendo sponsos, faciendo solemnitates baptismi, necnon Sacerdos, vel Diaconus ministrando Eucharistiam; Non vero si Sacerdos assistat matrimonio, quia talis assistentia non est actus Ordinis, immo nec proprie jurisdictionis. Ac demum Episcopus exercendo Ordinem Episcopalem. Qui tamen duplē censuram specie diversam violat, duplē irregularitatem incurrit; sicut duplē excommunicationem, qui excommunicatum vietandum in loco interdicto sepeliret.

In hac irregularitate, sicut & in superiori de iteratione baptismi, solus Pontifex dispensare potest, nisi delictum sit occultum; tunc enim ex privilegio Trident. potest etiam Episcopus.

III. Tertio imponitur in jure irregularitas Clerico ministranti in Ordine Sacro, quem non habet, modo scienter, serio, & ex officio ministret. Ita habetur *cap. 1. & 2. de Clerico non ordinato ministrante*. Hinc sequitur, quod nec laicus Ordinem Sacrum exercens, nec Clericus, qui per jocum, & representationem, aut ignorantia crassa ministrat, irregularitatem incurrit: Sicut nec Clericus, qui Epistolam sine manipulo, aut Euangeliū sine stola canit; cum sic non canat solemniter, seu ex officio, sed tantum dicitur uti officio Cantoris.

Præterea Clericus (non tamen subdiaconus) irregularitatem non incurrit, si canat Epistolam sine manipulo, etiamsi cum intentione exercendi Ordinem Sacrum, quem non habet; cum non sufficiat sola intentio, nisi etiam exterius exerceatur solemnitas Ordinis Sacri: Nec irregularitatem incurrit, si canat Epistolam cum manipulo sine intentione exercendi Ordinem Sacrum, sed solum ad supplendum

dum defectum subdiaconi, ut docet hic Bonac.; quia ad irregularitatem incurrendam utrumque requiritur, & actus externus prohibitus, & intentione exercendi illum sub ea ratione, sub qua est prohibitus.

Sacerdos vero ministrans sine facultate debita Sacramentum Eucharistiae, Pœnitentiae, & Extremæ Unctionis non incurrit irregularitatem; quia non exercet actum Ordinis, quem non habet, sed jurisdictionis: Contra tamen Clericus absolvens sacramentaliter serio, & scienter, quamvis Sacramentum non conficiat, illam incurrit, ut communiter docent cum Bonac., Avil., Filliuc. contra Sylvest.; sicut etiam si referat in choro munus hebdomadarii, aut si benedicat Sponsos, aut si per saltum promotus exerceat Ordinem prætermisum; cum exerceat in his casibus actum Ordinis, quem non habet. Diaconus tamen si solemniter baptizet sine licentia Parochi, vel Episcopi, incurrit irregularitatem, ut notat Avil. ex Henr., Navar.: Si vero de licentia Parochi, vel Episcopi solemniter baptizet, nec peccat, nec est irregularis, quia ad Diaconi munus spectat de licentia Parochi id præstare.

In hac irregularitate solus Pontifex dispensare potest, ut ad superiores Ordines ascendatur: Ut vero in suscepis ministretur, etiam Episcopus, quamvis delictum sit publicum; ut notant hic Bonac., Avil., & alii.

IV. Quarta irregularitas ex delicto incurrit aliquando per indebitam susceptionem Ordinis sacri. Certum quidem est, eam incurri a conjugato recipiente Ordines Sacros: Dubium vero apud Doctores est primo utrum irregularitatem, an suspensionem incurrit, qui ligatus aliqua censura recipit Ordines Sacros; Nam Avil. Henr., & alii apud Bonac. docent, hunc incurtere irregularitatem;

Filliuc. vero, Suar., Con. incurtere suspensionem. Secundo idem dubium procedit apud Doctores de eo, qui eodem die recipit minores Ordines cum Subdiaconatu, inscio, & non advertente Episcopo; aut duos Ordines Sacros, aut ultimum minorum Ordinum cum Subdiaconatu. Notat tamen Busenb. ex Navar., Henr., Vasq.. Suar., & aliis, quod non solum possit Episcopus dispensare, ut eodem die omnes Ordines minores recipientur, sed etiam, si consuetudo alicubi sit, simul cum subdiaconatu: Tertio dubium pariter est, suspensionemne, an irregularitatem incurrat, qui recipit Ordines per saltum, & qui ordinatur furtive, hoc est nesciente proprio Episcopo, non approbante, & examinante: Quarto idem etiam dubium recurrat de recipiente Ordines ab Episcopo, qui sue dignitati, hoc est jurisdictioni, & executioni Ordinis Episcopalis renunciavit. In his omnibus dubiis fatendum potius suspensionem tantum incurri; quia irregularitas non incurrit, nisi sit injure expressa. Semper tamen Episcopus dispensare in iis potest, si delictum sit occultum, ex Trident. non vero si sit publicum.

V. Quinto certum est ex cap. *Sanctorum Inberrium quest. 1. cap. 2.*, de heret. in 6., irregulares esse tam hereticos, quam Apostatas a fide, & eorum fautores, ac defensores.

Unde sequitur primo, non esse irregularē qui exterius heresim profert, sed interius bene sentit, ut docet Suar. contra Ugolin., quia non est vere hereticus: Contra vero juxta sententiam probabiliorem apud Bonac. est irregularis Apostata, qui exterius per metum adorat idolum, licet animo non adoret; quia revera peccat contra præceptum fidei negativum; unde vere est Apostata, & consequenter subjacet penitis heret.

A a ti-

*Pars VIII.*

ticorum, ex cap. *Non potest.* 2. quæst. 7.

Secundo sequitur, non esse irregulares ex hoc capite, qui dæmonem sine hæresi colunt, aut cum eo pactum ineunt; quamvis ex alio capite, videlicet ex suspicione hæresis, ex qua confurgit infamia, fieri possint irregulares, donec purgent suspicionem.

Tertio, nec esse irregulares Schismaticos, quando schisma non est conjunctum cum hæresi, ut communiter docent contra Ugolin.; quia non est expressa in jure talis irregularitas.

Quarto, esse irregulararem, qui cogitur in iudicio abjurare ab hæresi probata; quia hic censetur vere hæreticus.

Adde, non solum Apostatam a fide, sed Apostatam a religione esse irregularēm; ut docent Bonac., Ugolin., & alii ex cap. *Fini, de Apostatis;* ubi dicitur, Apostata a religione non esse admittendus ad Ordines durante eo statu.

Addē ulterius, esse etiam irregulares filios hæretorum usque ad secundam generationem per lineam paternam, & usque ad primam per maternam, ex cap. *Satuum 2., de hereticis;* Quod tamen intelligendum, dummodo parentes mortui sint in delicto hæresis. Si tamen filius natus sit ante lapsum parentis in hæresim, putant probabilius Bonac., Sanch. contra Suar., Filliuc., quod non sit irregularis; tum quia versamur in materia odiola, quæ benigne est interpretanda; tum a pari, quia filii reorum criminis laſa maiestatis non subjacent penis, quibus subjacent nati post delictum; ergo ita in casu nostro.

Dubium est; an Hæresis, & Apostasia occulta irregularitatem inducant?

Affirmant Bonac., Sylvest., Navar.,

Negant tamen Laym., Henr., Avil., quia non propter hæresim, & apostasiam secundum se, sed quatenus juris infamiam annexam habent, videatur irregularitas ista de cœta: Præsertim cum dicatur in cap. *Abolendum:* *Quicumque manifeste fuerit in hæresi deprehensus.* Quænam autem crimina infamiam inducant, dicemus cum de irregularitatibus ex defectu; Et enim tam infamia juris, quam facti, quæ irregularitatem inducent, stare possum finē patrato delicto.

VI. Rogabis; Quisnam possit irregularitate ob hæresim contracta dis pensare?

Respondeo cum Suar., Sanch., Bonac., probabiliter posse etiam Episcopum, si crimen sit occultum, ex Trident. sess. 24. cap. 6.; quia quamvis in Bulla Cœna reservetur hic casus Pontifici, reservatur tamen quoad absolutionem a culpa, & censura, non quoad dispensationem ab irregularitate: Et idcirco putat Sanch. contra Suar., quod possit Episcopus etiam per Vicarium dispensare; quia in Trident., sola absolutio ab hæresi occulta limitatur, ut Episcopus per seipsum illam concedat.

## ARTICULUS II.

De Irregularitate, quæ incurrit propter homicidium aut mutilationem injustam.

I. In quo differat homicidium voluntarium a casuale? Quandomam casuale inducit irregularitatem?

II. Ut mutilatio injusta irregularitatem paret, debet esse membris precipui.

III. Irregularitas incurrit ab omnibus ad homicidium concurrentibus, etiam ab eo, qui ex officio tenetur illud impedire, & non impedit; non tamen a ratihabente.

IV.

*IV. Mandans homicidium, morte non secuta, excommunicationem quidem incurrit, non vero irregularitatem.*

*V. Concurrens ad homicidium, si doleat de culpa, antequam ille moriatur, morte secuta, irregularitatem incurrit, sed probabiliter non incurrit excommunicationem.*

*VI. Quid si mandatum de homicidio, aut consilium revoceatur?*

*VII. Quid si plures ad homicidium concurrent ex subita rixa, sed unus tantum infligit vulnus lethale?*

*VIII. Si quis effet in causa, ut alter illicite exponatur periculo moris, hac secuta, irregularitatem incurrit.*

*IX. Episcopus in irregularitate orta ex homicidio voluntario, quamvis occulto, dispensare non potest: potest tamen, si oriatur ex casuali;*

*Quid si illud sit omnino occultum, ita ut in judicia probari non possit?*

*X. Homicidium casuale non parit irregularitatem, si sine gravi culpa patratum sit. Nec si patretur ab ebrio, vel dormiente, qui illud non prævidet.*

*XI. Qui dat operam rei illicita periculosa, secuta alienus morte, incurrit irregularitatem, quamvis diligentiam adhibuerit ad homicidium præcavendum.*

**I.** *Homicidium injustum, (& idem dicas de mutilatione) vel potest esse Voluntarium, vel Casuale, ut si quis volens Petrum dumtaxat ferire, vel graviter percutere, illum casu, & præter intentionem occidat: Utrumque irregularitatem inducere potest; si tamen ex gravi culpa procedat; Quando autem inducat, hic examinandum. In articulo vero sequenti agemus de homicidio justo, sive fiat in bello justo, & ratione propriæ*

defensionis, quod dicitur necessarium; sive in judicio ratione publicæ potestatis, quod dicitur legitimum.

Quæritur primo; Quid sit homicidium voluntarium, prout differt a casuali?

Respondeo, voluntarium homicidium dici illud, quod directe intenditur ab homicida vel in se, vel in sua causa; ut si præbeat alteri venenum, aut ense illum percutiat in capite; sic enim ponit causam morali necessitate inductivam mortis: Quare in hoc differt a casuali, quod hoc non intendatur ab operante: Quamvis irregularitatem etiam inducat, ut videbimus, quando homicidium præter intentionem sequitur per hoc, quod operans non adhibuerit debitam diligentiam ad illud præcavendum; præterim si dabat operam rei illicite.

II. Idem dicendum de mutilatione, quæ ramen debet esse membra præcipui, puta manus, pedis, oculi, &c. Immo etiam si dimidia manus amputetur, ut docet Suar., cum communiore Canonistarum: Contra vero non incurrit irregularitas, si amputetur unus tantum digitus, quicumque sit, sive cartilagines, quæ deserviunt ad ornatum, & tutelam aurium, sive dentes, unguis, labia, nasus, testes, mamillæ, &c. Nec si quis excæctetur non eruendo oculum; aut si membrum tantum debilitetur sine amputatione.

Adde, dici etiam casuale homicidium voluntarium commissum in sui defensionem sine moderamine debito apud Dian. part. 9. tract. 7. resol. 22., sicut etiam si non sit factum ex industria, & per insidias, sed ex subita ira.

III. Quæritur secundo; An irregularitas propter homicidium voluntarium incurrit ab omnibus voluntarie ad illud concurrentibus?

A a 2 Re-

Respondeo affirmative; Quare non solum est irregularis, qui vel directa intentione alium occidit, vel ponit actionem, ex qua morali necessitate consequitur mors jam prævisa; sed etiam mandans, hortans, consulens, incitans, comminans, nisi quis alium occidat, animans suo favore, & auxilio, ut constat ex cap. *Siquis viduam, dift. 50.* Immo probabile est, ut notat Con., & Avil., eandem irregularitatem incurrere, qui tenetur mortem alicujus, vel mutilationem ex officio, seu ex justitia (non vero ex charitate tantum) impedire, & tamen non impedit.

An etiam irregularis sit, qui ratum habet homicidium suo nomine patratum, quod antequam fieret, poterat mandari? Aliqui affirmant, quia ratihabito in hoc casu comparatur mandato; ergo sicut mandans, ita ratum habens est irregularis; Sed Avil. cum Henr. negat; tum quia ratihabito in tali casu non est causa homicidii, cum sit illo posterior; tum etiam quia non est hoc in jure expreßum. Ratihabito autem comparatur mandato quoad culpam, non vero quoad pœnas, nisi exprimatur.

IV. Notandum tamen primo, morte non secuta, non incurri irregularitatem neque a ponente causam mortis, neque a mandante, consilente, &c.; nam quamvis mandans per assassinos aliquem occidi, incidat in excommunicationem, effectu non secuto, non tamen in irregularitatem; quia solum ibi imponitur in jure excommunicatione etiam effectu non secuto, non tamen imponitur irregularitas in mandante homicidium effectu non secuto: Immo, ut notat Con. num. 60., neque incurrit irregularitatem, qui alium lethaliter vulneravit, si aliunde, puta ex fulmine, ille moriatur, ita ut vulnus nullo modo concurrat ad citius moriendum.

V. Notandum secundo, quod irregularitas, morte secuta, incurrit ab homicida, & a cooperantibus ad homicidium, etiamsi illos poenituerit facti, antequam ille moriatur: Quamvis enim multi probabiliter putent, in tali casu non incurri excommunicationem, cum propter poenitentiam cœset contumacia, adeoque cœstat requisitum essentiale ad incurriendam censuram; At nemo dixerit, non incurri irregularitatem, quæ non praexigit contumaciam, cum sit pena delicti vindicativa, non medicinalis.

VI. Notandum tertio, mandantem, & consilientem, &c. debere suo mandato, vel consilio influere in homicidium; Quare si mandatarius dicat, vel aliunde id constet, occidisse illum ex inimicitia privata, aut alia de causa, in tali casu mandans homicidium irregularitatem non incurrit; si tamen dubitet, an suo mandato, vel consilio influxerit, etiam est irregularis, cum versetur in dubio facti circa homicidium, ut diximus quæst. precedent. art. 4. Quod si quis volenter occidere suadeat mutilationem tanquam minus malum, cum non peccet juxta sententiam probabilem, nec irregularitatem incurrit: Immo si determinatum ad occidendum suo consilio, vel mandato moveat ad citius, vel crudelius occidendum, Hurt. dift. 6. cum aliis contra Suar., Pal., Avil. putat, quod neque irregularitatem incurrit, quia non influit in homicidium simpliciter; siquidem alter jam erat determinatus homicidium patrare.

Notandum quarto, mandantem homicidium teneri ante effectum serio revocare mandatum, ut cœset omnis influxus mandati, & sic irregularitatem devitet: Quod si mandatarius adhuc post revocationem persistat in voluntate occidendi, tenetur mandans etiam ex justitia illum, quem in periculo vita posuit per suum mandatum,

rum, monere, ut sibi caveat; aliter irregularitatem non vitabit. Nec satis est, ut notat Suar. disp. 44. sect. 3., quod mandatarius a principio non acceptaverit mandatum; quia mandatarius semper existimat, quod mandans optet homicidium; unde quamvis mandatum non influxerit a principio, potuit tamen influere in decursu. Eodem modo consulens tenetur consilium revocare validioribus rationibus in contrarium: Quod si is, cui datum est consilium, persistat in voluntate occidendi, tenetur pariter consulens monere occidendum, ut sibi caveat; aliter irregularitatem incurrit, ex Suar. num. 13., Hurt. diff. 6.; Nisi tamen ille dicat, non ex consilio accepto, sed ex alia causa persistere in voluntate occidendi, ut notant Rodriq., & Avil.

Neque dicas; Qui lapidem projectat ad Petrum occidendum, quamvis illum lapidem conetur detinere, antequam Petrum occidat, non proinde irregularitatem vitabit, si mors sequatur; Sic etiam qui venenum propinavit, quamvis conetur mortem impedit, si non impedit, est irregularis; ergo etiam qui mandat, aut consultit homicidium, quamvis pro virili conetur mandatum, aut consilium revocare, adhuc est irregularis, si homicidium sequatur.

Nam ex Suar. num. 7. negatur consequentia. Disparitas est, quia lapis, & venenum sunt causa physica mortis, ut proinde si mortem causant, illi tribuenda sit, a quo mota fuerunt: Contra tamen consilium, & mandatum sunt causa moralis; unde si mandatarius Petrum occidit, potest illum occidere ex alio capite, quam ex vi mandati; atque adeo si mandatum sit sufficienter revocatum, ita ut constet non ex vi mandati secutum esse homicidium, irregularitas non incurrit.

VII. Notandum ultimo, quod quando plures, praemissō consilio, concurrunt ad occidendum Petrum, secuta in morte, omnes sunt irregulares, quamvis sciatur, quod ab uno tantum determinato sit occisus. Ita Avil. dub. 3. Ratio est, quia omnes illi fuerunt velut una causa moralis homicidii: Eodem modo est irregularis, qui homicidiam associavit animo illum defendendi, si succumberet, quamvis disuaderet illi homicidium. Ratio est, quia talis associatio auget animum delinquentis. Adde, quod si plures hominem talem occidunt, non praemissō consilio, sed ex rixa, ita tamen ut Petrus ab uno vulnere sit occisus, & nesciatur quisnam tale vulnus inflixit, tunc omnes pariter sunt irregulares, si de omnibus dubium sit, quod tale vulnus inflixerint; Si vero sciatur, quod Titius Petrum occiderit, Covarr. putat, quod solum Titius sit irregularis; Sed verius cum Avil. existimo, omnes pariter esse irregulares; quia omnes simul, quamvis non praemissō consilio, Petrum oppugnarunt, & sic concursum præbuere, tanquam una causa totalis moralis.

VIII. Quaritur tertio; An qui consultit alteri, ut illicite se exponat probabili periculo mortis, sit irregularis morte secuta?

Respondeo cum Avil. affirmative; quia sicut censetur homicida suimet, qui injuste, & temere se exponit periculo mortis; ita est homicida alterius, qui illum suo consilio temere, & injuste exponit periculo mortis: Exempli gratia, si faciat prælantem ingredi per te&tum domus, aut per alia loca periculosa. Eodem modo ex Avil. est irregularis, qui consultit Petro, ut occidat Paulum, & tamen Petrus occiditur a Paulo, quia exponendo Petrum periculo mortis injuste, reus est mortis Petri.

IX. Quaritur quarto; Quisnam pos-

fit

sit in homicidio voluntario dispensare?

Respondeo, solum Pontificem: Episcopus enim potest quidem in aliis irregularitatibus oitis ex occulto delicto dispensare; sed excipitur dumtaxat homicidium voluntarium; (diximus tamen quæst. 8. art. 3. num. 7., probabile esse, quod etiam in hoc homicidio possit Episcopus dispensare, si sit omnino occultum, adeo ut in iudicio probari non possit) Ex quo sequitur, quod possit Episcopus dispensare, si irregularitas proveniat ex homicidio casuali occulto; Necnon si ex mutilatione injusta occulta, ut communiter docent cum Avil., Suar. contra Sanch. tom. 1. Summ. cap. 10., Medin., Henr., & alios apud Bonac. Immo potest etiam dispensare, si proveniat ex homicidio volito in se, excedendo moderamen inculpatæ tutelæ, dummodo sit occultum; ut docent communiter cum Avil., Valent., Con. apud eundem Bonac.; quia tale homicidium non censetur voluntarium; cum non fuerit ex proposito, & ex voluntate absoluta occidendi.

X. Quæritur ultimo; Quandonam incurritur irregularitas propter homicidium casuale?

Respondeo, homicidium omnino casuale, quod sine culpa accidit, non ferre secum irregularitatem; ferre vero illam homicidium casuale, quando non est adhibita debita diligentia ad illud præcavendum, sed lata culpa intercessit; præsertim si secutum est dando operam rei illicitæ; Vixi, si præcessit lata culpa; nam si levis tantum, aut levissima culpa intercessit, irregularitas non contrahitur; cum hæc supponat peccatum mortale, ut communiter docent contra Cajet., Armil., & alios. Est autem lata, seu gravis culpa, seu negligentia, omissione illius diligentia, quam adhibere solent in simili casu prudentes, ac diligentes;

est vero levis, quam solent diligentes, levissima, quam diligentissimi.

Hinc sequitur primo, homicidium commissum ab amente, vel furioso non inducere irregularitatem, cum non sit voluntarium, nec peccaminorum; Voluntarium enim ex Aristotele est a principio cognoscente singula. Secundo, neque irregularitatem inducit homicidium commissum ab ebrio, vel dormiente, qui non prævidit illud secuturum; censetur enim esse casuale. Tertio, neque si committatur a puerō non habente usum rationis sufficientem ad peccatum.

XI. Dubium est apud Doctores celeberrimum; An universim qui dat operam rei illicitæ, morte secuta, sit irregularis, etiamsi adhibuerit diligentiam ad mortem præcavendam.

Respondeo, aliquos cum Sylvest. apud Avil. disp. 6. sect. 1. absolute affirmare; Alios vero cum Henr., Caño, Less., Bonac., Con. dub. 9. negare: Media via probabilius incedunt Avil., & Suar. disp. 45. sect. 6. cum aliis, dicendo, irregularitatem incurri, si detur opera rei illicitæ periculosa, etiamsi adhibita sit diligentia ad homicidium præcavendum; non vero si detur opera rei illicitæ non periculosa. Ratio est, quia in eo casu nunquam censetur adhiberi debita diligentia, nisi cessetur a tali operatione periculosa, quæ est proxima occasio mortis; quamdiu enim quis vult tale opus, vult causam, & periculum ad homicidium, atque adeo vult ipsum homicidium; puta si explodatur bombarda ad arcem; non vero si quis illicite apres venetur, & alia hujusmodi, quæ sine proximo periculo homicidii fieri possunt.

Juxta varias has sententias decidendum est; Sintne irregularares primo Aromatarii, qui ex rebus corruptis conficiunt medicinas; Secundo, qui præ-

præbet aliquid noxiū infirmo contra medici præceptum , aut consultū , aut tradi mandat , etiam si fiat titulus pietatis , ne infirmus diu patiatur ? Tertio , magister , qui in ira percutiendo discipulum ob correctionem excedit modum percussionis , unde sequitur mors ? Quarto , qui reficiendo , exempli gratia , tectum , projicit tegulam , unde viator occiditur ? Quinto , qui niveis pallis glacie confectis hysmalī tempore ferebantur , unde sequitur mors ? Sexto , qui custodit domi feram , quæ alios occidit ? Septimo , qui publicat adulterium Berta , unde occidatur a suis ? Octavo , qui joci causa terrorem incutit Berta peregrinanti , unde sequitur abortus ? Nono , si quis intendens occidere Petrum , occidat Paulum ? Decimo , si adulter deprehensus in adulterio est in causa , cur uxor a coniuge occidatur ? Undecimo , qui immoderate rixatur cum muliere prægnante , unde abortiatur ? Duodecimo , si quis aliquem non lethaliter vulneret , & tamen deinde moriatur ? In quibus , & similibus casibus alii aliter juxta dictas opiniones respondent .

## ARTICULUS III.

## De Irregularitate ex defectu lenitatis .

- I. Qui ad homicidium , necnon ad mutilationem concurrit in bello justo ; Necnon etiam in iudicio , tanquam minister iustitia , irregularitatem incurrit ex defectu lenitatis .
- II. Quinam excusentur ab hac irregularitate incurrienda ?
- III. Minoribus Ordinibus insignitus si se immisceat in causa sanguinis , quamvis irregularitatem incurrat , non tamen peccat : secus vero Beneficiatus , aut in sacris constitutus .
- IV. Accusator in causa criminali , secunda morte , quandonam incurrit hanc

- irregularitatem , si non protestetur , se non intendere pœnam sanguinis ?
- V. Quomodo fieri debeat talis protestatio ?
  - VI. Pariter irregularitatem incurrint Procurator , & Testis concurrentes ad mortem , non secus ac accusator . Probabiliter tamen excusat Testis , quando iure naturali teneatur ferre testimonium .
  - VII. Index irregularitatem incurrit , quamvis teneatur iure naturali reum damnare , quia sponte tale munus sumpsit ; secus vero Testis , & accusator , quando iure naturali tenentur testificari , & accusare .
  - VIII. Clericus in causa sanguinis solum in sui favorem potest testificari , premissa protestatione ; non tamen in favorem alterius , etiam si a Prelato id sibi præcipiatur .
  - IX. Qui in bello justo animant alios ad occidendum generatim hostes , irregularitatem non incurrint . Num sint irregularis , qui ad bellum iustum procedunt animo pugnandi , quamvis neminem occidant , aut mutilent , nisi in defensionem propriae vitæ ?
  - X. Alium occidens in sibi , vel suarum rerum defensionem , cum moderamine inculpare intela , nec peccat , nec irregularitatem incurrit . Quid autem requiratur , ut id fiat cum tali moderamine ?
  - XI. In Sacris constituti , si Chirurgiam exerceant incidente , & inuredo , peccant , sed irregularitatem ex defectu lenitatis non incurrint . Num etiam Beneficiatus id veteatur ?
  - XII. Num possit Episcopus in hac irregularitate dispensare ?
- I. Regularitates ex defectu recentimus artic. I. quæst. præced. Sunt enim ex defectu vel animi , vel corporis , vel natalium , vel ætatis , & libertatis , vel Sacramenti , seu ex bi-
- ga-

gamia , vel ex infamia , vel demum ex defectu lenitatis . Incipimus ab hac ultima , ut luculentius appareat , in quo differat irregularitas ex homicidio , ac mutilatione injusta ab hac irregularitate , quæ nullum delictum præsupponit , & dicitur esse ex defectu lenitatis . In sequenti deinde articulo perstringemus reliquas irregularitates ex defectu .

Incurrit irregularitatem ex defectu lenitatis , qui concurrit ad homicidium , vel mutilationem , tanquam Minister publicus justitiæ , & qui in bello justo aliquem occidit ; immo etiam si mutilet , ut docent communiter apud Leand. de Irregularit. tract. I. Unde fit , quemlibet Judicem Papa inferiorem ferentem sententiam mortis , vel mutilationis , ejusque assesores , cooperatores , satellites , comprehendentes , & torquentes reum , Notarium sribentem , vel legentem sententiam , &c. hanc irregularitatem incurre ; Non vero famulum transribentem sententiam a Judice dictatam , nec Confessarium , aliunve , qui hortando , ut damnatus scalam ascendat , vel alio simili modo accelerat alicui mortem , ut aperte docet Escob. in Summa cap. 5. , cum in jure hæc irregularitas ministris tantum justitiæ imponatur : Nec Doctor , qui interrogatus a Judice , an debeat reum morti tradere , respondet , quod debeat ; Nec qui persuadet reo , ut iuxta sententiæ acquiescat , quam non potest sine injusta appellatione differre ; quamvis Bonac. , & Avil. id non admittant .

H. Est tamen irregularis Judex Ecclesiasticus , qui Reo in carceribus detento cibum ita diminuit , ut citius moriatur ; quia hujusmodi sententia æquivalet sententiæ sanguinis , & mortis , ut notat Bonac. ex Molin. : Judex autem Ecclesiasticus , qui degradat Clericum , & eum tradit brachio seculari puniendum , non est irregu-

laris : Nec Inquisitores Sancti Officii , qui tradunt aliquos Judicii seculari comburendos , etiamsi nullam præmittant protestationem , ex Bonac. hic contra Con. , Et idem dicas de Accusatoribus , & Testibus ; cum in eo Tribunal id permittatur : Nec Princeps secularis , vel Clericus habens jurisdictionem temporalem ratione patrimonii , aut beneficii , &c. , si contineat Prætores , & alios Officiales , qui causas sanguinis inquirant , & delicta puniant ; Immo nec si mandet in aliquo particulari casu justitiam fieri : Secus vero si mandet executionem sententie jam latæ ; quia tunc directe juberetur occidi .

III. Hic tamen adverte ex Bonac. , quod si Laicus , vel Clericus minoribus Ordinibus insignitus intimeat se in causa justa sanguinis , non peccant ; irregularitatem tamen incurrit ex defectu lenitatis , eo quod non possint representare Christum , qui lenissimus , & mitissimus fuit : Contra vero Clericus Beneficiarius , aut in Sariis constitutus non solum incurrit hanc irregularitatem , sed etiam peccat mortaliter ; cum violet prohibitionem Ecclesiæ in re gravi .

IV. Quæritur nunc primo ; An Accusator in causa criminali , secuta morte , vel mutilatione , hanc irregularitatem incurrat ?

Respondeo affirmative cum Bonac. , Ugolin. , & aliis , dummodo non accuset , petendo satisfactionem pro injuria sibi , vel suis propinquis illata , & protestetur expresse , se non intendere poenam sanguinis : Etenim ad servandum seipsum indemnum , licetum est alterum juste accusare : Si enim Clericis permittitur alios in tali casu accusare absque incursu in irregularitatem , facta protestatione dicta , ex cap. Prelatis , de Homicidio , ne scilicet injuste patiantur injuriam , a fortiori id permittitur laicis ; Quod si pro-

protestatio omittatur, procul dubio irregularitas incurrit, ut communiter docent Doctores: Immo etiam incurrit, secuta morte, irregularitas, si accusetur reus pro injuria non sibi, vel suis propinquis, &c., sed alteri extraneo illata, quamvis præmitatur protestatio, ut notat Avil. disp. 5. dub. 11.

V. Protestatio autem his, vel similiibus verbis fieri debet coram Judice, apud quem deponitur querela: *Dominus peto, cures satisfactionem, vel restitutionem exhiberi mibi a Petro, qui mihi damnum intulit, protestorque, me nulla ratione intendere panam sanguinis, mutilationem, vel mortem;* Quæ protestatio non est opus, ut scripto fiat; & satis est, ut sit solum externa, & facta, ut docent communiter; quia Ecclesia non imponit irregularitatem ob internum animum, & desiderium mortis, sed propter omissionem protestationis; ut videre est apud Bonac. & Avil. Quod diximus de Accusatore, dicas de Advocato, & Testibus necessariis, ut accusatio habeat debitum effectum. Idem etiam dicas de clamante, detinente comprehensum malefactorem, & tradente illum Judici laico. Requiritur etiam dicta protestatio ex Avil., quando Prælatus vocat brachium seculare in defensionem Ecclesie sue; Non tamen quando quis alium accusat ad avertendum malum imminens sibi, vel suis, vel Republicæ; cum enim ad id teneatur jure naturali, non incurrit irregularitatem; si id faciat, & mors sequatur, quoties aliter tale malum præcaveri non potest; ut idem Avil. notat dub. ii.

VI. Rogabis hic primo; Utrum Advocati, Procuratores, & Testes, qui concurrunt ad mortem, non ad avertendam propriam, vel suorum injuriam, sed alienam, incurrit irregularitatem, quamvis protestationem

præmittant?

Respondeo cum Bonac. & Avil.; quod incurrit, non secus ac Accusator; Quamvis probabiliter hanc irregularitatem non incurrit Testis, qui jure naturali tenetur testificari. Exempli gratia, ad liberandum a morte injuste accusatum, vel ne puniatur pena talonis, qui injuste accusavit reum machinantem contra Rempublicam, & deficit in probationibus; Nec qui ex metu gravi testificatur; sicut enim metus gravis excusat a censoris incurrendis, ita & ab irregularitate. Nec demum Consulens, ut plurimi docent apud Dian. par. 11. tract. 2. resol. 63.

VII. Neque dicas: Judex quamvis teneatur damnare reum, adhuc irregularitatem incurrit; ergo etiam Testis, & accusator, quando jure naturali tenentur accusare, & testificari.

Nam concessio antecedente, nego consequentiam. Disparitas est, quia Judex ipse se injecit voluntarie in eam obligationem, quando sponte sumpsit officium; secus vero Testis, & accusator.

VIII. Rogabis secundo; An Clericus possit cogi ad testificandum in causa sanguinis a suo Prælato?

Respondeo, Clericum in sui favorem posse testificari, præmissa protestatione, etiam in causa sanguinis contra irregularitatem; At contra reum testificari non potest in causa sanguinis, cum sit illi prohibitum; Quod si detur ei a Prælato licentia, immo si illi id præcipiatur, non debet obtemperare, ex D. Th. apud Avil., cum nemo possit cogi ad illicitum.

IX. Quæritur secundo; Quomodo ex bello justo hæc irregularitas contrahatur?

Respondeo, pugnantem in bello justo, & alium occidentem, vel mutilantem irregularitatem incurtere, ex cap. *Petitio tua, de homicidio;* Immo

B b qui-

Pars VIII.

quicunque ad bellum , sive justum , sive injustum procedit animo pugnandi , videtur irregularitatem incurrere , cum exponat se periculo proximo homicidii ; ut docet Bonac. , & Suar. disp. 40. sect. 5. contra Con. , & Avil. disp. 5. sect. 3. Qui tamen ad bellum justum procederet , sed non animo pugnandi , ac deinde alium in defensionem propriæ vita occideret cum moderamine inculpatæ tutelæ , irregularitatem non incurreret . Qui consilunt justum bellum Principi , & qui hortantur milites ad fortiter pugnandum in bello justo , non sunt irregulares , dummodo non hortentur ad occidendum aliquem in particulari ; Præterea non sunt irregulares , qui assistunt bello justo , vel custodiendo sarcinas , vel animando alios , dummodo ipsi neminem mutilent : Contra vero , id si faciant in bello injusto . Disparitas est , quia quamvis in utroque casu , qui animant milites occidentes , sint causa moralis homicidii ; At in cap. *Petitio* , de homicidio excipiuntur ab irregularitate incurrenda etiam qui in bello justo vulneraverint , modo non occiderint , nec dubitent occidisse , ut notat Bonac. Præterea Clerici non possunt sine facultate etiam in bello justo pugnare , nisi cogat necessitas defendendi Rempublicam ; si tamen de licentia Pontificis pugnant , secuta morte , non evadunt irregulares , ut communiter Doctores docent , cum non sit credibile , Pontificem vellet , ut Clericus pugnet , & irregularitatem contrahat .

X. Quæritur tertio ; An irregularitatem incurrat , qui in sui , vel proximi , vel rerum suarum defensionem , alium occidit , vel mutilat ?

Respondeo , nec peccatum , nec irregularitatem incurri , si occisio fiat cum moderamine inculpatæ tutelæ : scilicet vero si sine tali moderamine ; Incurritur enim tunc præter peccatum

irregularitas ex delicto . Ut fiat autem cum moderamine , requiritur Primo , quod vis ab altero injuste inferatur ; Quare qui occidit satellites , a quibus juste invaditur , peccat , & irregularitatem incurrit . Secundo , ut occisio fiat in ipso actu aggressionis , quando scilicet moraliter incipit aggressor aggredi , nec aliter potest proprium damnum evitari ; tunc enim vis vi repellitur ; Quare aggressor nec potest præveniri , cum non inceperit tunc vim inferre ; nec potest post factam aggressionem occidi ; quia tunc vis celsavit . Tercio requiritur , ut invasus probabiliter credat sibi vel periculum vulnus , vel mortem , vel aliud grave damnum infligendum , nisi vim vi repellat ; Quarto , quod non possit aliter se defendere ; Si tamen potest vel clamore , vel fuga non ignominiosa , vel solo vulnere inflicto damnum sibi imminens declinare , peccat occidendo , & irregularitatem ex delicto incurrit ; cum non servet moderamen inculpatæ tutelæ .

XI. Quæritur quarto ; An incurrit irregularitas per exercitium medicinae , vel chirurgiæ ?

Respondeo , laicum non incurrit irregularitatem , si eam exerceat juxta regulas artis , quamvis membrum aliquod absindat causa sanitatis , & quamvis mors sequatur sine culpa gravi .

Nec Clericus , etiam beneficiatus , peccatum , aut irregularitatem incurrit , si officium Medici , & Chirurgi exerceat juxta regulas artis citra absissionem , & adiunctionem ; cum id nullo jure sit ei vetitum : Prohibetur tamen Clericis majoribus Ordinibus initiatis mederi abscondendo , vel adiungendo : Utrum autem id etiam prohibeatur Clericis minoribus Ordinibus insignitis , si beneficium habeant ? Negant Bonac. , & Molin. contra Avil. : Si tamen Clerici in Sacris ordina-

na-

nati, necessitate compulsi, exempli gratia, tempore pestis, quando alius deest, incident, vel adurant, irregularitatem non incurunt, cum non peccent; Nec incurunt, si secundum regulas artis jubeant incisionem, vel adustionem; Nec si applicent emplastrum mollificativum, quo apostema aperiatur, etiam si mors sequatur sine gravi culpa; Nec qui adjuvat chirurgum abscentem membrum infestum.

Addo ex Bonac. contra nonnullos, quod si Clerici in Sacris constituti exerceant officium medici, & chirurgi, incidento, & inurendo, peccant quidem contra prohibitionem, sed non incurunt irregularitatem, nisi mors ex propria culpa sequatur; cum irregularitas ex defectu lenitatis solum a ministris justitiae incurritur; & ab iis qui occidunt vel mutilant in bello iusto.

XII. Quæritur demum; Quisnam possit in irregularitate ex defectu lenitatis dispensare?

Respondetur, solum Pontificem, & Prælatos mendicantes, qui privilegium habent dispensandi in omni irregularitate cum suis religiosis, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, & mutilatione, ut dicemus de Bigamia. Putant tamen multi apud Dian. part. 4. tract. 2. resol. 69., & part. 7. tract. 2. resol. 26., & 27., quod etiam Episcopus possit in hac irregularitate dispensare.

#### ARTICULUS IV.

Perstringuntur aliae Irregularitates ex defectu.

I. Qui ante legitimam etatem ordinatur, non est irregularis, sed suspensus, si mala fide Ordines suscepit: Quod si bona fide, non incurrit suspensionis censuram; ne-

- quit tamen illos exercere.
- II. Quinam dicantur ex defectu libertatis irregulares.
- III. Num ex debito pecuniario incuratur aliquando irregularitas ex defectu libertatis.
- IV. Triplex datur Bigamia inducens irregularitatem ex defectu significatio- nis, Vera, Interpretativa, & Similitudinaria. Interpretativa ha- betur quadrupliciter: Similiundina- ria vero per duplex matrimonium, alterum carnale, alterum spiri- tuale cum Christo per votum sole- mne Castitatis, saltem in professio- ne Religiosa, si minus in Ordine Sacro.
- V. Potest Episcopus dispensare in Biga- mia similitudinaria; At in inter- pretativa solum quando est occul- ta. Mendicantes ex suis privi- legiis possunt in bigamia cum suis subditis dispensare.
- VI. Irregulares sunt omnes infames tam infamia juris, quam infamia fa- di: Tollitur infamia facti per e- mendationem vite continuatam per triennium. Infamia juris raro ad- modum a Pontifice dispensatur.
- VII. Solemnis penitentia olim irregula- ritatem inducebat.
- VIII. Num illegitimus occultus sit ir- regularis ex defectu natalium? Tripli- citate hoc irregularitas tolli- tur, per legitimationem factam a Pontifice, per Professionem Religio- sam, & per dispensationem.
- IX. Episcopus potest in hac irregulari- tate dispensare, si delictum Paren- tum sit occultum.
- X. Num expostus, cuius parentes igno- rantr, presumendus sit legitimus?
- XI. Num, & quando in amente, ac furioso cesset irregularitas, si sa- nitatem recuperent?
- XII. Quinam illiteratus sit irregularis ex defectu scientia?
- XIII. Potest Pontifex dispensare in de- fectu

B b 2

*fecta scientia requisita jure canonico, non vero requisita jure naturali.*

XIV. *Neophyti universim per decennium sicut irregulares.*

XV. *Quinam defectus corporis irregularitatem inducat?*

XVI. *Ad Episcopum spectat judicare, num talis defectus corporis inducat irregularitatem? Ad Pontificem vero spectat in ea dispensare. Quid de Religiosis?*

XVII. *Carens police, cum non possit ad Sacerdotium ascendere, neque poterit alios Ordines suscipere.*

I. **P**rimo quidem ante legitimam etatem, qua possint Ordines suscipi, unusquisque dicitur irregularis ex defectu etatis, ex cap. ultimo, *de temporibus Ordinationum*, quamvis Scotus apud Blundum dicat, pueros non esse proprie irregulares, sed solum prohiberi, ne Ordines suscipiant, sicut prohibentur peccatores; qui tamen non sunt irregulares. Quod si quis Ordines ante legitimam etatem suscipere presumperit, incurrit suspensionem; Et si Ordines exerceat, incurrit irregularitatem: Si vero ante legitimam etatem ignoranter Ordines suscipiat, non potest illos ante debitam etatem exercere; Quod si exerceat, irregularitatem non incurrit, cum non violet censuram.

II. Secundo, sunt etiam irregulares ex defectu libertatis Conjugati, nisi uxores consentiant, & voeant castitatem. Similiter mancipia; necnon ex Laym. cap. 8. Servi originarii, vel alscriptitii, qui personaliter Domino suo sunt obligati, ita ut discedere non possint, nisi soluto pretio, aut nisi manumittantur. Si tamen Domine scientie, & non contradicente ordinentur, eo ipso sunt liberi. Si vero Domino nesciente, aut contradicente in minoribus ordinentur,

potest illos sibi vindicare: Quod si Sacro Ordine sint initiati, tenetur Episcopus duplicatum pretium Domino solvere, si scienter ordinaverit: Si tamen bona fide id fecerit, tenentur ad duplicatum pretium illi, qui servum induxerunt ad Ordines sufficiendos; Quod si a nullo sit induitus, debet se redimere ex proprio peculio; & si nihil poterit offerre, potest Dominus illum sibi intra annum vindicare; Nisi tamen Sacerdotium suscepit, tunc enim solum in officiis spiritualibus tenetur Domino ministrare.

Sunt pariter ex defectu libertatis irregulares omnes obligati ad rationes, hoc est obligati ad reddendam rationem administrationis, vel publicæ, (ut Thesaurarii, Depositarii aris publici, Advocati, Magistratus, Judices, Tabelliones, &c.,) vel privatae, (ut Tutores, Curatores, Procuratores, &c.) donec enim ratiocinium reddant, & deponant illius obligationem, ordinari non possint; Non afficiuntur tamen tali impedimento, qui administrationem gerunt personæ Ecclesiasticae, vel personarum misericordium, ut pupillorum, viduarum, canarum piarum, &c.

Utrum autem in causis Ecclesiasticis possint Clerici beneficiati Tabellionis munus exercere? Dubium est apud Doctores; Laym. docet, attendandam esse Diœcesium consuetudinem. Putat etiam, non esse prohibitum Ecclesiasticis, etiam in principum secularium Curia fungi officio Consiliarii, Cancellerii, & etiam Judicis; in causis tamen civilibus, non vero in criminalibus, etiam si citra mortis, & mutilationis sententiam: Et de facto multi Regii Consiliarii sunt Sacerdotes, saltem ex tacita Pontificis concessione, seu ex consuetudine.

Denique ex defectu libertatis sunt etiam irregulares Curiæ, seu qui

ex

ex obligatione inserviunt Curiis Principum secularium, ut Judices, Advocati, Milites, Apparitores, saltem quamdiu juramento tenentur; Non vero qui inserviunt Curia Episcopali, vel qui obsequii causa, & non ex obligatione frequentant Curias Principum: Sunt etiam eadem ratione irregularares Feudatarii, qui ratione possessionis accepte tenentur obsequium personale praestare Domino, donec vel feudum relinquant, vel facultatem recipiant a Domino directo.

III. Rogabis; An ex debito pecuniario incurritur irregularitas?

Respondeo, per se non incurri; consurgit tamen per accidens, si periculum sit litium, & consurgat obligatio ad reddenda ratiocinia; quamvis possit se ab hac irregularitate eximere debitor facta bonorum cessione, & reservata sibi congrua sustentatione, ex cap. *Odoardus, de Solution.*, ut docent Suar. disp. 51. sect. 9., Bonac., & alii.

IV. Tertio, Bigamus est irregularis ex defectu Sacramenti, seu significationis, eo quod non possit significare, & representare conjugium Christi cum Ecclesia, idest unius cum una. Est autem bigamus, seu digamus, qui binas contraxit nuptias, sicut monogamus, qui unicas.

Notandum tamen primo, irregularitatem hanc non contrahi ab illo matrimonio vero, vel presumpto, & quidem consummato, ex cap. *Debinum, de Bigamis*; Et ratio est, quia non consummato duplice matrimonio, non habetur carnis divisio, & consequenter nec defectus Sacramenti, seu significationis.

Notandum secundo, triplicem dari bigamiam juxta Canones, quae irregularitatem inducit, Veram, Interpretativam, & Similitudinariam. Vera habetur bigamia, quando quis duas uxores duxit successive, unam

post mortem alterius, dummodo cum utraque consummaverit; sive ante, sive post baptismum eas duxerit; sic enim habentur duo vera matrimonia. Bigamia interpretativa habetur, quando quis revera non contraxit cum duabus, sed ex juris interpretatione censetur cum duabus contraxisse; quod quadrupliciter accidit, juxta communiores opiniones apud Suar. & Sanch. lib. 7. de matrim. disp. 47. Primo, si quis duo ineat matrimonia, alterum validum, alterum invalidum, dummodo utrumque consummet affectu maritali; aliter si facto animo contrahit, ut extorqueat copulam, non est bigamus, ut notat Bonac. contra Suar.; Sicut non est bigamus vir conjugatus, si cum aliis adulteratur. Secundo, si duo ineantur, & consummentur matrimonia, utrumque invalidum; Quamvis Avil. ex Henr. neget in tali casu haberi bigamiam, & irregularitatem. Tertio, si quis ducat viduam a priori viro cognitam; vel si ducat solutam per fornicationem ab alio corruptam; vel nuptam a marito repudiata, dummodo cum ea consummet; non tamen si ducat solutam ab eo prius ante matrimonium per fornicationem cognitam; cum non habeatur in tali casu Carnis divisio. Quarto, si quis ducat Virginem, & postquam ipsa cum alio adulteravit, illam cognoscet.

Bigamia vero similitudinaria habetur, quando non intercedit duplex matrimonium carnale, sed alterum spirituale cum Christo per votum solemnis castitatis nuncupatum vel in Professione religiosa, vel in susceptione Ordinis Sacri; alterum carnale, quod consummetur: Quamvis Suar. disp. 49. sect. 4., Filliuc., & alii apud Bonac. putent, per votum Castitatis in Ordine Sacro non induci bigamiam, si initiatus Ordine sacro contrahat cum virgine; Siquidem talis irre-

irregularitas non est in jure expressa: Nec induci in Professo putat Henr. apud Avilam.

V. Inquires: Possitne Pontifex in tali irregularitate dispensare? Et ratio dubitandi est, quia talis irregularitas videtur inducta jure divino; cum Apost. i. ad Timoth. 3. dicat, Episcopum debere esse *unius uxoris viuum*.

Communiter tamen docent, irregularitatem hanc esse de jure Ecclesiastico; unde possit in ea a Pontifice iusta de causa dispensari, quamvis raro dispensem. Apostolus praeceptum illud non promulgavit tanquam conditum a Deo, sed tulit tanquam Episcopus particularis, ut communiter Doctores docent; Pontifex autem dispensare potest in legibus latis ab Apostolis tanquam particularibus Episcopis; Immo potest Episcopus dispensare in bigamia similitudinaria cum eo, qui contraxit cum virgine; Exempli gratia, potest dispensare cum Diacono, vel Subdiacono, vel Professo, qui contraxit matrimonium cum virgine, ut suscipiat Sacerdotium: Cum enim haec bigamia non sit propria, sed similitudinaria, mitius agitur cum ea in jure. Addit Praepositus apud Escob. in Summ. cap. 5., quod possit etiam Episcopus dispensare in bigamia interpretativa, quando est occulta. Præterea communiter docent, quod possit Episcopus cum bigamis dispensare ad suscipiendos Ordines minores tantum, & ad beneficium simplex, & quod utantur Ordinibus susceptis. Verum Bonac. notat, ne ad primam quidem tonsuram posse nunc Episcopum dispensare, ex declaratione Sacrae Congregationis Cardinalium apud Garz. part. 7. cap. 6. Demum Prælati Mendicantium possunt universim in bigamia cum suis religiosis dispensare, ut notat Avil.; quia Sextus IV. concessit Ordini Minorum, ut possint

cum suis dispensare in omni irregularitate, excepto homicidio voluntario, & mutilatione.

VI. Quarto Irregularitas ex defectu incurritur ob infamiam; Potest enim, ut supra diximus, etiam innocens laborare infamia publica, & sic esse irregularis ex defectu. Est autem infamia, boni nominis, & estimationis apud prudentes privatio, vel gravis diminutio: Et ea quidem duplex est, altera juris, altera facti. Infamia facti habetur, quando fama alicuius gravatur de aliquo crimen apud multos, etiam graves, per majorem partem vicinæ: Requiritur tamen, ut factum non solum sit publicum, sed etiam notorium, seu ita evidens majori parti vicinæ, vel Collegii, ubi ad minus sint decem, ut nulla possit tergiversatione celari, ut notant Castro, Hurt, & alii contra Suar., & Filiuc. ex Capde Temporibus Ordinat.; requiritur etiam, quod crimen vel sit qualificatum, ut heres, parricidium, exempli gratia; vel continuatum, ut concubinatus.

Infamia juris vel habetur per sententiam Judicis inurentem infamiam, quæ sit definitiva, & condemnativa, ut si quis ad publicam fustigationem damnetur; vel habetur ob crimen, cui ab ipso jure est annexa infamia, ut est usura ex officio, Lenocinium, Perjurium in judicio, bigamia simul sponte contrafacta, Raptus mulieris, Duellum, Proditio, Furtum, Rapina, Dolus, Crimen laesa Majestatis, Crimen falsi, Sacrilegium, Adulterium, Sodomia, Concubinatus, Simonia relate ad Ordines, non vero relate ad beneficium, hostilis insectatio Cardinalium; ad quæ, ut diximus, requiritur notorietas facti, ut infamia haec juris, seu legalis incurritur.

Præterea ex delicto alieno dicuntur etiam jure canonico infames filii, & nepotes injicientium in Cardinales manus

nus violentas ; filii etiam reorum læsa Majestatis ; non tamen filii haereticorum , vel histriorum , aut carnis-  
cum , aliorumve vilia officia exercen-  
tium ; Nec illegitimarum , ut notat  
Pal. punct. 20. cum Suar. , & Sanch.  
contra nonnullos : Sunt tamen infam-  
es infamia juris , qui officium infame  
exercent , ut Histriones , qui pub-  
lice obscena repræsentant ; Nec vi-  
detur aliud officium , quamvis vile ,  
infamiam juris habere ; cum nullo ju-  
re scripto id probetur . Demum omnes  
in jure civili infames sunt etiam in-  
fames jure canonico , ut notat Avil.  
ex cap. *Omnes vero 6. quæst. 1.*

His explicatis , Certum est , irregu-  
lares esse omnes infames tam infamia  
juris , quam facti ; cum non debeant  
in fortē Domini puri , & immaculati  
nominis cooptari . Verum infamia fa-  
cti impedit tantum a recipiendis Ord-  
inibus , quamdiu homo non purgat-  
ur ab illa ; etenim post emendatio-  
nem non est amplius irregularis ; ab  
usu vero Ordinum susceptorum eate-  
nus impedit , quatenus ipsam crimen  
impedit , ut notat Avil. Ad hoc au-  
tem ut habeatur emendatio , quæ in-  
famiam facti aboleat , requiritur uni-  
versim ut saltem per triennium con-  
tinuetur . Infamia vero juris tollitur  
dispensatione solius Pontificis , qui  
nunquam illam concedit , nisi purgata  
infamia . Episcopus etiam potest dis-  
pensare , ut infamis in susceptis Ordin-  
ibus ministret post peractam poenitentiam , si delicta , ex quibus contra-  
cta est infamia , sint adulterio mino-  
ra , ut notat Pal.

VII. Rogabis ; An per solemnum  
poenitentiam quis fiat irregularis ?

Respondeo , Poenitentiam esse aliam  
publicam , aliam solemnem . Solemnis  
quidem fieri solebat in principio Qua-  
dragesimæ cum certis quibusdam cæ-  
remoniis imposta ab Episcopo ; Pu-  
blica vero ex mandato Episcopi , vel

alterius Superioris fieri solebat sine  
illis cæremoniis : Solemnis poenitentia  
pariebat irregularitatem , non vero  
publica : Cum autem talis poenitentia  
non sit amplius in usu , non habet  
amplius locum talis irregularitas .

VIII. Quinto , ex defectu natalium  
est irregularis , qui est illegitimus ,  
quamvis occultus , ex cap. 1. de filiis  
*Presbyterorum* , ut docent communi-  
ter ; quamvis Castro Pal. lib. 1. de  
lege penali cap. ultim. apud Avil. ali-  
ter sentiat de illegitimo occulto : Est  
autem illegitimus , qui ex matrimonio  
non legitimo natus est , sed vel ex  
fornicatione , vel adulterio , &c. ; Si  
tamen ex adultero , & soluta natus est ,  
dicitur Nothus ; Si vero ex concubitu  
damnato , scilicet ex stupro , raptu ,  
sacrilegio , incestu , vel ex scemina con-  
jugata , dicitur Spurius ; at si ex solu-  
to , & concubina domi retenta , dicitur  
filius naturalis ; Si demum ex me-  
retrice , appellatur Manser . Non est  
tamen illegitimus , qui procreatus est  
ex matrimonio propter aliquod impe-  
dimentum nullo , dummodo vel am-  
bo parentes , vel saltem unus tale impe-  
dimentum ignoraverit , & contraxe-  
rint in facie Ecclesiaz ; ut idem Avil.  
docet dub. 5. cum Bonac. Neque te-  
netur filius se gerere ut irregularis ,  
nisi constet de mala fide parentum ;  
Neque tenetur credere matri asseren-  
ti , ipsum esse illegitimum , etiamsi il-  
la id asserat in articulo mortis cum  
juramento , ex Bonac. , & Suar. disp.  
50. lect. 4. Sunt autem legitimi filii  
infidelium nati ex matrimonio valido  
secundum leges ipsorum , quamvis se-  
cundum leges Canonicas invalido .

Tribus modis tolli potest hæc ir-  
regularitas , videlicet per legitimationem ,  
per professionem religiolam , & per  
dispensationem . Quare legitimatus a  
Papa ( non vero ab Imperatore , vel  
ab aliis Principibus secularibus ) habi-  
lis est ad Ordines , & ad beneficia ,  
& di-

& dignitates Ecclesiasticas : Sicut etiam qui per subsequens matrimonium legitimatur , dummodo parentes habiles essent ad matrimonium contrahendum , quando filius fuit conceptus , vel saltetem quando natus est ; Quamvis hic ad Cardinalatum sit inhabilis , ex motu proprio Sixti V. apud Sayr. Item per professionem religiosam filius illegitimus sit habilis ad Ordines , non tamen ad Prælaturam . Nihilominus Gregor. XIV. anno 1591. Societati concessit , quod P. Generalis possit cum illegitimis dispensare ad quælibet officia , gradus , & dignitates in Societate obtinendas .

Denum dispensatus fit habilis ad illum actum , ad quem est dispensatus , iuxta verba dispensationis , quæ stricte interpretanda sunt , cum dispensatio sit odium juris . Hinc dispensatus ad Ordines non censemur dispensatus ad beneficium ; nec dispensatus ad beneficium simplex censemur dispensatus ad beneficium curatum . Episcopus potest cum illegitimo dispensare solum ad Ordines minores , & ad unum beneficium simplex non requirens Ordinem Sacrum , (qualem requirit Canonicatus Ecclesiae Cathedralis ) ut notat Bonac. punct. 3. num. 15. ex Suar. , Filliuc. , & aliis .

IX. Dubium est ; An possit Episcopus dispensare super irregularitate proveniente ex illegitimitate orta ex occulto delicto ?

Negant Suar. , Bonac. , Ugolin. , & alii . Etenim quamvis Tridentinum concedat Episcopis facultatem dispensandi in irregularitatibus provenientibus ex delicto occulto , hæc tamen irregularitas non dicitur esse ex delicto , cum non sit ex proprio ipsius illegitimi delicto . Affirmant vero Filliuc. , Sylvest. , & alii ; quia quamvis dispensatio , utpote odium juris , stricte interpretanda sit , ex cap. final. de Simon , potest tamen dispensandi , utpote

favorabilis , est latissime interpretanda : Etenim beneficium Principis , quando non est in damnum tertii , est interpretandum latissime , ex cap. Horum , de verborum significatione : Cum autem potestas dispensandi super irregularitate proveniente ex delicto occulto sit quoddam beneficium concessum Episcopis a Trident. , debet latissime interpretari : Unde possunt Episcopi dispensare , sive irregularitas proveniat ex delicto occulto proprio , sive alieno .

Neque dicas , Privilegium , cum sit contra jus , vel saltetem præter jus , esse stricte interpretandum , ex cap. Cum dilectus , de consuetudine . Nam potestas hæc in Episcopis non est proprie , & in rigore Privilegium , quod privat lege , & aquivalet dispensationi , sed est Privilegium late , seu beneficium , quod latissime interpretandum , & ampliandum est . Ratio est , tum quia Episcopus stando in jure divino , potest in omnibus irregularitatibus jure humano impositis dispensare ; tum quia nullo jure habetur , quod Papa non possit suam facultatem aliis delegare ; In quo casu beneficium conferret , quod latissime interpretandum est , non vero Privilegium , quod sit interpretandum stricte .

X. Dubitatur ulterius ; Utrum expeditus , cuius parentes ignorantur , presumendus sit illegitimus , & irregularis ? Affirmant communissime Doctores , quia in tali casu non haberetur solum dubium , sed moralis certudo de illegitimitate ; cum plerumque soleant illegitimi exponi ; quæ vero plerumque accidunt , sunt credenda , ex leg. Si possidentis , Cod. de probat. ; Raro autem exponuntur legitimi ratione paupertatis ; cum ex hoc sequatur infamia parentibus . Con. tamen disp. 18. dub. 12. , Leand. disp. 3. quæst. 6. , & alii putant , probabilius esse , quod non sit irregularis ; quia quilibet praesu-

præsumendus legitimus, donec contrarium probetur.

XI. Sexto, Tres animæ defectus irregularitatem inducunt. Primo, defectus usus rationis. Secundo, defectus scientiæ. Tertio, defectus fidei.

Circa primum, jure etiam Divino, & naturali Amentes carentes usu rationis sunt inhabiles ad Ordines suscipiendos, quamvis si suscipiant, recipiant Charakterem. Sunt etiam ex hoc capite irregulares pueri carentes usu rationis; quo acquisto irregularitas cessat. In amente tamen, vel furioso non cessat irregularitas, etiamsi perfectam acquirant sanitatem, ex cap. *Maritum*, *dist. 33.*; quia qui semel id passus, raro præsupponitur perfecte sanus sine metu relabendi in idem. Si tamen amentia superveniat jam ordinato, poterit Ordines exercere, si post diuturnum tempus, prudentis judicio judicetur in sanitate confirmatus.

XII. Circa secundum, Defectus scientiæ necessaria ad usum, & exercitium Ordinum, etiam jure naturali, & Divino, reddit hominem ineptum ad illos. Jus enim naturale dicit, non esse admittendos ad aliquid munus, qui nequeunt illud exercere. Si tamen quæras, quānam scientia requiratur? Respondeo ex Tridentino *sest. 23. cap. 4.*, quod initiandus prima tonsura debet esse confirmatus, callere rudimenta fidei, & scire legere, & scribere. Ad Ordines minores requiruntur, ut intelligat linguam latinam; Ad Subdiaconatum, & Diaconatum, ut habeat instructionem eorum, qua pertinent ad tales Ordines exercendos; Ad Sacerdotium, ut habeat eam scientiam, qua possit populum docere mysteria fidei, & Sacraenta administrare; Ad Episcopatum, ut sit Doctor, aut licentiatus in Sacra Theologia, aut in jure Canonico, vel ut publico testimonio constet esse idoneum ad alias docendos: Docet tamen Henr. cap.

*Pars VIII.*

8. num. 21., licitum esse Episcopo, religiosum, qui bene legit, & cantat, promovere ad Ordines sacros; quia sic videtur minister idoneus ad ministeria suæ religionis. Garz., & idem Henr. putant, defectum scientiæ (ut si quis ita sit illiteratus, ut nunquam grammaticam audierit) prohibere quidem susceptionem Ordinum, sed non parere irregularitatem; Communiter tamen docent parere irregularitatem, quæ, sublata ignorantia, tollatur.

XIII. Quæritur; Quisnam possit in hac irregularitate dispensare?

Respondeo, multos putare, quod Pontifex in ea dispensare non possit; cum non possit in iis, quæ juris naturalis sunt, dispensare; Verius dicendum cum *Suar. num. 11.*, Pontificem posse dispensare in eo, quod est juris canonici, non vero naturalis; quare cum jus Canonicum majorem scientiam requirat, quam requiratur ex natura rei, poterit in eo Papa dispensare. Immo potest dispensare, quod quis Ordines recipiat, modo illos non exerceat, antequam necessariam scientiam acquirat; Præterea ex Henr. apud *Avil.*, qui non est omnino ignarus literarum, potest ex dispensatione Episcopi ministrare in Ordinibus suscepti.

XIV. Circa tertium; Sunt etiam irregulares Neophyti, *ex dist. 48.* vide-licet qui ex lege judaica, mahometica, aut ethnica nuper ad fidem conversi sunt. In qua irregularitate solus Pontifex dispensare potest, nisi in aliquo casu id detur Episcopis. Notat tamen Tollet, post decennium a suscepto baptismo cessare hanc irregularitatem, cum non sint amplius recenter conversi; si tamen intra hoc tempus ita proficerint in fide, & in moribus, ut arbitrio Episcopi sint quasi veterani Christiani, poterunt pariter ordinari.

XV. Denique ille defectus, seu vi-  
tium corporis irregularitatem inducit,

*C C* quod

quod vel impedit usum, & exercitium Ordinum, vel notabilem deformitatem, aut horrorem gignit. Si hujusmodi defectus Presbyteratum præcedat, ad omnes Ordines inhabilem reddit, cum omnes ad illum referantur; Si vero jam ordinato superveniat, impedit tantum ministerium illi repugnans. Ita Suar. disp. 51. sect. 2.: Quare abscissio nasi irregularitatem parit propter deformitatem; sicut etiam si nasus sit nimis distortus, si insignes maculae sint in oculo, si labia sint penitus corrosta, vel abscissa, aut si lingua ita nodum patiatur, ut verbum integrum proferri non possit; si dentes nimis extra os promineant; si quis careat uno oculo, aut visu uniusque, vel etiam folius sinistri, quo Canon legendus est; nisi polleat perfecto visu in dextero, ita ut sine deformi conversione faciei possit legere Canonem; si sit surdus utraque auro, si pygmeus, vel gigas notabiliter; si magnus sit gibbus, semper habetur irregularitas. Qui caret utroque teste non est irregularis ex defectu; est autem irregularis ex delicto, qui ex indignatione amputavit sibi Virilia, ex cap. *Significavit de corpore viriali*; Quamvis enim si quis alteri testes absindat, non sit irregularis, quia testes non sunt membrum, tamen si absindat sibi ex indignatione, est irregularis; quia, ut docet Avil., severius ab Ecclesia hic punitur, quam ille. Docet tamen Bonac. punct. 2. num. 31., & 34., quod si quis ex iusta causa permittat sibi amputari testes, & virilia, non sit irregularis; sit tamen irregularis, qui permittit sibi testes amputari causa castitatis, ex cap. *Signis abscederit*, disp. 51. Immo docet, hunc esse irregularē, etiamsi permittit testes amputari sibi causa cantus; quod tamen Pal. negat num. 4.

Æthiops non videtur horrorem

parere; unde nec esset irregularis. Hermaphroditus, etiamsi virili sexu polleat juxta communem sententiam apud Suar. est irregularis ob corporis defectum, seu vitium: Similiter est irregularis, qui non potest sine baculo ad altare ascendere, ibique functiones peragere, excap. *Signis infirmitate*. disp. 55. Sic qui parte etiam pollicis aut indicis caret, & qui laborat debilitate digitorum, ita ut notabiliter impediatur frangere Eucharistiam, illamque tractare; & qui continua febri laborat; non tamen qui sola quartana, aut levī febricula. Pariter qui laborant morbo gallico horrorem, & scandalum gerente, vel lepra, aut multa scabie deformitatem inducente; & qui laborant peste.

XVI. Circa Dæmoniacos, seu Energumenos dicendum, esse irregulares, etiamsi semel eorum corpora a Dæmonie fuerint obsessa. Idem dicas de Lunaticis, qui morbo caduco laborant; Idemque de Phreneticis, de Furiosis, & Amentibus, ex cap. *Marium*, disp. 33., qui sunt perpetuo irregulares, etiamsi sanitatem recuperent, ut supra diximus, dummodo furor, amentia, & mentis alienatio fuerit frequens, nec raro, aut ex causa transiente contigerit; puta ex vi morbi, vulneris, iræ, passionis brevis, &c.; Hic enim non dicitur amens, vel furiosus habitualiter; unde nec est irregularis: Secus vero, si s̄epe id contingat; unde presumuntur habere organa laesa, vel humores; quamvis habeat lucida intervalla.

Porro tam Dæmoniaci, quam Lunatici, Amentes, & Furiosi, qui post suscepit Sacerdotium id patientur, posunt ex dispensatione Episcopi illud exercere, si per annum, vel diuturnum tempus judicio prudentis, vel Judicis fuerint liberi a Dæmonis obſessione, vel a morbo caduco, a furore, & amentia. In tali

tali enim casu Episcopus potius declarat, impedimentum esse sublatum, quam dispensat; Lunatici tamen, qui raro, exempli gratia semel in mense, cadunt in terram absque clamore, spuma, aut horribili corporis agitatione, celebrare possunt adducto Sacerdote jejuno, qui perficiat sacrificium, si forte incepto Canone, morbo caduco corripiantur. Ita Bonac. loc. cit. Idemque docet Avil. disp. 5. dub. 4. de Furiosis, & Amenibus, qui non habent frequentem furorem & infaniam.

Respondeo cum communi, ad Episcopum pertinere, non vero ad confessarium, ex cap. 2. *de Corpore vitiosus*. Dubium est, an in Religiosis exceptis pertineat ad suum Praelatum, qui literas dimissorias potest concedere? Sylvest., & alii negant: Sed probabilius affirmant Angelus, Henr., & Avil. disp. 3. dub. 2. Certum est tamen, majorem requiri defectum ad impediendum exercitium Ordinis suscepiti quam ad impediendum Ordinis susceptionem.

XVII. Quæritur secundo; An carens police, exempli gratia, possit minores Ordines, aut etiam Diaconatum suscipere?

Respondeo cum communiori apud Bonac., Pal., & Palud. negative, tum quia est de facto irregularis, unde ad nullum Ordinem promoveri potest; tum etiam quia omnes Ordines ad Sacerdotium diriguntur; Si ergo Sacerdotium nequit suscipere, neque cæteros Ordines poterit.

Demum solus Pontifex dispensare potest in hac irregularitate, quando corporis defectus notabilem deformitatem inducit; Qui tamen nunquam solet dispensare; quia talis deformitas scandalum solet gignere: Facilius tamen Religiosus dispensationem obtinebit; Immo multi apud Avil. disp. 3. dub. 3. docent, posse Episcopum dispensare cum Religioso, ut celebret cum pede ligneo: Quod si tale impedimentum superveniat Religioso jam ordinato, potest suus Praelatus dispensare: Si tamen irregularitas hæc proveniat ex delicto, ut si quis propria culpa abscedat sibi membrum aliquod, potest Episcopus aliquando dispensare, si scilicet membrum, & delictum sit occultum. Sed Opusculis hisce de sacramentis, & Censuris tandem aliquando sit ( sed oh Ubi Æternitatis! )

## F I N I S

A. M. D. G.,

ac Deiparæ sine labe Conceptæ.

# SYNOPSES OMNES,

Quæ in singulis Articulis tractatus hujuscce de  
Censuris habentur, hic colliguntur.

## QUÆSTIO I. Pag. 2

De Censuris in Communī.

## ARTICULUS I. ibid.

Quid, & Quotuplex sit Censura?

- I. Censura est Pœna medicinalis privans bonis quibusdam spiritualibus.
- II. Quatenus est pœna, infigitur etiam sine spe emendationis: & quatenus est medicina, emendato reo debet tolli.
- III. Triplex datur dumtaxat Censurarum species, Excommunicatio, Suspensio, & Interdictum.
- IV. Irregularitas ex delicto non est inter Censuras recensenda; Nec Cessatio a divinis, Depositione, aut Degradatio.
- V. Censura alia est ab Homine lata, alia a Jure. Num possit pro peccatis futuris ab Homine censura ferri? Et num ea perseveret post mortem fermentis?
- VI. Quoniam sit formula Censura lata sententia, quoniam ferenda? Et quid in dubio, cum sit lata, an ferenda sententia.

## ARTIC. II. 6

Quinam possit ferre Censuras?

- I. Potestas instituendi Censuras est in solo Pontifice: Potestas vero illas ferendi est etiam in aliis. Et quidem Ordinaria in iis, qui ratione sui muneric jurisdictionem Ecclesiasticam habent in foro externo; Delegatam vero habent

illi, quibus ab habente Ordinariam ea committitur. II. Recensentur ii, qui Ordinariam habent potestatem ferendi Censuras. III. Necnon ii, quibus ea potest delegari. IV. Num possit ea delegari feminis? V. Quinam delegatus possit potestarem hanc subdelegare? VI. Jurisdictione hac cum sit contentiosa, non gratiosa, nequit extra propriam Diœcensem exerceri. VII. Quid requiratur ad valide ferendas Censuras? VIII. Valida est Censura metu extorta; non tamen hujusmodi absolutio a Censura. IX. Num in causa propria Censura ferri possit?

## ARTIC. III. 9

Erga quos ferri Censura possit?

- I. Censuris ligari possunt, qui sunt precepiti capaces, ac Superiorem in Ecclesia habent in rebus spiritualibus.
- II. Mortuus solum potest declarari excommunicatus; Et quomodo a Censuris absolvatur?
- III. Brutorum excommunicatio est potius maledictio, & imprecatio.
- IV. Impuberes non solent, licet possint, ab homine censurari; Censuras tamen a jure latae incurrint.
- V. Amens potest solum declarari excommunicatus.
- VI. Communitas interdicit, vel suspendit potest, non tamen excommunicari.
- VII. Ligatus una Censura potest & alia ligari, ac divisibiliter ab iis absolvitur.
- VIII. Quandonam potest subditus unius Diœcesis ab Episcopo alterius Diœcesis excommunicari?
- IX. Quando Episcopus Cen-

Censuris ligare potest suum subditum in aliena Diœcœsi delinquenciam? Et quid, si hic delinquat in loco exemplo? x. Num Edictum ferens excommunicationem comprehendat illos, qui post promulgationem talis Edicti acquirunt in eo loco domicilium, vel quasi domicilium? xi. Quid requiratur, ut aliquis fiat subditus alicuius Episcopi in ordine ad recipienda Sacra mentia Penitentia, & Eucharistia? Quid in oratione ad suscipiendum Sacramentum Ordinis? Et quid relate ad Censuras, ita ut ab eo possit censuris ligari? Ubi de Peregrinis, & Vagis.

## ARTICUL. IV. 17

Quam ob causam ferri possit Censura.

I. Excommunicatio ferenda sententia quandonam indicitur pro culpa levi? & quando pariter suspensiō, & Interdictum? II. Excommunicatio major incurri potest, si imponatur ob rem de se levem, qua tamen ex circumstantiis, aut ratione finis sit gravis. III. Minor excommunicatio imponitur etiam pro culpa levi; cum sit pena levis, quatenus facile tolli potest. IV. Pro peccato mere interno censura infligi non potest; Nec pro externo simpliciter levi. Potestas ferendi censuras cum resideat in hominibus, quamvis sit spiritualis, non respicit, nisi per accidens, actus internos. Cur possint peccata interna reservari; necnon vota interna dispensari? Ut puniatur censuris actus externus, debet hic de se esse malus, quamvis requiratur aliquis actus internus, ut censura incurriatur. Cur censuris puniri possit, qui recitat horas sine intentione, aut celebrat sine intentione consecrandi? v. Nequit puniri censuris peccatum, quod precise est contra ius naturale, aut divinum; nisi simul sit contra praeceptum Ecclesia. Pro foro

interno, ut censura incurriatur, requiriatur contumacia vera; pro foro autem externo sufficit presumpta. Hinc pro peccato mere praterito censura infligi non potest, nisi inadequate; Nec sine prævia monitione, & comminatione. Ut autem declaretur quis excommunicatus, prærequiritur citatio, quando delictum non est notorium. vi. Etiam si Reus de Crimine sit convictus, nequit sine prævia monitione excommunicari a judice: Hinc nequit sub excommunicatione ferenda sententia prohiberi peccatum, quod tractum successivum non habet, puta, Blasphemia. vii. Propter peccatum alienum potest quidem Suspensiō, aut Interdictum ferri, non tamen Excommunicatio. viii. Ut censura incurriatur, requiritur Voluntarium sufficiens ad peccandum mortaliter; Hoc tamen non semper sufficit. ix. Peccatum, propter quod incurritur censura, debet esse in suo genere complectum. x. Censura lata contra aliquid facientes non comprehendit Consalentes, aut Mandantes, nisi id exprimatur, & Consilium, aut Mandatum insinuant. Quando tamen dicuntur influere? Quid si eos pariteat, antequam effectus sequatur? Cur mandans non equiparetur in causa nostro facienti?

## ARTIC. V. 26

De forma, seu ritu in Censuris ferendis.

I. Ad censuram incurriendam prærequiritur contumacia, qua haberi non potest sine prævia monitione. Hec autem duplex est, Canonica, & non Canonica. Vim habet monitionis non Canonica lex prohibens aliquid sub Censura sententia late, non vero ferenda. II. Ut quis declaretur excommunicatus, prærequiritur citatio Rei, ut possit se defendere, nisi delictum sit notorium. III. Plures requiruntur, ut quis excommunicetur.

Si

Si nulla monitio precedat, Censura, qua infligitur, est invalida: Est vero iusta, si non precedat monitio Canonica, saltem virtualiter tria. Quid si Reus non inveniatur? Quid si censura feratur die festivo? Quid si non feratur scripto? IV. Ad formam substantialem Censura plura spectant; videlicet Monitio, Citatio Rei, & quod signis externis exprimatur tum censura, tum persona determinata, necnon tempus presens. V. Sub quoniam conditione possit valide censura ferri? Et quandonam possint suspendi effectus Censurae? VI. Quid requiratur, ut Appellatio suspendens effectus Censurae sit legittima? Quandonam appellatio impedit sententiam declaratoriam Censurae incurse? VII. Ad accidentalem formam Censura plura etiam spectant; prasertim irina monitio, Scriptura, denunciatio. Aliquando non tenetur per accidens Superior censuram denunciare, seu publicare. A quoniam Iudice denunciatio istuc fieri debet, aut possit? An se denunciationem praire debet sententia declaratoria Criminis, & citatio partis, si crimen non sit notorium, & inexcusabile.

## ARTIC. VI. 33

## Quoniam excusat ab incurrenda Censura?

I. Septem de causis exonerari aliquis potest ab incurrenda Censura. II. Potest censura esse nulla ex quadruplici capite. Multipliciter etiam potest esse nulla sententia censura. III. Quoniam iniustitia cause reddat nullam sententiam censura? Quid si appellatio, quam putas legitimam, a Iudice ut frivola repellatur? IV. Quandonam innocens tenetur ad viandum scandalum se gerere excommunicatum? Et quando tenetur obtemperare Iudici sub censura aliquid precipienti? Probabilius solum tenetur peccatum, & scandalum vitare.

V. Num possit Iudex ad instantiam partis excommunicare aliquem secundum allegata, & probata reum, si de illius innocentia certam habeat scientiam privatam? VI. Quoniam impotencia excusat ab incurrenda censura? Qui culpabiliter redditur impotens ponere, quod sub censura precipitur, ab ea non excusat. VII. Ignorancia invincibilis siue juris Ecclesiastici, siue facti, siue penae excusat ab incursu censurae; siue ignorancia sit antecedens, siue concomitans. Num etiam excusat ab incurrenda Irregularitate? Ignorancia vincibilis quando excusat? VIII. In dubio siue juris, siue facti regulariter a censura excusaris. IX. Metus gravis excusat a censura, etiam si hac feratur pro crimen prohibito lege naturali, nisi contemptum censura metus incutereatur.

## ARTIC. VII. 43

## De Effectibus Censurae.

I. Duplex est Censura effectus; alter Remouens, & excommunicans, qui est Recemendatio; alter Proximus, & immiscens, qui est privare hominem quibdam bonis spiritualibus, ac temporalibus. II. Aucte Iudicis sententiam privatam iis bonis etiam excommunicatus toleratus; Cujus acta juridica ideo sunt valida, quia in bonum publicum Ecclesia sufficit defectum jurisdictionis, qua ille caret. III. Irrexitus censura in aliqua Diocesi ubique Generum privatitur iis bonis; nec aliter quam per absolutionem in integrum restituatur. IV. Appellatio non suspendit effectus censurae jam late; nisi hac late sit sub conditione, & interim appetetur. V. Potest Pontifex, non tamen Episcopus in effectibus censurae dispensare. Num possit Episcopus dispensare, ut valide retineatur Beneficium collatum tempore Excommunicationis?

QUE-

## QUÆSTIO II. 45

Quonam pacto censura tollatur?

ARTIC. I. ibi.

An unice per absolutionem tollatur  
censura?

I. Censura neque tollitur per obitum fe-  
rentis illam, neque per obitum, aut  
emendationem censurati; sed unice per  
absolucionem; qua mortuis etiam confe-  
ratur, quamvis indirecte. II. Quando  
quis suspenditur ad tempus determina-  
tum, puta per mensem, talis Suspen-  
sio non est proprie censura; cum non  
possit ea sic ferri. III. Qui excommu-  
nicatur, donec satisfecerit, profita sa-  
tisfactione, immunis est a censura,  
quin tamen hoc dicatur solli citra abso-  
lutionem.

ARTIC. II. 47

Quisnam possit a Censuris absolvere?

I. Censura late per statutum alicuius  
Diæcess, vel Provincia comprehendun-  
tur sub censuris lati a Jure. II. Uni-  
versim a censuris non reservatis absolv-  
vere potest, qui jurisdictionem erga cen-  
suratos habet pro foro externo. III. Pa-  
rochus, & alii Sacerdotes, qui possunt  
a mortalibus absolvere, solum ex dele-  
gatione juris absolvere possunt a cen-  
suris non reservatis. IV. Habens faculta-  
tem absolvendi a mortalibus reservatis  
potest absolvere etiam a censuris reser-  
vatis quoad casus Pontificios, non vero  
quoad Episcopales. V. Probabiliter sim-  
plex Sacerdos potest ab excommunica-  
tione minore absolvere, etiam extra con-  
fessionem sacramentalem. VI. A cen-  
suri juris reservatis absolvere potest, qui  
eas reservavit, aut ejus Successor, vel  
Superior, ac Delegatus; & in multis

casibus alii. VII. Mendicantes non pos-  
sunt absolvere a casibus Episcopo in Ta-  
bella reservatis; possunt tamen a reser-  
vatis in Synodo; ac ab iis, quos jus  
commune Episcopo reservat. VIII. Quan-  
do absolutio conferenda est satisfacta par-  
te, quoniam satisfactio est premittenda?  
Et an valide conferatur, parte nondum  
satisfacta? IX. A censura lata ab ho-  
mine per sententiam generalem pro pec-  
catis futuris, si non sit reservata, qui-  
libet Confessarius absolvere potest. X.  
A censura lata ab homine per senten-  
tiā sive specialem, sive generalem  
pro peccatis proteritis quinam, & quo-  
modo absolvere possit? XI. Quid si ex-  
communicatus ab Episcopo domicilium  
mutet, aut Religionem ingrediatur?

ARTIC. III. 54

Quot modis absolutio a Censura  
conferri possit?

I. Absolutio a censuris dari potest vel  
conditionate, vel ad causelam, vel ad  
reincidentiam. II. Cur censura ferri  
possit sub conditione de futuro, non ta-  
men absolutio a censura regulariter?  
III. Num sine nova culpa possit aliquis  
in priorem excommunicationem reinci-  
dere? IV. Qui tenetur adire Pontifi-  
cem pro absolutione, si impedimento la-  
boret, poterit adire per Procuratorem,  
vel per Epistolam, sed ad id non obli-  
gatur. V. Absolutus ad reincidentiam  
ab Inferiore, nisi intra mensem, verbi  
gratia, satisfaciat, num teneatur Pa-  
pam adire pro absolutione, si satisfecerit  
intra illum mensem?

ARTIC. IV. 58

Quandonam absolutio a Censuris  
valeat pro foro externo?

I. Num absolutio a censuris virtute Ju-  
bilai, aut Privilegii collata valeat etiam  
pro

pro foro externo? II. Si detur facultas absolvendi a censuris, Auditis confessio-nibus, vel pro foro conscientia, non pra-requiritur ad illam confessio Sacramen-talis. III. Neque si dicatur dari facul-tas absolvendi pro foro penitentia. IV. Mendicantes privilegiati non debent ab-solvere a censuris reservatis, si proba-biliter deducenda sint ad forum judiciale, aut cum offensione Ordinariorum.

## ARTIC. V. 60

## De Requisitis ad absolutionem a Censuris.

I. In absolvente a censuris requiritur Clericatus. II. Num possit Laicus moribundum a censuris absolvere, defici-ente Clerico? III. Num quilibet Cleri-cus, aut saltē Diaconus, id possit in absentia Sacerdotis? IV. Censura per metum gravem extorta est valida; non tamen absolucionis a censura. V. Si ab-solucionis extorqueatur per dolum, & errorem circa causam finalē, est inva-lida; Secus vero si per errorem circa causam impulsivam. VI. In absolvendo nonnulla requiruntur, ut valida, non-nulla, ut licita sit absolucionis. VII. Cur possit Superior secumque dispensare in votis, aut juramentis; sicut potest cum aliis; non possit tamen semetipsum a censuris absolvere eo pacto, quo potest alios? VIII. Absolucionis regulariter re-quirit presentiam absolvendi.

## ARTICULUS VI. 63

## De forma, ritu, ac solemnitate absolutionis.

I. Ad ferendam absolutionem a censura non requiruntur verba determinata; conferri tamen ea debet vel verbis, vel scriptura, non tamen nutibus. II. Num possit his verbis, Absolvo te, conferri absolucionis a censuris simul, & a pecca-

tis? III. Aliquando exprimenda est causa censurae ab Absolvente. IV. Plura spectant ad ritum accidentalem in judi-ciali absolucione a censuris. V. Quid servandum in foro Sacramentali?

## ARTICULUS VII. 65

Expediuntur reliqua, quæ ad Absolu-tionem a Censuris spectant.

I. Num remaneat a Censuris absolutus, qui retinet in Confessione Sacramentali peccatum, cui censura est annexa? II. Si premittenda erat satisfactio partis, ea non premissa, non est absolum a censuris, quamvis ex oblivione pecca-tum illud omisserit. III. Potest Episco-pus pro foro conscientia absolvere a casibus Papalibus occultis. Num etiam ab occultis reservatis in Bulla Cœna? Num Episcopus, & Mendicantes Privilegiati absolvere possint a sex illis casibus Clem. VIII., si sint occulti? IV. Quodnam delictum dicitur occultum; quodnam vero publicum? Quid si delictum in uno loco sit occultum, & in altero publicum? V. Impeditus adire Pontificem pro ab-solutione a casu Papali absolvi posse ab Episcopo. An possit etiam a confes-sario absolvi, si sit impeditus etiam adire pro absolutione Episcopum? Certe non potest a simplici Sacerdote absolvi direcere; si neque Papam, neque Episcopum, neque Confessarium adire pos-set. VI. Solum de licentia sui Superio-ris potest ab Episcopo absolvi Religiosus impeditus adire Pontificem. VII. Pra-lati regulares possunt suos subditos ab-solvere ab occultis Papalibus, prout pos-sunt Episcopi. Et ab excommunicatione contracta ob percussionem Clerici etiam enormem. VIII. Qui impedimento tem-porali laborant, ne possint Pontificem adire, ab Episcopo absolvi possunt, sed cum onere adeundi Papam cessante im-pedimento. IX. Quinam dicantur habere perpetuum impedimentum adeundi Pon-tificem.

tificem; quinam vero temporale? Quinam possit absolvī cum onere per hoc præcise, quod aliter carere diu deberet gratia sacramentali?

### QUÆSTIO III. 69

De Excommunicatione.

#### ARTICULUS I.

Quid, & Quotuplex sit Excommunicatio?

I. Excommunicatio quid sonet; & quomodo definiatur? II. Ecclesia per excommunicationem non privat hominem communione fidelium mere interna, qua fideles per fidem, & charitatem inter se copulantur, sed externa, seu politica, ac mixta, puta usu attivo, & passivo Sacramentorum, orationibus publicis, & similibus. III. Dividitur excommunicatio in maiorem, & minorem. Antonomastice denotatur major, qua vocari solet Anathema, licet ab hoc differat penes accidentales solemnitates. IV. Pariter dividitur in Latæ, & Feyendo sententia; In latam ab homine, & a jure, & in alia membra, non secus ac censura in communi.

#### ARTIC. II. 72

Quinam excommunicati sint vitandi?  
Et in quibusnam teneamus eos vitare?

I. Excommunicati a proprio Prelato ubique Gentium privantur communicacione fidelium; & ab omnibus vitandi, si non sint tolerati. II. Non toleratus, seu vitandus dicitur, qui nominatum est denunciatus, excommunicatus, & publicus Clerici percussor. III. Tolerati eodem modo privantur ex parte sua communicatione fidelium, ac si essent vitandi. IV. Fideles etiam in divinis com-

Pars VIII.

municare possunt cum excommunicato tolerato, potestque hic Sacra menta administrare solum, si petantur. At num licite peti ab eo possunt? V. Quid requiratur, ut publicus Clerici percussor sit vitandus? Certe raro vitandus est. VI. Si in uno loco excommunicatus sit nominatim denunciatus, aut publicus Clerici percussor, estne vitandus, ubi denunciatio non est publica, nec percussio Clerici innotescit publice? VII. Num teneat vitare Petrum per hoc præcise, quod aliquis fide dignus dicat, illum esse excommunicatum vitandum? VIII. Vitari debent excommunicati non tolerati in iis omnibus, qua denotantur eo versiculo, Os, orare, vale, communio, mensa negatur. IX. Num licet illos resalutare, aut iis rescribere? Num licet iisdem caput aperire, & alia signa urbanitatis prestare citra salutationem verbalem?

#### ARTIC. III. 76

Sub qua culpa, & poena excommunicati vitandi sint?

I. Communicatio in rebus civilibus fert de se veniale; in divinis vero mortale. II. Mortaliter peccat, qui communicat cum excommunicato in rebus civilibus ex contemptu. At non dicitur operari ex contemptu, qui frequenter delinquit, sed qui ex motivo contemptus legis, aut legislatoris delinquit. III. Sicut etiam qui cum excommunicato vitando communicat in crimen criminoso; aut si excommunicentur communicantes cum excommunicato. IV. Communicatio in divinis cum excommunicato admittit materia parvitatem, qua a mortali excusat. Num sit veniale cum illo privatim Horas recitare? V. Siue mortale frequenter in actionibus civilibus cum eo communicare? VI. Excusant a culpa communicantem cum excommunicato Utile, Lex, Humile, Res ignorata,

D d ta,

ta , Necesse . vii. In quibus casibus conjuges excommunicati nequeunt invicem communicare ? Et quid de famulis ? Quid de Sponsis ? Quid de filiis erga Parentes excommunicatos ? viii. Quoniam ignorantia ; & quoniam necessitas excusat e

## ARTIC. IV. 81

De Excommunicatione minore , ejusque causa , & effectibus .

i. Quid sit minor Excommunicatio ? Et quam ob causam incurritur ? ii. Ea non incurritur ob culpam ex imperfecta deliberatione veniale . iii. Per illam fidelis directe privatur passiva Sacramentorum participatione , & indirecte Beneficiorum collatione , necnon electione , ac presentatione ad illa . iv. Eam violans celebrando missam , irregularitatem non incurrit . v. Num ea immodatus valide Sacramentum Pœnitentia recipiat ? vi. Si hic ad Beneficium eligatur scienter , electio videtur non esse irrita , sed irritanda . vii. Conferendo Sacra menta , nisi simul recipiat , probabilius non peccat . viii. Communius negant , posse simplicem Sacerdotem ab ea absolvere .

## ARTIC. V. 84

Quam ob causam , præsertim temporalem , ferri potest excommunicatione major ?

i. Non nisi ob gravem culpam externam , & propriam , ea ferri potest ; Et quando res , que sub pena excommunicationis prohibetur , est levis de se , aut indifferens , debet esse gravis propriæ fictione gravem , ut possit sic sub gravi prohiberi , etiam si imponatur excommunicatione sententie ferenda . ii. Ex Tridentis , ut possit ferri excommunicatione ob causam temporalem , requiritur causa

gravis , & titulus , seu finis spiritualis . iii. Quando excommunicatio feritur contra non revelantes , quinam excusentur ? iv. In casibus Inquisitionis facienda est revelatio , etiam si delictum probari non possit , etiam sub sigillo naturali , & sub juramento non revelandi sit cognitum , etiam non premissa correctione fraterna , nuptio inutili . v. Num denunciandus sit reus , si sit emendatus , delictum tamen sit publicum , aut habeat effectum pendente ? vi. Quandonam subditu teneantur denunciare delicta vi Edicti , etiam si ad id non teneantur lege naturali ? vii. Quando ad denuncianem procedere debet infamia , aut correlio fraterna ? viii. Non denunciens forem , ad quod sub pena excommunicationis obligatur , probabilius ad reservationem tenetur . ix. Quamdiu durat obligatio denunciandi post Edictum Prelatorum ?

## QUÆSTIO IV. 90

De Effectibus Excommunicationis Majoris .

## ARTICULUS I. 91

De Effectibus immediatis , ac remotis Excommunicationis .

i. Effectus Excommunicationis immediatus , & proximi undecim solentenerari . ii. Quatuor ex his ad communicationem spiritualem spectant primario ; tres autem secundario , nuptie spectantes ad Beneficia , & rescripta Apostolica . iii. Reliqui quatuor spectant ad politicam , & temporalem participationem . iv. Effectus vero remoti , & mediati sunt sex alii , qui recensentur .

AR.

## ARTIC. II. 92

De Primo Excommunicationis effectu, qui est privare hominem suffragiis communibus.

1. Non privatur excommunicatus suffragiis, sed subsidiis spiritualibus, quae habentur a Christo Domino per missa Sacrificium, aut qua ab aliquo fideliter habentur, inquantum est persona particularis, sed solum iis, quae habentur ab Ecclesia, dum publice orat, Sacrificium offerit, & Indulgentias clargetur.
- II. Minister Ecclesia, inquantum est persona publica, illicite simul, & invalide offerit pro excommunicato Sacrificium, ac orationes, aut Indulgentias dispensat; valide tamen, & licite inquantum est persona privata pro eodem orat, ac offerit actionem ipsam sacrificandi, prout pender a merito privato operantis.
- III. Fructus Sacrificii ex opere operato valide, sed illicite pro eo offeritur a Sacerdote inquantum Christi minister. Tres quippe veluti personas Sacerdos representat.
- IV. Cur Ecclesia die Parasceves pro hereticis, & pro non baptizatis orebat?
- V. Probabiliter etiam in divinis licetum est cum excommunicato tolerato communicare.
- VI. At probabiliter nullatenus licetum est publicas preces pro excommunicatis contritis offerre.

## ARTIC. III. 96

De Secundo effectu, qui est privare excommunicatum participacione Sacramentorum.

1. Quandonam possit per accidens Excommunicatus recipere, & administrare Sacra menta?
- II. Num Excommunicatus vitandus post collatam moribundo in casu necessitatis absolutionem Sacramentalem possit euam Eucharistiam, ac

Exirem am Unctionem ministrare? III. Valida sunt Sacra menta ab excommunicato collata, excepta Panientia ab excommunicato vitando administrata extra casum necessitatis, nisi ad sit error communis.

IV. Excommunicatus ignorans suam excommunicationem, si bona fide accedit ad Sacra mentum Poenitentia, valide illud suscipit.

V. Irregularitatem incurrit excommunicatus, si Sacra menta administraret, aut Sacrum Ordinem exerceat, etiam si invalide ex defectu jurisdictionis Sacra mentum Poenitentia administraret.

VI. Excommunicatus non peccat per hoc, quod die festo Missam non audiat; peccat vero per hoc, quod sacram Synaxim in Paschate non recipiat.

## ARTIC. IV. 98

De Tertio effectu, qui fert privationem Divinorum officiorum, Ecclesiasticae sepulturae, & aliarum rerum sacratarum.

- I. Quid veniat nomine divinorum officiorum, quorum celebratio excommunicatis inhibetur? In recitatione privata Horarum non nisi veniale est socium adhibere, & dicere, Dominus vobiscum.
- II. Etiam toleratus veitum est Missam audire, aut ad illam cooperari dando stipendium; sed non toleratus eiendem est tempore divinorum officiorum.
- Quid si nequeat expelli? III. Num prohibeat excommunicatis uti rebus sacris?
- IV. Celebrans coram excommunicato vitando quam paenam incurrat?
- V. Sepultura Ecclesiastica quibus excommunicatis sit neganda?
- VI. Num excommunicatio lata contra sepelientes excommunicatum in loco Sacro incurrit a sepelientibus dumtaxat, an etiam a comitantibus, & a non impudentibus?

D d 2 AR

## ARTIC. V. 100

De Quarto, & Quinto effectu, qui ferunt suspensionem ab officio, & Beneficio, & inhabilitatem ad Beneficia Ecclesiastica.

I. Excommunicatus etiam toleratus privatur Beneficio post excommunicationem obtento, nec potest fructus illius facere suos, quamvis sua excommunicationis signarus. II. Num privetur etiam fructibus Beneficii ante excommunicationem obtenti? III. Num cujusvis Pensionis excommunicatus sit incapax? IV. Probabilis invalide Beneficium tempore excommunicationis acceptat, qui ad illud ante censuram fuerat electus. V. Collatio Beneficii facta tempore excommunicationis post absolutionem non revolidatur ipso facto. VI. Quod dictum est de Excommunicato, dicendum etiam est de Suspenso, ac de personaliter Interdicto.

## ARTIC. VI. 104

De Sexto effectu, qui est Privatio jurisdictionis.

I. Quinam dicantur actus jurisdictionis, qui prohibent excommunicato vitando, necnon tolerato, nisi fuerit hic a fidelibus requisitus? II. Actus jurisdictionis, qui a tolerato non requisito exercentur, illiciti sunt post Concil. Constant., non invalidi; Possuntque a fidelibus per exceptionem repelliri: Invalidi tamen sunt hujusmodi actus, si a vitando exerceantur. III. Non irritantur tamen actus, qui non sunt jurisdictionis presso dicta, qualis est, quod Parochus Matrimonio assistat. IV. Probabilis sunt actus stricte jurisdictionales, atque adeo invalidi, si fiant ab excommunicato vitando, dare facultatem assendi matrimonio, audiendi confessio-

nes; administrandi Sacra mentia, approbare Confessarios, & Concionatores, concedere dimissorias, & similes. V. Ele ctio, & Collatio Beneficii est invalida, si fiat ab excommunicato vitando; secus vero si fiat a tolerato. VI. Presentatio paruer Ecclesiastica facta ab excommunicato vitando est invalida; est vero valida presentatio laica, quamvis ab Episcopo possit repelliri. VII. Num possit Episcopus presentatum ab excommunicato vitando in Beneficio instituire. VIII. Institutio facta ab Episcopo vitando est invalida. Similiter concessio possessionis, quando talis Episcopus iudice aliquem in Beneficium introruit. IX. Postulatio, & nominatio solemnis est invalida, si fiat ab excommunicato vitando; secus vero simplex. X. Resignatio beneficij libera valide fit ab Excommunicato vitando; non tamen in favorem tertii.

## ARTIC. VII. 109

De reliquis Effectibus Excommunicationis.

I. Privatur etiam excommunicatus non solum civili communicatione, sed etiam forensi. II. Ecclesiastici judicis excommunicati acta sunt invalida. Num etiam judicis secularis? III. Similiter acta Arbitrii constituti ad formam judicis; non vero si tanquam vir prudens de consensu partium constitutus. IV. Quandonam excommunicatus possit esse Aelor in judicio? Solum privatum potest a suo debitore petere, quod sibi debetur. V. Si in judicio sit reus involuntarius, potest semetipsum defendere tam per Procuratorem, quam per se ipsum. VI. Tabellionis excommunicati aeta valent, & fidem faciunt, nisi a partibus ille excipiatur. VII. Testimonium Excommunicati quando sit validum?

VIII. Advocatus, & Procurator, sicut vitandi, a judice repellendi sunt; Si

vero sint tolerati; possent munus suum exercere, si a partibus invicentur. & a Judice non repellantur. ix. Graviter peccat qui ad dignitatem aliquam, quamvis iurisdictione carentem, promovet excommunicatum, etiam non toleratum. Invalide autem hic promoveri ad dignitatem Ecclesiasticae, cui sit annexa iurisdictione; & probabilitate etiam ad secularis. x. Acta Tutoris, & Curatoris excommunicati vitandum sint invalida? xi. Contractus civiles ratione publici officii ab excommunicato vitando celebrati sunt invalidi. xii. Quoniam rescripta sunt irrita, si cedant in favorem excommunicati?

### QUÆSTIO V. 114

De nonnullis Excommunicationibus in particulari.

#### ARTICULUS I.

De Prima Excommunicatione in Bulla Cœnæ.

i. Ad quinque capita reducuntur viginti illæ excommunications, que in Bulla Cœnæ feruntur, videlicet Ad fidem, ad Ecclesiam, ad Ecclesia hierarchiam, ad Sedem Apostolicam, ad Ecclesia caput; Verius illæ dicuntur late ab homine, quam a jure. ii. Prima Excommunicatione tangit decem genera Personarum in ordine ad hereticos, & ad hereticorum libros. iii. Hæresis fert eum errorum in intellectu, tum etiam pertinaciam in voluntate. Etiam dubius in fide est Infidelis. iv. Non incurritur hec censura per hæresim mere internam, sed per externam, etiamsi occulissimam, & etiamsi verbis ambiguis hæresim exprimeret. v. Num possint Episcopi ab hæresi occulta absolvere? vi. Schismatici in quo differant ab hereticis? vii. Credentes hereticorum dicuntur, qui illorum hæreses credunt; Recepta-

tores, qui qua tales receptant, & occultant: Fancores, qui commissione, vel omissione in causa hæresis iis favent: Defensores, qui qua tales illos tueri, etiamsi defendant ex motivo amicitia. viii. In Bulla Cœnæ solum excommunicantur legentes, retinentes, imprimentes, ac defendentes libros Hereticorum, hæresim continentes, vel de Religione tractantes. Relato ad alios libros Hereticorum, aut ob hæresis suspicionem damnatos, excommunicatio quidem incurrit, sed non reservata; Qui vero alios libros prohibitos legit, peccat graviter, sed nullam censuram incurrit. ix. Quid si quis legat vetios libros, quin illos intelligat? Quid si paginam dumtaxat eorum legat? Quid si quis audiat legentem illos? Quid si quis non tradat tales libros Inquisitoribus, sed eos comburat? x. Quoniam posse facultatem dare legendi libros vetios?

#### ARTICULUS II. 119

Perstringuntur reliquæ excommunications in Bulla Cœnæ.

i. Excommunicantur deinde Appellantes ad futurum Generale Concilium. ii. Pariet Piratae deprendane Christianos navigantes mare Ecclesiasticum. iii. Nec non surripientes bona naufragantium Christianorum, non tamen Hereticorum. iv. Item imponentes Pedagia, & Gabellas. Et quidem etiam Principes Supremi, si injuste illas imponant; possuntque ex multiplici capite injustitiam continere. Collecta ab Universitatibus imponi possunt, non tamen a Principibus. v. Falsarii etiam literarum Apostolicarum. vi. Et qui arma, & alia hujusmodi deferunt ad Infideles in perniciem Catholicorum. vii. Impedientes, ne via Italia, & alia Romana Curia necessaria ad eam adducantur, idque sine causa legitima. Quid autem venit nomine Curia Romana? viii. Vexantes eos, qui

qui ad Sedem Apostolicam ob causas ad illam pertinentes accedunt ; & qui jurisdictionem sibi vindicant adversus commorantes in Romana Curia. ix. Necnon vexantes Romipetas, qui ad Urbem principaliter causa devotionis accedunt. x. Qui vexant Cardinales, Episcopos, Nunios, &c., & qui Episcopos a suis Diocesisbus expellunt ; necnon mandantes, ratum habentes, ac favorem, consilium, auxilium interponentes. xi. Molestantes, qui ad Romanam Curiam pro suis negotiis recurrunt. xii. Pariter qui frivolum appellationem prætexendo ab Ecclesiastica ad Curiam Secularem confugiant, & literas Hortatorias, quae potius sunt comminatores, procurant. xiii. Qui prætexit exemptionum causas Spirituales, Beneficiales, decimarum, &c. a Judicibus Ecclesiasticis ad se avocant ; sive etiam prætexit violenter prohibenda. xiv. Item qui ex prætenso officio Personas Ecclesiasticas ad sæculare Tribunal trahunt, & libertati Ecclesiasticae prejudicant. xv. Et qui impeditunt, ne Judices Ecclesiastici sua jurisdictione utantur sive directe, sive indirecte, carcerando consanguineos. xvi. Similiter qui jurisdictionem Ecclesiasticam usurpant, aut fructus pertinentes ad Ecclesiasticas personas ratione beneficiorum, aut Monasteriorum ; aut si eos sequentur. xvii. Ac qui collecttas imponunt, aut alia onera potestate laicali Ecclesiasticis sine licentia Pontificis ; & qui a sponte dantibus sic imposta recipiunt ; quin ex consuetudinibus excusentur. xviii. Quandonam Ecclesiastici in communibus necessitatibus teneantur ex iustitia contribuere, & quomodo? xix. Iudices, & alii, qui in causis Criminalibus adversus Ecclesiasticos procedunt. xx. Et qui loca Pontifici subjæcta invadunt, usurpant, detinent, atque eorum famulos, &c.

## ARTIC. III.

125

De Excommunicatione ob percussione Clerici.

i. Quid venit nomine Clerici? Quid nomine Monachi? Num etiam Tertiarii? Num Eremita? ii. Quid sit manus violentas injicere? Quid si venenum Clerico propinetur? iii. Quando nam actio dicatur graviter injuria Clerico, & quando leviter? iv. Quid si Clericus consentiat in sui percussionem? Quid si seipsum percussit? v. A quam debeat verberari Clericus, qualiter pœnam mereatur? Num possit a laicis capi Clericus delinquens, ut sua Superiori presentetur? vi. Quam excommunicationem incurvant mandantes, consulentes, ratam habentes, & non impedientes Clerici percussionem? Et quandonam dicatur rata haberit? vii. Plurimis de causis percussor Clerici ab excommunicatione excusat, viii. Quam dicatur percussio levis, ratione cuius potest Episcopus absolvere ab hac excommunicatione ; quam percussio gravis ; & quam etiam enormis? ix. In dubio an percussio sit levis, vel gravis, num possit Episcopus absolvere? x. Quid si percussio sit etiam occulta? Et num Religiosi a suo Superiore absolvit possint, etiam si percussio fuerit etiam occulta?

## ARTIC. IV.

132

De Excommunicatione ob Duellum.

i. Quid sit Monomachia, seu Duellum prese dictum? ii. Eiam iure naturali, & divino Duellum est illicium ; & sub pena excommunications, aliisque pœnis ab Ecclesia venium. iii. Legitimum tamen est, aut ad pugnam inter paucos terminandam, aut ad se, ac sua defendenda, si alia via non sufficiat.

iv.

125  
rcussio-  
Quid  
Tertia-  
sit ma-  
si vene-  
Quando-  
osa Cle-  
Quid si  
tionem?  
A quo-  
quita-  
posse a  
ut suo  
am ex-  
ndante,  
non im-  
t quan-  
1. Plu-  
ab ex-  
1. Qua-  
tione cu-  
ab hac  
perclusio  
IX. In  
gravit,  
x. Quid  
ia? Et  
lovi pos-  
mis?  
132  
quellum  
natu-  
rum;  
aliis-  
11. Li-  
i mer-  
at sua  
petat.  
14.

iv. Non licet tamen illud acceptare ad timiditatis notum declinandam. v. Regularibus intra Italianas extra Urbem inhibetur absolvere provocantes, & pugnantes, nisi casus sit occultus.

### QUÆSTIO VI. 134

De Suspensione, Depositione, & Degradatione.

#### ARTICULUS I.

Quid, & Quotuplex sit Suspensio?

i. *Suspensio est censura, per quam Clericus privatur usq; officii, aut Beneficii. Abbatissa ab officio suspendi potest; ea tamen Suspensio non est censura; Nec censuram incurrit is, cui Confessarius, vel Abbatissa prohibet, ne celebret. ii. Multifariam Suspensio dividitur, & subdividitur. iii. Suspensus ab officio non est eatenus a Beneficio suspensus; nec e converso. Num possit Suspensus, aut excommunicatus percipere fructus Beneficii, si iis indigeat? iv. Si Beneficiarius sit suspensus, cuinam applicentur Beneficii fructus? Et num privetur iure eligendi? v. Suspensus ab ordine exercere potest actus jurisdictionis, & viceversa. Num autem Suspensus ab Ordine inferiore possit exercere actus Ordinis Superioris? vi. Suspensus ab Officio Sacraentorum potest recipere; quamvis ea administrare non possit. vii. Quomodo Suspensio differat ab Excommunicatione, ab Interdictione, & ab Irregularitate?*

#### ARTIC. II. 137

A quo ferri possit Suspensio, & Erga quos?

i. *Qui potest excommunicare, potest etiam ferre Suspensionem, & e converso. At non eatenus juxta usum Ecclesie fer-*

*re poterit Interdictum. ii. Clerici dumtaxat possunt hac censura irretiri. Suspensio generaliter lata contra Clericos non comprehendit Episcopos; & probabilis nec religiosos: Imperatores, & Reges solum improprie suspendi possunt, quatenus possunt ex concessione Apostolice Sedis Rectores Ecclesiarum nominare. iii. Poteſt tota Clericorum communitas suspendi, puta totum Capitulum, tanquam persona ficta; ac trifariae potest communitas istib[us] suspendi, videlicet tum relate ad functiones proprias communitalis, tum ad functiones proprias singulorum, tum relate ad utrasque.*

#### ARTICUL. III. 139

Quam ob causam ferri possit Suspensio?

i. *Suspensio partialis potest venialem culpam presupponere: At totalis mortalem. ii. Totalis suspensio ob culpam alienam non incurrit: Nequit proinde propter delictum aliquorum tota communitas suspendi relate ad functiones proprias singulorum. iii. Poteſt Communitas suspendi solum relate ad functiones, que ad corpus Communitalis spectant. iv. Cur possit Communitas interdicari, ita ut etiam innocentes ea censura ligentur; non vero similiter suspendi? v. Ob delictum prateritum suspensio ferri potest tanquam pena vindicativa, non vero tanquam censura, & pena medicinalis. Suspensio illa non requirit previam monitionem, potestque oretenus imponi, ejusque violator per exercitium Ordinis Sacri non incurrit irregulatatem; Secus vero suspensio, qua sit Censura.*

AR.

## ARTICUL. IV. 141

## De Suspensionis Effectibus, ejusque Violatione.

I. *Suspensus a beneficio solum privatur ejus fructibus; & probabiliter non reditur incapax alterius beneficii. Universim Suspensus privatur usū Ecclesiasticae potestatis.* II. *Violans suspensionem graviter peccat, nisi materia parvitas excusat.* III. *Suspensio ab ingressu Ecclesiae quid ferat? Et num ea contingatur sub censura Interdicti?* IV. *Non possumus sine gravi culpa cum suspensi nominatum denunciato communicare in iis artibus, a quibus est suspensus.* V. *Irregularitas non incurrit a violatione suspensionem, nisi ea violetur per exercitum Ordinis majoris. Et quam dicantur actus Ordinis Sacri?* VI. *Actus jurisdictionis exerciti a Suspensi nominatum denunciato sunt invalidi.*

## ARTICUL. V. 143

## De Absolutione, &amp; Cessatione Suspensionis.

I. *Quando fertur suspensio duratura per mensem, intelligitur mensis, qui tunc temporis habitur. Quid si eo mense, aut anno incidat bissextum?* II. *Suspensio lata per mensem non est censura. Suspensio vero lata, donec satisficeris, est censura, sed satisfacta parte non indiget nova absolutione; secus vero juxta usum, si quis excommunicetur, donec satisficerit.* III. *Quandonam possit Episcopus, & Privilegiorum absolvere a suspensione Papa reservata?* IV. *Quis possit universim a Suspensione absolvere? Num possint Parochus, & simplex Confessorius absolvere a Suspensione non reservata, eo modo quo possunt ab excommunicatione non reservata.* V. *Suspensio, qua sit pura poena, est reservata insigenti illam.*

*Num possit ab Episcopo relaxari post per actam a Reo paenitentiam?* VI. *Quanam sint suspensiones magis obvia in iure late?*

## ARTICUL. VI. 146

## De Depositione, &amp; Degradatione.

I. *Quid importet Depositio, quid Degradatio? Per priorem privatur Clericus omni officio, ac beneficio, retento solum privilegio fori, & Canonis; Per posteriorem vero etiam hoc privilegium quadam solemnitate privatur.* II. *In quo differat Suspensio a Depositione, & Degradatione?* III. *Degradatio verbalis confunditur cum Depositione; scilicet vero Realis.* IV. *Plura gravia crimina trahunt Depositionem, & plura graviora Degradationem.* V. *Depositio, & Degradatio Presbyteri spellat ad Episcopum; Episcopi autem ad Pontificem. Degradatus a solo Pontifice potest in pristinum statum restituiri; Depositus vero aliquando etiam ab Episcopo.*

## QUESTIO VII. 148

## De Interdicto, &amp; Cessatione a Divinis.

## ARTICULUS I.

## Quid, &amp; Quotuplex sit Interdictum?

I. *Per hanc censuram prohibentur omnia divina Officia, nonnullorum Sacramentorum administratio, & Ecclesiastica sepultura. In quo differat ab aliis censuris Interdictum?* II. *Interdictum aliud est Personale, aliud Locale; & utrumque subdividitur in Generale, & Particulare; necnon in latum ab homine, & latum a iure.* III. *Personale Interdictum non trahit locale, nec e converso, nisi forte per accidens.* IV. *Interdictum locale ab omnibus omnino ser.*

## ARTICULUS III. 156

Quam ob causam? A Quo? Et erga Quos ferri potest Interdictum?

*Servari debet; esto possit Episcopus ferens hanc censuram etiam ad aliquos effectus illam suspendere, aut tollere.* v. Civitate interdicta intelliguntur etiam interdicta loca Religiosorum, Suburbia, & Aedificia continentia. vi. Ex vi Interdicti personalis generalis quanam Personam obligentur, & quenam excipiantur? Interdicto dumtaxat Clero, probabilitas non intelliguntur interdicta Personae religiosa.

## ARTIC. II. 151

## De Effectibus Interdicti.

i. Nonnisi tres sunt effectus Interdicti, Privatio aliquorum Sacramentorum, omnium Divinorum, & Ecclesiastica Sepulchra. Plura tamen in cap. Alma Mater permittuntur. ii. Quenam Sacra-menta vi Interdicti prohibeantur? iii. Qui privilegio gaudet audiendi Missam tempore Interdicti, num die festo teneatur illam audire? iv. Quenam dicantur Divina officia tempore Interdicti vetua? v. Quinam possint tempore Interdicti Divinis officiis, qua permittuntur, interessere? Num infantes? Num Clerici conjugati? Num familiares eorum, qui privilegio gaudent? vi. Ecclesiastica sepultura quibusnam, & quando per Interdictum prohibeatur? vii. Num possit Ecclesiastica sepultura dari Interdicto, aut Suspensi ab ingressu Ecclesie? Et quid interest inter Suspensionem, & Interdictum ab ingressu Ecclesie? viii. Interdictus nominatum denunciatus non privatur usu jurisdictionis in foro externo. ix. Num sit invalidum, an solum illicitum Sacramentum Poenitentiae ab Interdicto administratum?

## Pars VIII.

1. Interdictum personale speciale presupponit culpam propriam; secus vero Interdictum generale, sive personale, sive locale. ii. Innocentes per Interdictum generale non puniuntur, sed solum Ecclesia ob justam sui defensionem subtrahit illis suum ministerium. iii. Interdictum generale prequirit gravem cul-pam. Et probabilitas etiam Interdictum speciale personale, nisi sit partiale. iv. Interdictum generale, ac speciale locale imponi nequit ob debitum pecuniarium; potest tamen ob id imponi Interdictum speciale personale, non secus ac Excommunicatio, & Suspensio. v. Ritus ferendi Interdictum quinam sit? vi. Ferre possunt Interdictum, qui jurisdictionem habent in foro exteriori, demptis Prelatis regularibus ex desuetudine. Etiam excommunicatus vitandus interdicere potest. vii. Quenam persone, & quenam loca interdici possunt? viii. Interdictum locale etiam ab Interdicente servandum est; nisi velit illud ad tempus, vel simpliciter tollere.

## ARTIC. IV. 158

## De Violatione Interdicti, &amp; de Participatione cum Personis interdictis.

i. Interdicti violatio secundum se est culpa lethalis. ii. Etiam laici violando Interdictum in multis casibus lethali peccant. iii. Quid si laicus missam audiret in loco sacro sine fraude, vi, aut scandalo? iv. Quandonam laici Interdictum violantes excommunicacionem incurvant? v. Clerici Interdictum violantes quandonam incurvant irregu-

E c la-

laritatem? vi. Religiosi non servantes Interdictum quam paenam incurvant? vii. Laici ne in Divinis quidem tenentur vitare Interdictos nominatim denunciatos: Clerici tamen tenentur eos vitare in iis rebus sacris, a quibus sunt interdicti; quando scilicet Clericis regimen Ecclesia commissum est, ubi Divina officia celebrantur; aut si iis astantibus ea celebrent.

### ARTICULUS V. 161

#### De Relaxatione, seu Absolutione ab Interdicto.

i. Non est idem tollere ad tempus, ac suspendere interdictum. ii. Interdictum latum ad tempus, eo lapso, sine alia absolutione cessat; latum vero simpliciter, & absolute sine absolutione non cessat. Nec cessat interdictum locale per destructionem adficiorum illius loci. iii. Interdictum personale generale latum contra Communiam, has disoluta, cessat ligare solum innocentes, non vero eos, qui causam interdicto dederunt. iv. Interdictum personale particolare non reservatum probabiliter absolvi potest per Confessarium, qui possit absolvere a mortalibus. v. Taciue reservatur interdictum, si feratur contra personam particularem; aut si hujus causa latum sit interdictum locale, aut generale personale. vi. Solum interdictum locale generale relaxari non potest ad cautelam. Et nunquam relaxatur interdictum, nisi a Principali delinquente satisfactio offeratur. vii. Non habetur determinata forma, qua tollatur, aut suspendatur interdictum. viii. Recensentur celebiores casus, in quibus a jure latum est Interdictum sive Locale, sive Personale.

### ARTIC. VI.

163

#### De Cessatione a Divinis.

i. Neque censura, neque pena est Cessatio a Divinis, sed imponitur in aliquum mœroris ob gravem injuriam Ecclesie, aut Divino honori illatam. ii. In multis ea differt ab interdicto. Probabiliter tamen qua permittuntur tempore interdicti localis, permittuntur etiam tempore cessationis a Divinis. iii. Probabiliter tempore Cessationis non prohibetur Sacra sepulchra, qua sine funebri officio fiat. iv. Præter causam gravissimam plurime conditiones requiruntur, ut indici possit Cessatio a Divinis. v. Cessationem hanc indicere potest is, qui ferre potest interdictum; Eaque tolli solum potest ab eo, qui illam tulit, aut a Superiori, vel successore. Ejusque effectus, non secus ac effectus excommunicationis, vii juris communis sunt inseparabiles.

### QUÆSTIO VIII. 165

#### De Irregularitate.

### ARTICULUS I.

Quid, & Quotuplex sit Irregularitas?

i. Irregularitas est moralis inhabilitas personæ ad Ordines recipiendos, & exercendos. ii. In quo differat a censuris, & a Depositione, ac Degradatione. iii. Nonnisi duo sunt effectus Irregularitatis; Videlicet Ordinum suscepionem, & Usum impedire. iv. Irregularis illicite quidem sacramentaliter absolvit, sed non invalide, si bona fide ad illum pœnitentes accedunt. v. Beneficiarius irregularis ad quid tenetur? Illicita, & irritanda potius est, quam irruia Beneficii collatio facta Irregulari. vi. Probabiliter Irregularitas non impedit

pedit susceptionem prime Tonsure. VII. Recensentur tam Irregularitates ex delicto, quam ex defectu. VIII. Irregularitas alia est Totalis, alia Partialis.

### ARTICUL. II. 169

Quam ob causam incurratur Irregularitas ex delicto? Et Quomodo ignorantia excusat?

I. Irregularitas non incurritur, nisi propter delictum externum simul, & consummatum, ac in suo genere perfectum. II. Negandum verius posse Pontificem pro veniali culpa Irregularitatis penam imponere. III. Non requiriatur, quod delictum, cui annexitur Irregularitas, sit publicum, aut quod probari possit. IV. Excusat ab ea incurrenda ignorantia probabilis, seu non crassa tam juris, quam pene. V. Qui patrato homicidio excusatur ab Irregularitate ex delicto ob ignorantiam probabilem, non fit irregularis ex defectu lenitatis. VI. Quamvis esset minus lenis Homicida, quam Minister justitiae, non per hoc ille etiam contrahit Irregularitatem ex defectu lenitatis. VII. Episcopus probabiliter potest dispensare in Irregularitate contracta ob homicidium occultum voluntarium, quod tamen in iudicio probari nequit: Sed in Irregularitate ex defectu lenitatis dispensare non potest; Quare universim homicida, qui ab Irregularitate ex delicto excusat, non contrahit Irregularitatem ex defectu.

### ARTIC. III. 172

Quisnam possit Irregularitatem impone, & Erga Quos?

I. Irregularitas de facto a jure imponitur, & incurritur ipso facto in casibus dumtaxat in jure expressis. II. Non incurritur Irregularitas in casu simili, aut majori, si non sit id expressum.

III. Capax est Irregularitatis quicunque capax est Ordinis, aut exercitii Ordinis, demptio Pontifice. IV. Episcopi, & Cardinales Irregularitatem incurrire possunt, quamvis de iis non fiat expressa mentio. V. Potest ex multiplicitate capite multiplex Irregularitas incurri, ita ut una sublata, altera remaneat.

### ARTIC. IV. 173

An dubium de Irregularitate excusat ab illa incurrenda?

I. In dubio juris, ratione ipsius juris dubii, irregularitas non incurritur. II. In dubio vero juris, ratione personae, qua dubitet de jure caseroqui non ambiguo, incurritur irregularitas, si ignorantia sit crassa, non secus ac incurrit censura; non tamen si ignorantia sit invincibilis, aut non mortaliter culpabilis. III. Etiam dubium facti excusat ab incurrenda irregularitate, non secus ac dubium juris. IV. Quod in tali dubio tuior pars eligatur, consilium est, non preceptum. V. In dubio homicidii injusti incurritur irregularitas ex delicto; at in dubio homicidii justi non incurritur irregularitas ex defectu lenitatis. VI. Incurritur in dubio homicidii irregularitas, quando constat tum de homicidio secuto, tum de causa culpabiliter adhibita de se sufficiente ad causandum hoc homicidium, & soluta dubitatur num ex hac causa, an aliunde illud sit secundum. VII. In dubio mutilationis non incurritur irregularitas, sicut in dubio homicidi. VIII. Qui dubitat, an suo consilio influxerit ad homicidium Clerici, debet se gerere ut irregulariter, non vero ut excommunicatum, nec tenetur saltem ad integrum restitutionem. IX. Procurans abortum, in dubio an fetus sit animatus, probabiliter non est irregularis. Et quid si dubitetur, nam fetus sit mas, qui citius, an fœmina, que serius animatur?

E e 2 AR-

## ARTICULUS V. 176

## Quomodo tollatur Irregularitas?

I. Nonnullae irregularitates cessant, cefante earum causa. At que proveniunt ex actu preterito qua tali, non qua moraliter perseverante, indigent dispensatione. II. Non cessat irregularitas per absolutionem, ut censura, nempe per actum judiciale; sed per dispensationem, qua est exceptio a lege communii, & dicitur *vulnus legis*. III. Quanam irregularitates per Baptismum tolluntur improprie; quanam vero proprie? Verius per Baptismum non tollitur irregularitas ex defectu lenitatis. IV. Episcopi in nonnullis dumtaxat irregularitatibus dispensare possunt. V. Num possit Episcopus secummet dispensare in iis irregularitatibus, in quibus id potest cum subditis suis? Num etiam cum Religiis exemptis? Num cum suis subditis extra propriam Diocesim? Quinam hac in re dicantur subditi Episcopo? VI. Num possit Episcopus simplificuer dispensare, quando reus in judicio est punitus, aut est absolutus? Et num Episcopi dispensatio pro sit pro foro externo? VII. Prelati regulares, qui gaudent quasi Episcopali jurisdictione, dispensare possunt cum suis subditis in iis irregularitatibus, in quibus possunt Episcopi cum propriis subditis. VIII. Dispensatio in irregularitatibus, que sit a Pontifice sine justa causa, est illicita; que vero sit ab Episcopo, est etiam invalida. IX. Etiam per verbum, Absolvo, dispensari potest irregularitas; quatenus ea est etiam quoddam vinculum, quo Irregularis irretitur, & per dispensationem dissolvitur. X. Virtute jubilai non potest conferri dispensatio in irregularitatibus nullis, etiam si irregularitates ex delicto essent censore, aut pena Ecclesiastice. XI. Dispensatio in irregularitatibus non semper est totalis.

Qui dispensatur indefinite ad Ordines, probabilius ad omnes Ordines, etiam maiores, dispensatur. XII. Probabiliter ratibabilio Superioris de praesenti, qua sufficit ad jurisdictionem conferendam, satis est ad dispensandum in irregularitatibus. XIII. Num ad obviendum dispensationem in pluribus irregularitatibus exprimi debeat numerus delitiorum, ob que sint contractae?

## QUÆSTIO IX. 183

De Irregularitatibus in particulari, tum ex delicto, tum ex defectu.

## ARTICULUS I.

De variis Irregularitatibus ex delicto.

I. Irregularitas ex iteratione Baptismi a quibusnam incurritur? Ob iteracionem Confirmationis, aut Ordinis irregularitas non incurritur. II. Innovatus censura, quamvis toleratus, irregularitatem incurrit per exercitium Ordini Sacri. Quinam dicatur Ordines Sacri exercere? III. Clericus etiam missans in Ordine Sacro, quem non habet, requiritur autem, & quod exercitus talis Ordinem exerceat, & quod habeat intentionem illum exercendi. IV. Incurritur etiam irregularitas aliquando per indignam susceptionem Ordinis Sacri, puta si conjugatus Sacris Ordinibus initietur. Dubstatur autem in multis casibus, num Suspenso dumtaxat, an vero Irregularitas incurritur? V. Pariter incurritur propter enormia crimina, puta propter Heresim, & Apostasiam tam a fide, quam a religione, & propter crimina infamiam indumentia. Heresistamen, & Apostasiam occulte probabiliter irregularitatem non inducunt. VI. In Bulla Cœna casus Heresies occulta reservatur Ponifici quoad absolutionem a culpa, & censura;

non

## De Irregularitate ex defectu lenitatis.

Ordines,  
etiam  
habiliter  
sti, qua  
rendam,  
irregula-  
nemdam  
gularita-  
delicta.  
  
non vero quoad dispensationem in irre-  
gularitate: Et probabiliter etiam per  
Vicarium Episcopi potest talis dispensa-  
tio conferri, non tamen absolutio.

## ARTICULUS II. 186

De Irregularitate, quæ incurritur  
propter homicidium, aut mutila-  
tionem injustam.

I. In quo differat homicidium voluntaria-  
rum a casuali? Quandonam casuale  
inducit irregularitatem? II. Ut mutila-  
tio iusta irregularitatem pariat, debet esse membra precipui. III. Irregu-  
laritas incurrit ab omnibus ad ho-  
mocidium concurrentibus; etiam ab eo,  
qui ex officio tenet illud impedit, &  
non impedit; non tamen a ratihabente.  
IV. Mandans homicidium, morte non  
secuta, excommunicationem quidem in-  
currit, non vero irregularitatem. V.  
Concurrens ad homicidium, si doleat  
de culpa, antequam ille moriatur, mor-  
te secuta, irregularitatem incurrit, se d  
probabiliter non incurrit excommunicationem.  
VI. Quid si mandatum de ho-  
mocidio, aut consilium revoceatur? VII.  
Quid si plures ad homicidium concur-  
rant ex subita rixa, sed unus tantum  
inflicat vulnus lethale? VIII. Si quis  
esset in causa, ut alter illicite expo-  
natur periculo mortis, hac secuta, ir-  
regularitatem incurrit. IX. Episcopus  
in irregularitate orta ex homicidio vol-  
untario, quamvis occulto, dispensare  
non potest: potest tamen, si oriatur ex  
casuali; Quid si illud sit omnino occul-  
tum, ita ut in judicio probari non pos-  
sit? X. Homicidium casuale non parit  
irregularitatem, si sine gravi culpa pa-  
rratum sit. Nec si patretur ab ebrio,  
vel dormiente, qui illud non prævidet.  
XI. Qui dat operam rei illicite pericu-  
loso, secuta alicujus morte, incurrit ir-  
regularitatem, quamvis diligentiam ad-  
hibuerit ad homicidium prevenendum.

in-

incidendo, & inurendo, peccant, sed irregularitatem ex defectu lenitatis non incurruunt. Num etiam Beneficiatis id veterur? XII. Num possit Episcopus in hac irregularitate dispensare?

#### ARTIC. IV. 195

Perstringuntur aliae Irregularitates ex defectu.

I. Qui ante legitimam etatem ordinatur, non est irregularis, sed suspensus, si mala fide Ordines suscepere: Quod si bona fide, non incurrit suspensionis censuram; nequit tamen illos exercere. II. Quinam dicantur ex defectu libertatis irregulares. III. Num ex debito pecuniario incurrit aliquando irregularitas ex defectu libertatis. IV. Tripliciter datur Bigamia inducens irregularitatem ex defectu significacionis, Vera, Interpretativa, & Similitudinaria. Interpretativa habetur quadrupliciter: Similitudinaria vero per duplex matrimonium, alterum carnale, alterum spirituale cum Christo per votum solemne Castitatis, saltem in professione Religiosa, si minus in Ordine Sacro. V. Potest Episcopus dispensare in Bigamia similitudinaria; At in interpretativa solum quando est occulta. Mendicantes ex suis privilegiis possunt in bigamia cum suis subditis dispensare. VI. Irre-

gulares sunt omnes infames tam infamia juris, quam infamia facti: Tollitur infamia facti per emendationem vite continuatam per triennium. Infamia juris raro admodum a Pontifice dispensatur. VII. Solemnis paenitentia olim irregularitatem inducebat. VIII. Num illegitimus occultus sit irregularis ex defectu natalium? Tripliciter hac irregularitas tollitur, per legitimationem factam a Pontifice, per Professionem Religionis, & per dispensationem. IX. Episcopus potest in hac irregularitate dispensare, si delictum Parentum sit occultum. X. Num expositus, cuius parentes ignorantur, presumendus sit legitimus XI. Num, & quando in amante, ac furioso cessest irregularitas, si sanitatem recupererent? XII. Quinam illiteratus sit irregularis ex defectu scientiae? XIII. Potest Pontifex dispensare in defectu scientia requisita jure canonico, non vero requisita jure naturali. XIV. Neophyti universi per decennum sunt irregulares. XV. Quinam defectus corporis irregularitatem inducat XVI. Ad Episcopum spectat judicare, num talis defectus corporis inducat irregularitatem? Ad Pontificem vero spectat in ea dispensare. Quid de Religiosis? XVII. Carens pollice, cum non possit ad Sacerdotium ascendere, neque poterit alios Ordines suscipere.

F I N I S.

IN-

# INDEX RERUM NOTABILIUM,

Quæ in hoc Morali Opusculo de Censuris  
continentur.

Prior numerus denotat Quæstionem ; Alter Articulum ; Tertius  
numerum marginalem .

## A

**A**bbatisa nequit ferre Censuras. 1.  
2. 5.  
Abbatisa num possit Suspensione pressæ  
dictæ suspendi? 6. 1. 1  
Absolvens a censuris debet saltem prima  
tonsuræ esse insignitus. 2. 5. 1  
Num possit laicus in absentia Clerici  
moribundum absolvere a Censuris? 2. 5. 2  
Num possit quilibet Clericus  
in absentia Sacerdotis moribundum a  
Censuris absolvere? 2. 5. 3. Quid re  
quiritur, ut absolutio a Censuris sit  
valida, & quid, ut sit licita, tam in ab  
solvendo. quam in absolvente? 2. 5. 6  
Absolvere semetipsum a Censuris ne  
mo potest: Quamvis possit aliquis fe  
cummer dispensare in votis, aut aliis  
obligationibus, sicut potest cum aliis.  
2. 5. 7. Absolvi num possit a Censuris  
abfensi? 2. 5. 8. Moribundus quomodo  
absolvatur a censuris reservatis? 2. 6. 8  
Absolvere quinam possit a Censura lata  
ab homine per sententiam five spe  
cialiem, five generalem pro peccatis  
præteritis? 2. 2. 10. A censura lata ab  
homine pro peccatis futuris per sen  
tentiam generalem potest quilibet  
Confessarius absolvere, si ea non sit  
reservata. 2. 2. 9. An Excommunica  
tione minore probabiliter potest qui  
libet Sacerdos absolvere, etiam extra  
Confessionem Sacramentalem. 2. 2. 5  
Absolvere quinam possit a Suspensione  
five lata ab homine, five lata a jure?

6. 5. 4. Num Parochus, & simplex  
Confessarius absolvere possint a Sus  
pensione non reservata? ibid. Num  
saltem Religiosi ex suis Privilegiis? i  
bid. Num possint iidem Suspensionem,  
quæ pura poena est, relaxare? 6. 5. 3  
Num possit Episcopus relaxare poenam  
Suspensionis a jure latam per tempus  
determinatum? 6. 5. 5  
Absolvere quinam possit ab Excommuni  
catione contracta ob percussione  
Clerici? 5. 3. 8. Quinam ab Excommuni  
catione contracta ob duellum? 5.  
4. 5.  
Absolvere potest Episcopus subditum  
suum extra propriam Diœcesim. 2.  
2. 11. Habens jurisdictionem ordina  
riam potest absolvere a Censuris in  
vitum, non tamen delegatus. 2. 5. 7  
Absolutio est omnino necessaria, ut cen  
sura tollatur. 2. 1. 1. Qui excommuni  
catur, donec satisficerit, præstata  
satisfactione, non indiget alia absolu  
tione; ea tamen censura etiam per ab  
solutionem tollitur. 2. 1. 3. Qui sus  
penditur ad tempus determinatum,  
puta per mensem, eo elapo, cessat  
Suspensio; sed talis Suspensio sic lata  
non est censura pressæ dictæ. 2. 1. 3  
Absolutio a Censuris non requirit ver  
ba determinata. 2. 6. 1. Num per hæc  
verba, Absolvo te, conferri possit ab  
solutio a Censuris simul, & a peccatis?  
ibid. Num valide conferatur per  
nutus? ibid. Num exprimenda sit cau  
sa Censuræ, præsertim si præmitten  
da sit satisfactio partis? 2. 6. 2. Abso  
lutio

*Index Rerum Notabilium.*

- Iutio a Censuris reservatis quandonam conferri debeat ab Inferiore cum onere? 2. 7. 5. Num absolvatur in Confessione a Censura, qui reticet peccatum, cui illa est annexa? 2. 7. 1. Absolutio a Censuris dari potest vel absolute, vel conditionate, vel ad reincidentiam, vel ad cautelam. 2. 3. 1. Quandonam dari solet absolutio ista ad cautelam? ibid. Nemo reincidere potest in eandem numero Censuram, sed solum in similem, & quidem ob novam culpam. 2. 3. 3. Quid si absolutio a Censura concedatur ad reincidentiam solum in ordine ad aliquem tantum effectum? ibid. Absolutio a Censuris metu extorta est invalida; esto valida sit censura ob metum lata. 1. 2. 5., & 2. 5. 4. Invalida etiam est absolutio extorta per dolum, aut errore circa causam finaliem; non vero circa impulsivam. 2. 5. 5. Num sit invalida, si feratur sub conditione ad causam impertinente, tanquam continens errorem intollerabilem; prout continentur in censura sic lata? 2. 3. 2. Absolutio ab Excommunicatione minore non confertur licite, si delinquens careat proposito relabendi. 3. 4. 8. Absolutio a censuris regulariter non confertur conditionate. 2. 3. 2. Impeditus adire Pontificem pro absolutione non tenetur per epistolam, aut per Procuratorem ire. 2. 3. 4. Absolutio ad reincidentiam quid ferat? 2. 2. 3. Absolutio conferenda, Auditis confessionibus, aut pro foro Pœnitentiae num prærequirat confessionem Sacramentalem? 2. 4. 3. Num possit virtute Jubilæi conferri absolutio a censuris etiam pro foro externo? 2. 4. 1. Absolutionem a censuris non reservatis universum impendere potest, qui iurisdictionem habet pro foro externo erga censuratos. 2. 2. 2. Parochus, & ali Confessarii ex delegatione juris ab iis possunt absolvere. 2. 2. 3. Habens facultatem absolvendi a mortalibus reservatis, potest a censuris Papæ reservatis absolvere, non vero a censuris reservatis Episcopo. 2. 2. 4. A censuris juris reservatis quisnam posse absolvere? 2. 2. 6.; Si satisfacta parte conferenda est absolutio, quænam factio requiritur? 2. 2. 8. Quid si excommunicatus domicilium mutet? 2. 2. 11. Absolutio a censura in quo sensu mortuis possit impendi? 1. 3. 2. Accusator in causa sanguinis, secuta morte, irregularitatem non incurrit, si accuset petendo satisfactionem pro injurya sibi, aut suis illata, & protestationem præmittat: Incurrit tamen illam, si injurya extranei sit illata, quamvis præmittat protestationem. 9. 3. 4. Potest pariter accusare cum ea protestatione ad præcavendum damnnum Reipublicæ. 8. 3. 5. Idem dicendum de Advocato, de Testibus necessariis, de Clamante, aut Comprehendente reum, ac tradente illum Judici laico. ibid. Inimo si malum Reipublicæ aliter præcaveri non potest, protestatio non est necessaria ad irregularitatem declinandam. ibid. Acta juridica excommunicati tolerari cur sint valida? 1. 7. 3. Actor in judicio quondonam possit esse, qui est excommunicatus? 4. 7. 4. Num possit hic esse actor per Procuratorem? ibid. Actus interni non puniuntur censuris, nisi per accidens ratione externorum. 1. 4. 4. Cur possint peccata mere interna reservari; & vota mere interna dispensari? ibid. Cur puniri possit censuris, qui recitat Horas sine ulla attentione, aut sine intentione celebrandi consecrat? ibid. Amens nequit excommunicari, potest tamen declarari excommunicatus. 1. 3. 5. Et statim debet absolvesi, si amnesia sit perpetua. ibid. Apostolica Sedes quid denotet, dum excommunicat vexantes accedentes, vel recedentes ab illa? 5. 2. 8. Apostolicarum literarum nomine quid veniat, dum excommunicantur in Bulla Cœnæ impudentes earum executionem? 5. 2. 12. Appellantes ad futurum Generale Concilium in Bulla Cœnæ excommunicantur. 5. 2. 1. Appellantes in causis Ecclesiasticis ad Curias seculares quondonam incurrint excommunicationem Bullæ Cœnæ? 5. 2. 12. Appellatio non suspendit effectus censuræ.

*Index Rerum Notabilium.*

rx jam latæ, nisi hæc feratur sub conditione, & interim appelletur. 1. 7. 4  
Appellatio quandonam est legitima, ita ut suspendat effectus censuræ? Et quando impedit sententiam declaratoriam censuræ incursa? 1. 5. 6. Quid si appellatio, quæ putatur valida, a Juge repellatur ut frivola? 5. 6. 3

B

**B**eneficiarii num possint in causis Ecclesiasticis Tabellionis munus exercere? 9. 4. 2.

Beneficiarii non vetatur officium Medicis, aut Chirurgi exercere citra abscissionem, & adustionem. 9. 3. 11.  
Num vetetur isdem tale munus exercere cum abscissione, & adustione; prout vetatur iis, qui Sacris Ordinibus initiati sunt? ibid.

Beneficii Ecclesiastici incapax est excommunicatus etiam toleratus, & quamvis suam excommunicationem ignoret: Unde non faceret fructus tuos. 4. 5. 1. Num privetur fructibus beneficij ante excommunicationem obtenti? 4. 5. 2. Num sit etiam incapax Pensionis saltem Laicalis, aut Mixtae? 4. 5. 3. Num Collatio beneficij facta excommunicato statim post absolutionem revalidetur? 4. 5. 5. Num sit valida Resignatio beneficij facta in favorem Tertiæ ab excommunicato vitando? 4. 6. 10. Electio ad beneficium facta a vitando est invalida; secus vero si fiat a tolerato. 4. 6. 5. Idemque dicas de Præsentatione ad beneficium, si sit Ecclesiastica, non vero si sit laica. 4. 6. 6. Idem etiam dicendum de Postulatione, ac Nominatione, quæ sit solemnis, & conferat jus; secus si sit simplex. 4. 6. 9.

Beneficium tempore excommunicationis collatum num possit per dispensationem Episcopi valide retineri? 1. 7. 5.

Bigamus quando est irregularis? 9. 4. 4. Bigamia inducens irregularitatem triplex est, Vera, Similitudinaria, & Interpretativa. ibid.

Bruta in quonam sensu excommunicentur? 1. 3. 3

*Pars VIII.*

Bulla Cœnæ viginti continet excommunicationes, quæ ad quinque capita reducuntur; Ad fidem; Ad Ecclesiam; Ad Ecclesiasticam Hierarchiam; Ad sedem Apostolicam; Ad Ecclesiæ Caput. 5. 1. 1. Prima excommunicatio fertur ad decem genera Personarum circa hæresim, & hereticorum libros. 5. 1. 2. Reliquæ seorsim recensentur, & discutiuntur. 5. 2. 1

C

**C**apitulum, seu communitas aliqua Clericorum si suspendatur, soluna suspenditur totum corpus, non singulæ personæ. 6. 3. 4.

Censura est poena medicinalis privans bonis quibusdam spiritualibus. 1. 1. 1. Etiam si ex illa non speretur emendatio, adhuc in bonum publicum infligi potest. 1. 1. 2. In tres species ea dividitur; & ideo irregularitas non est censura. 1. 1. 4. Nec cessatio a Divinis, quæ est affinis Interdicto. ibid. In quo differant Censura lata a Jure, & lata ab homine; necnon Censura Generalis, ac specialis? 1. 1. 5. Quid ferat censura latæ sententiæ, ac ferenda? 1. 1. 6. Quibus verbis ea ferri soleat? ibid. In dubio dicenda est ferendæ potius, quam latæ sententiæ. ibid.

Censura num possit contrahi ob culpam levem? 1. 4. 1. Num ob culpam mere internam, aut ob culpam interius gravem, & exterius levem? 1. 4. 4. Nequit infligi ob culpam, quæ præcise sit contra jus divinum naturale. 1. 4. 5. Nequit infligi adaequate pro peccato præterito, nec sine monitione, & comminatione. ibid. Propter peccatum alienum infligi potest Interdictum, aut Suspensio; non vero excommunicatio. 1. 4. 7. Ad censuram incurrandam requiritur voluntarium sufficiens ad peccandum lethaliter; & quod peccatum sit in suo genere completum. 1. 4. 8.

Censura quonam ritu ferri debeat? V. Ritus.

Censura passim non incurritur multis de causis; puta ob ejus nullitatem, ob injustitiam causæ, ob hominis in-

F f ne-

*Index Rerum Notabilium.*

- nocentiam, ob impotentiam, ob ignorantiam, ob metum. 1. 6. 1. Multifariam pariter potest esse nulla tam censura, quam sententia censuræ. 1. 6. 2. Quænam causæ injustitia excusat ab incurrenda censura? 1. 6. 3. Quænam ignorantia; Quænam impotentia; Quinam metus? 1. 6. 6 Censura unice tollitur per Absolucionem. 2. 1. 1. Etiam relate ad mortuós, licet indirecte absolvantur. ibid. Ea nequit pro tempore determinato ferri, puta per mensem. 2. 1. 2. Si feratur, Donec satisficerit reus, non tollitur sine absolitione, sed non requiritur post satisfactionem nova absoratio. 2. 1. 3 Censura ferri potest sub conditione de futuro, non tamen regulariter absoratio ab illa. 2. 3. 2 Censura sub conditione pertinente ad causam licite fertur; At sub conditione impertinente est illicita; imo sub tali conditione de futuro est invalida. 1. 5. 5 Censuras instituendi, ac ferendi potestas penes quem sit? 1. 1. 2. V. *Potestas.* Quænam conditions requirantur in ferente censuram, ut ea sit valida? 1. 2. 7. Erga quos censura ferri possit? 1. 3. 1. Num erga impuberis? 1. 3. 4. Num erga amentes 1. 3. 4. Num erga subditos alterius Diœcesis, aut erga subditos proprios in aliena Diœcesi delinquentes? 1. 3. 8. Num erga totam aliquam Communiteitam? 1. 3. 6 Censuras quisnam possit tollere? V. *Absolutio.* Censuræ effectus V. *Effectus Censuræ.* Cessatio a divinis neque censura est, neque poena. 1. 1. 4. & 7. 6. 1. In quo differat ab Interdicto? 7. 6. 2. Ex æquitate juris possunt divina officia celebrari tempore cessationis in iis solemnitatibus, in quibus id licitum est tempore Interdicti. ibid. Sepultura Sacra non prohibetur, dummodo fiat sine officio funebri. 7. 6. 3. Quid requiratur, ut possit imponi Cessatio a divinis? 7. 6. 4. Qui potest ferre Interdictum, potest Cessationem hanc imponere. 7. 6. 5. Quinam possit illam tollere? ibid. Citatio Rei præquiritur, ut quis de-
- claretur excommunicatus, si delictum non sit notorium. 1. 4. 5. Alter censor est invalida. 1. 5. 7 Citatio Rei pertinet ad formam substantialem censuræ. 1. 5. 4 Clericatus requiritur in eo, qui censuras fert. 1. 2. 7. Necnon in eo, qui absolvit a censuris. 2. 5. 1. Num possit laicus moribundum a Censuris absolvere deficiente Sacerdote? 2. 5. 2. Num saltem quilibet clericus in tali casu? 2. 5. 3 Clericus in causa sanguinis solum in sui favorem potest testificari præmissa protestatione; non vero in favorem alterius, etiamsi ad id cogatur a suo Prælato. 9. 3. 8 Clerici percussor. V. *Percussor Clerici.* Clericus quandonam amittit fori privilegium? 5. 2. 19. Clericum capiens, aut mandans capi in causis capitalibus, & criminalibus incurrit excommunicationem Bullæ Cœnæ. ibid. Quinam dicatur manus violentia in Clericum injicere? 5. 3. 2. Quid si quis venenum illi propinet? ibid. Quinam sit actio graviter injuriaſa Clerico, ob quam excommunicatio incuratur? 5. 3. 3. V. *Percussor Clerici.* Collectas, decimas, & alia onera impudentes super bonis Ecclesiasticorum, aut ea a sponte dantibus recipientes quandonam excommunicationem incurront Bullæ Cœnæ? 5. 2. 17. Quandonam possunt Ecclesiastici concurre ad refectionem pontium, fontium, & viarum? 5. 2. 18 Communicatione forensi qualiter privetur excommunicatus? 4. 7. 1 Communitas tota num possit excommunicari? 1. 3. 6 Condito nequit apponi in collatione Sacramentorum; citio apponi possit in contractu matrimoniali. 2. 3. 1. Condito licite sepe apponitur, quando fertur censura: sed non licite per se loquendo, quando datur absolutio a censuris. 2. 3. 2. Num sit invalida absolutio a censuris sub conditione impertinente ad causam, tanquam continens errorem intolerabilem? 2. 3. 2. Censura sub tali conditione lata certe continet errorem intolerabilem, & est invalida. ibid. Con-

Confessarius quandonam potest a censuris absolvire absentem? 2. 5. 8. Probabiliter potest Confessarius absolvire a casibus Papalibus impeditum adire tum Pontificem, tum Episcopum, licet cum onere; At simplex Sacerdos non potest ab iis absolvire impeditum adire tum Pontificem, tum Episcopum, tum etiam Confessarium. 4. 6. 5  
 Confulentes delictum non ligantur censura lata contra perpetrantes illud, nisi exprimantur, & consilium influat. 1. 4. 10. Quandonam consilium dicitur influere? ibid. Quid si consilium revocetur? ibid.  
 Contractus civiles ratione publici officii ab excommunicato vitando celebrati sunt invalidi. 4. 7. 11  
 Contumacia vera prærequiritur, ut feratur censura pro foro interno; sed sufficit præsumpta pro foro externo. 1. 4. 5.  
 Creditor vitandus non potest in judicio petere, quod sibi debetur. 4. 8. 4. Nec potest agere per Procuratorem. ibid.  
 Curatoris excommunicati acta. V. Tutor.  
 Curia Romana quid denotet, dum excommunicantur, qui impediunt, vivitualia ad illam deferri? 5. 2. 7. Nec non qui laudent commorantes in Curia Romana? 5. 2. 8

## D

Dæmoniaci, lunatici, furiosi quandonam, & quomodo celebrare possunt? 9. 4. 15  
 Degradationem meretur homicidium qualificatum, hæresis, sodomia sæpius exercita, falsificatio literarum Apostolicarum, Calumnia proprio Episcopo irrogata, & similia. 6. 6. 4. Depositionem vero meretur concubinus, Adulterium, Stuprum, Perjurium, Simonia notoria, & similia. ibid.  
 Delegata jurisdicção expirat morte delegantis, si res fit integra. 1. 5. 5  
 Delegatam habens jurisdictionem non potest a censuris absolvire invitum; sicut potest habens jurisdictionem or-

dinariam. 2. 5. 7. Delegatus non potest a Censuris absolvire pro quando cessavit jurisdicção in delegante. 2. 2. 10.

Delegatus ad universitatem causarum num possit subdelegare? 1. 2. 5  
 Delinquens in aliena Dioecesi a quoniam cogi possit ad satisfaciendum, & quomodo? 1. 3. 8. Delinquens in loco exempto ab Episcopo, sed intra Dioecesum Episcopi, num excommunicatum incurrat ab Episcopo latam? 1. 3. 10.

Denunciatio Rei in casibus Inquisitionis facienda est, etiamsi delictum probari non possit, etiamsi sub secreto naturali delictum sciatur, & cum juramento non revelandi; ac etiam non præmissa correctione fraterna. 3. 5. 4. Num denunciandus sit reus, si sit emendatus? 3. 5. 5. Quandiu durat obligatio denunciandi post Edictum Prelatorum? 3. 5. 9. Num debeat præcedere infamia, ut reus denuncietur? 3. 5. 7.

Denunciatio, seu Publicatio Censuræ quoniam ritu feratur? 1. 5. 7. A quoniam Judice ea fieri debeat? ibid. Ante denunciationem præcedere debet sententia declaratoria criminis. ibid. Denunciationem furis, ad quam teneatur, omittens num teneatur ad restitutionem? 3. 5. 8

Depositio, & degradatio quid ferant? 6. 6. 1. Degradatio verbalis confunditur cum depositione; secus vero Reialis. 6. 6. 3. Ad Episcopum spectat depolare, aut degradare Presbyterum; Ad Pontificem vero Episcopum. 6. 6. 5. Depositus potest ab Episcopo aliquando in pristinum statum restituiri; non tamen Degradatus. ibid. Plura gravia crimina ferunt depositionem; sed graviora degradationem. 6. 6. 4  
 Depositio, ac degradatio quomodo differant a suspensione? 6. 1. 6., & 6. 6. 2. Dispensare num possit Episcopus in Censuræ effectibus eo pacto, quo potest Pontifex? 1. 7. 6

Domicilium, & quasi domicilium quomodo acquirantur? 1. 3  
 Domicilium mutans excommunicatus a quoniam possit absolviri? 2. 2. 11  
 Dubium sive juris, sive facti num excusat ab incurrenda Censura? 1. 6. 8.

F f 2      Num

*Index Rerum Notabilium.*

Num etiam ab incurienda irregularitate? 1. 6. 7  
Duelum solum in duobus casibus est licitum. 5. 4. 3. Secundum se etiam iure naturali est illicitum; & sub persona excommunicationis s̄pē vetitum, etiam relate ad patrinos, socios, spētantes de industria; ac pariter effēctu non secuto. 5. 4. 2. Num possint mendicantes ab ea absolvere; saltem si casus est occultus? 5. 4. 5

E

**E**clesia cur oret die Parasceves pro hæreticis, & pro non baptizatis? 4. 2. 4  
**E**cclæsticam libertatem, & immunitatem lædentes quandonam incurruunt Excommunicationem Bullæ Cœnæ? 5. 2. 14.  
**E**cclæstici quandonam, & quomodo possunt concurrere ad refectionem pontium, fontium, & viarum? 5. 2. 18. Num possint aliquid sponte dare pro communib⁹ necessitatibus, quando non suppetunt facultates laicorum? 5. 2. 17  
**E**cclæstici num possint in Curiis Principum Cancellarii, Consiliarii, ac Judicis munus in causis tantum civilibus exercere? 9. 4. 2  
**E**dicta Prælatorum quamdiu durent? 3. 5. 9.  
**E**ffectus censuræ alter proximus, & intrinsecus, alter remotus, & extrinsecus 1. 7. 1. Privatur ubique Gentium quibusdam bonis spiritualibus, & temporalibus etiam excommunicatus toleratus, ante Judicis sententiam 1. 7. 2. Effectus censuræ perseverant, donec per absolutionem hæc tollatur. 1. 2. 3. Pontifex in Censuræ effectibus qualiter possit dispensare? 1. 7. 5. Num pariter possit Episcopus? ibid.  
**E**ffectus censuræ quandonam suspendi possint? 1. 5. 5., & 1. 7. 4. Excusant plurima ab incurienda censura; Præfertim ejus nullitas, injustitia cause, metus, ignorantia, impotentia, &c. 1. 6. 1.  
**E**piscopi a quibusnam censuris absolvere possint? 2. 6. 3. Num a casibus occultis Bullæ Cœnæ? ibid. Num etiam ab hæresi occulta? 5. 1. 5

Episcopi, & Cardinales irregularitatem incurrire possunt, quamvis de iis expressa mentio non fiat. 8. 3. 4. At Interdictum, & Suspensionem non incurrint, si non exprimantur. 6. 3. 2. Episcopus quandonam possit subditos alterius Diæcesis excommunicare? 1. 3. 8. Num possit censuris ligare subditum in aliena Dicecesi delinquenter? 1. 3. 9. Quinam dicatur Episcopi subditus, ita ut ab eo excommunicari possit? 1. 3. 11. Num peregrini, & vagi dicantur subditi quoad hunc effectum? ibid.

Episcopi statutum generale quosnam comprehendat? 1. 3. 10. Episcopus nequit subditum excommunicare extra propriam Dicecesim; Prælatus vero Regularis potest ubique Gentium. ibid.

Episcopus potest suspendere aliquos effectus suspensionis, non vero excommunicationis. 6. 1. 7. In sententia generali suspensionis, aut Interdicti non comprehenduntur Episcopi, neque Cardinales, nisi exprimantur. 6. 3. 2

Episcopus potest aliquando Interdictum tollere ad tempus: At solus Pontifex potest illud suspendere. 7. 5. 1. Excommunicationem autem Episcopus neque suspendere potest, neque ad tempus tollere. ibid. Num possit Episcopus dispensare in irregularitate orta ex homicidio, quod sit omnino occultum, ut non possit in judicio probari? 8. 2. 7. In quibus irregularitatibus potest universim Episcopus dispensare? 8. 5. 4. Sine justa causa non solum illicite, sed etiam invalide in iis Episcopus dispensat. 8. 5. 8. Num possit secundum in irregularitatibus dispensare? 8. 5. 5. Num cum suis subditis extra propriam Dicecesim? ibid. Num isthac Episcopi dispensatio profit pro foro externo? 8. 5. 6.

Num possit Episcopus dispensare in irregularitate ex defectu lenitatis? 9. 3. 12. Num in irregularitate ex defectu natalium, si illegitimitatio proveniat ex delicto occulto? 9. 4. 9

Episcopus num possit dispensare, ut valde retineatur Beneficium tempore excommunicationis collatum? 1. 7. 5.

Num possit in Censuræ effectibus dispensare, prout potest Pontifex? ibid.

Po.

*Index Rerum Notabilium.*

- Potest suum subditum extra propriam  
Diœcesim a censuris absolvere. 2. 2.  
II.  
Eremitæ, si vivant in communitate sub  
obedientia Prælati, quamvis professio-  
nem non emittant, censentur personæ  
Ecclesiastice. 5. 3. 1  
Error circa causam finalem reddit absolu-  
tionem a censuris invalidam; non  
tamen error circa causam impulsivam. 2. 5. 5  
Excōmunicatio quid sit? 3. 1. 1. Quibus bo-  
nis privet? 3. 1. 2. Quotuplex sit? 3. 1. 1.  
In quo differant excommunicati vitandi  
a toleratis? 3. 2. 4. Num sit vitandus  
publice denunciatus, aut publicus  
Clerici percussor, ubi id est occultum? 2. 3. 6.  
Quid requiratur, ut percussor  
Clerici sit vitandus? 2. 3. 5. Vitandi in  
quibusnam vitari debeant? 2. 3. 8. Num  
possint resalutari, aut etiam salutari? 2. 3. 9.  
Num Petrus sit vitandus per  
hoc præcise, quod aliquis fide dignus  
dicat, illum esse publice denunciatum?  
3. 2. 7.  
Excommunicatio minor quid ferat; &  
quam ob causam incurritur? 3. 4. 1.  
Directa privat participatione passiva  
Sacramentorum, & indirecta privat  
electione, præsentatione, & collatione  
Beneficiorum. 3. 4. 3. Ea non incur-  
ritur ob culpam veniale ex imper-  
fecta deliberatione. 3. 4. 2. Nec tra-  
hit irregularitatem, si violetur per  
exercitum Ordinis Sacri. 3. 4. 4. Num  
valide possit ea innodatus Sacramen-  
tum Pœnitentia suscipere? 3. 4. 5. Num  
valide ad Beneficium eligatur? 3. 4. 6.  
Probabiliter non peccat, si Sacra-  
menta conferat, sed non recipiat. 3. 4. 7.  
Num possit simplex Sacerdos ab ea  
absolvere? 3. 4. 8., & 2. 2. 5. Non con-  
fertur licite absolutio hæc, si delin-  
quens careat proposito non relaben-  
di. ibid.  
Excommunicatio minor num privet mi-  
noribus bonis, quam Interdictum, &  
Suspensio. 1. 4. 3. Cur etiam ob cul-  
pam levem ea incurritur, non vero  
ista? ibid.  
Excommunicatio major etiam sententie  
ferendæ non imponitur, nisi aliquid  
sub gravi prohibeatur. 3. 5. 1. Ob cau-  
sam temporalem non fertur, nisi ob  
finem spiritualem. 3. 4. 2. Si feratur  
contra non revelantes, quinam excu-  
sentur? 3. 4. 3  
Excommunicationis effectus immediati  
sunt undecim. 4. 1. 1. Remoti vero  
sex. 4. 1. 4. Ex immediatis quatuor  
spectant primario ad communicatio-  
nem spiritualem, tres ad eandem  
secundario; puta ad Beneficia,  
&c.: Alii quatuor ad politicam, &  
temporalem communicationem. 4. 1.  
2. Quibusnam subsidiis spiritualibus  
privetur excommunicatus? 4. 2. 1.  
Num invalide pro eo sacrificium offe-  
ratur? 4. 2. 2. Num liceat cum tolerato  
in divinis communicare? 4. 2. 5.  
Num liceat Sacrificium, & publicas  
preces offerre pro excommunicatis to-  
leratis? 4. 2. 5. Num pariter pro ex-  
communicatis contritis, per quos non  
stat, ne absolvantur? 4. 2. 6  
Excommunicatio num possit cadere in  
mortuos? 1. 3. 2. In quonam sensu  
mortui ab excommunicatione absolvun-  
tur? ibid. Et in quonam sensu Bruta  
excommunicantur? 1. 3. 3. Excommuni-  
cari num possint impuberes post se-  
ptuennium? 1. 3. 4. Num amentes? 1.  
2. 5. Num Communitas tota? 1. 3. 6  
Excommunicatio ferendæ sententia num  
semper præsupponat præceptum ob-  
ligans sub gravi? 1. 4. 1. Num possit  
Excommunicatio major ferri ob ma-  
teriam levem? 1. 4. 2  
Excommunicatio privat hominem com-  
munione fidelium. 3. 1. 1. At in  
civilibus communicare est veniale;  
non tamen si id fiat ex contemptu.  
3. 3. 2. Operari ex contemptu non est  
frequenter labi, sed ex motivo con-  
temptus legis, aut legislatoris delin-  
quere. ibid. Num sit mortale frequen-  
ter in actionibus civilibus communi-  
care cum excommunicato? 3. 2. 5.  
Quid sit communicare in crimen  
criminofo, quod de se est mortale?  
3. 3. 3. Num detur materiae parvitas  
in communicatione in divinis? 3. 3. 4.  
Num sit veniale privatim Horas reci-  
tare cum excommunicato? ibid. Quo-  
modo excusent *Utile*, *lex*, *humile*,  
*res ignorata*, *necessitate*? 3. 3. 6. Quando-  
nam possunt conjuges, filii, famuli,  
sponsi, subditi communicare cum ex-  
communicato? 3. 3. 7.  
Excommunicatus, etiam toleratus, an-  
te

*Index Rerum Notabilium.*

- te Judicis sententiam privatur quibusdam bonis spiritualibus, & temporali bus. 1.7.2  
**E**xcommunicatus num possit socium adhibere in recitandis Horis privatim? 4.4.1. Nequit stipendum dare ad faciendum Sacrum. ibid.  
**E**xcommunicatus negligens absoluti onem non peccat contra preceptum audiendi missam die festo, illam non audiendo; peccat vero non suscipiendo Sacramentum Pœnitentiae; necnon Eucharistia in Paschate. 4.3.6. Quomodo expellendus, si nolit recedere, dum fit Sacrum? 4.4.2. Quibus rebus sacris possit uti? 4.4.3. Ubi, & quomodo sepeliendus sit? 4.4.5  
**E**xcommunicatus invalide promovetur ad dignitatem Ecclesiasticam, cui sit annexa jurisdic̄tio; & probabiliter etiam ad secularem. 4.7.9. Peccat graviter, qui illum promovet ad aliquam dignitatem, quamvis jurisdictione causentem. ibid. Illicite, sed valide promovetur excommunicatus vitandus ad munus, ac dignitatem, cui nulla est annexa jurisdictione. ibid.  
**E**xcommunicatus, donec satisfecerit, adhuc præstata satisfactione, indiget absolutione; At suspensus, Donec satis fecerit, non indiget deinde nova absolutione. 6.5.3  
**E**xcommunications in Bulla Cœnæ. V. Bulla Cœnæ.  
**E**xcusantur multis de causis, qui communicant cum excommunicato vitando. 3.3.6. Sicut etiam qui non denunciant, quando id præcipitur. 3.5.5. Et qui Clericos percutiunt. 5.3.7  
**E**xpositi num presumendi sint illegitimi, & irregulares? 9.4.8  
**E**unuchus num sit irregularis? 9.4.15

**F**

- F**æminis nequit probilius delegari potestas ferendi censuras. 5.2.4  
**F**orma, seu ritus servandus in ferendis censuris. 1.5.1. Quænam spectent ad formam substantialem, quænam ad accidentalem in absolvendo a censuris? 2.6.1., & 2.6.4

- G**Abellas imponentes quandonam ex communicationem Bullæ Cœnæ incurvant? 5.2.4. Gabella multifariam potest esse injusta videlicet ratione personæ, ratione materiae, & ex parte cause. ibid.  
**G**enerales Religionum num possint subditis suis facultatem concedere legem libros vetitos? 5.1.10  
**G**eneralis Societatis potest cum illegitimis dispensare ad dignitates in Religione obtinendas. 9.4.8

**H**

- H**æresis occulta reservatur Pontifici quoad absolutionem a culpa, & censura, non vero quoad dispensationem in irregularitate. 9.1.6  
**H**æreticorum credentes, Receptatores, Fautores, Defensores quinam dicantur? 5.1.7. Num incurrat excommunicationem Bullæ Cœnæ, qui hereticum protegit, in quantum amicus est, non in quantum hereticus? ibid.  
**H**æreticorum libri non spectant ad Bullam Cœnæ, nisi vel hæresim contineant, vel ex professo tractent de Religione. 5.1.8  
**H**æreticus fingens se conversum ad fidem, invalide a censuris absoluitur 2.5.6.  
**H**æreticus quinam dicatur? 5.1.3. Apo statia a fide, qui transit ad Judaismum, aut Paganismum, est etiam hereticus. ibid. Excommunicationem non incurrit, qui hæresim non manifestat signo externo. 5.1.4. At quid si verbis ambiguis illam manifestet? ibid. Ob hæresim externam, licet occultissimam, incurrit excommunicatione. ibid. Dubitans pertinaciter de rebus fidei est hereticus, non secus ac errans pertinaciter. ibid. Hæreticus pariter, & schismaticus est, qui non agnoscit in Pontifice plenam potestatem in rebus spiritualibus; Est vero solum schismaticus, qui agnoscens illum ut Caput Ecclesiae, pertinaciter renuit illi obtemperare. 5.1.6. Num possit Episcopus ab hæresi occulta absolve re? 5.1.5  
**H**o-

*Index Rerum Notabilium.*

- Homicida ignorans poenam irregularitatis ex delicto, num saltem incurrat illam ex defectu lenitatis? 8. 2. 5. ibid.  
**Homicidium**, quod patratur cum moderamine inculpatæ tutelæ, non fert ullam irregularitatem. 9. 3. 10. Quid requiritur, ut dicatur fieri cum tali moderamine? ibid.  
**Homicidium** si sit omnino occultum, ita ut non possit in judicio probari, trahit irregularitatem, quæ probabilitate potest ab Episcopo dispensari. 8. 2. 7.
- I**
- I**gnorantia vincibilis num excusat ab incurrenda censura? 1. 6. 7. Num etiam dubium sive juris, sive facti, sive solius poenæ? 1. 6. 8. Num ignorantia invincibilis excusat ab incurrenda irregularitate ex delicto? 1. 6. 7  
**Illegitimus** est irregularis ex defectu natalium. 9. 4. 8. Quid si sit occultus? ibid. Cum eo potest Generalis Societatis etiam ad Prælaturas in Religione obtinendas dispensari. ibid.  
**Illiteratus** quando dicendus sit irregularis? 9. 4. 12  
**Impeditus** adire Superiorem suum, ut a censuris absolvatur, poterit ab auxiliis, vel ab inferiore judice absolvit præstata satisfactione, & juramento, quod quamprimum poterit, se presentabit Superiori suo. 2. 2. 11  
**Impeditus** adire Pontificem pro absolutione a censura non tenetur, licet possit, ire per Procuratorem, aut per Epistolam. 2. 3. 4. Sicut impeditus adire Pontificem pro absolutione a reservatis potest absolvit cum onere ab Episcopo; ita probabiliter, si sit etiam impeditus adire Episcopum, poterit a Confessario absolvit cum eo onere. At si sit etiam impeditus adire Confessarium, non poterit a simplici Sacerdote absolvit. 2. 7. 5. Quodnam dicitur impedimentum perpetuum, quo posito, absolutio sine ullo onere conferatur? Quodnam vero tempore, quo posito, absolutio cum onere conferatur? 2. 7. 9  
**Impotentia** excusans a censura incurrenda quænam sit? 1. 6. 6. An qui culpabiliter redditur impotens, ab ea excusat?
- setur? ibid.  
**Impuberis** post septennium num possint excommunicari? 1. 3. 4. Non expedit eos censuris ab homine latis ligari. ibid.  
**Impuberis** absolvit possunt ab Episcopo ab excommunicatione contracta ob enormem Clerici percussionem, quamvis absolutionem petant post pubertatem. 5. 3. 10  
**Indulgentia** plenaria per modum jubilæi num ferat facultatem, ut quis a reservatis absolvatur? 2. 2. 6  
**Infamia** quid sit? 3. 5. 7. Num ea praecedere debeat, ut possit delinquens denunciari? ibid.  
**Infamia** juris, aut facti, quæ trahit irregularitatem, quænam sit? 9. 4. 6  
**Injustitia** causæ quandonam excusat ab incurrenda censura? 1. 6. 4  
**Innocens** judici præcipienti aliquid sub censura quoniam pacto teneatur obtemperare? 1. 6. 4  
**Innocens** in foro tantum externo nequit nominatim censura ligari a judge, quamvis hic pro comperto habeat eus reatum. 1. 6. 4  
**Inquisitor**, aut Episcopus num possint facultatem concedere legendi libros vetitos? 5. 1. 10  
**Interdicti** cur possint innocentes alicuius communictatis, non vero excommunicari, nec totaliter suspendi? 6. 3. 4  
**Interdictum** quomodo differat ab aliis censuris, & a cessatione a divinis? 7. 1. 1., & 7. 6. 1. Aliud est locale, aliud personale; & utrumque aliud generale, aliud particulare. 7. 1. 2. Aliquando fertur ut pena vindicativa ob delictum præteritum. ibid. A quibus servari debeat interdictum locale? 7. 1. 4. Quinam ligentur per Interdictum generale personale? 7. 1. 6  
**Interdicti** effectus sunt tres, Privatio liquorum Sacramentorum, Omnium divinorum officiorum, & Ecclesiastica sepulturæ. 7. 2. 1. In nonnullis festivitatibus divina officia permittuntur. ibid. Quinam Sacraenta prohibeantur? 7. 2. 2. Num teneatur audiare missam die festo tempore Interdicti, qui ad id obtinuit Privilegium? 7. 2. 3. Quid veniat nomine divinorum officiorum? 7. 2. 4. Quinam possint ad ea admitti? 7. 2. 5. Quibusnam per-

permittatur Ecclesiastica sepultura tempore Interdicti? 7.2.6  
 Interdictum personale speciale prærequirit culpam propriam. 7.3.1. Num prærequirat gravem culpam? 7.3.3 Quomodo possint innocentes ligari per Interdictum locale, aut per generale personale? 7.3.2. Interdictum num possit ferri ob debitum pecuniarium? 7.3.4. Quoniam ritu ferri debeat? 7.3.5. Quinam possit Interdictum ferre? 7.3.6. Quinam possint interdici? 7.3.7 Interdictum violare de se est mortale. 7.4.1. Quibus in casibus etiam laici mortaliter peccant violando Interdictum? 7.4.2. Quam poenam incurvant violantes Interdictum? 7.4.4. In quibus casibus tenemur vitare Interdictos nominatim denunciatos? 7.4.7 Interdictum potest aliquando ab Episcopo ad tempus tolli, non potest tamen illud suspendi, nisi a Pontifice. 7.5.1. Latum ad tempus, vel sub conditione cessat deinde sine alia absolutione. 7.5.2. Quisnam possit ab eo absolvere? 7.5.5. Quoniam ritu relaxetur? 7.5.7. Recententur celebriores cauze, ob quas incurritur. 7.5.8 Interdictus ab ingressu Ecclesiae poterit in loco Sacro sepeliri, si prius dederit signa Pœnitentie. 7.2.2. Quid significet Interdictum ab ingressu Ecclesiae, & num coincidat cum suspensione ab ingressu Ecclesiae? ibid. Irregularitas ex indecentia morali, seu ex delicto non incurritur, nisi per culpam mortalem externam, & consummatam. 8.2.1. Ea non incurritur interveniente ignorantia probabili, seu qua non sit crassa. 8.2.4. Irregularitas tamen ex indecentia physica, seu ex defectu etiam ab ignorantie illam incurritur. ibid. Num homicida ignorans poenam irregularitatis ex delicto incurrat illam ex defectu lenitatis? 8.2.5 Irregularitas ex delicto non est censura. 1.1.4. Nec est pena Ecclesiastica, quæ virtute jubilee tolli possit. ibid. Num excusat ab ea incurrenda ignorantia invincibilis talis poena? 1.6.7 Irregularitas non incurritur in dubio juris ratione ipsius juris; nec in dubio facti, nisi solum in dubio homicidii injusti; quando scilicet constat de ho-

micio, & de causa culpabiliter ap- posita ad illud causandum, & dubiatur num ex tali causa sit secutum? 8.4.1. Dubitans, an ex suo consilio secutum sit homicidium Clerici, debet se gerere ut irregularem. 8.4.8. An etiam debeat is se gerere ut excommunicatum, & teneatur ad restituitionem? ibid. Num debeat probabilius esse, quod ex tali actione secutum sit homicidium? ibid. Num secuto abortu, in dubio, an fetus fuerit animatus, irregularitas incurritur? 8.4.9. Num in dubio an fetus fuerit masculinus, censendum sit femininus, qui tardius animatur? ibid. In dubio an secutum sit homicidium, irregularitas probabiliter non incurritur. ibid. Nec in dubio an quis aliquem mulaverit. 8.4.7 Irregularitas tripliciter tolli solet, per cessionem caufæ, per professionem religiosam, per dispensationem. 8.5.1. Num etiam per Baptismum? 8.5.3. Quoniam possit Episcopus in irregularitatibus dispensare? 8.5.4. Quoniam Praelati Regulares cum subditis suis? 8.5.7. Quoniam causa requiritur ad dispensandum in irregularitate? 8.5.8. Episcopus sine justa caufe non solum illicite, sed etiam invalide dispen- sat. ibid. Quanam forma dispensatio conferatur? 8.5.9. Virtute jubilei nulla potest irregularitas tolli. 8.5.10. Potest ea tolli partialiter; At quid si indefinite tollatur? 8.5.11. Num ea tollatur per ratihabitionem de pre- senti? 8.5.12 Irregularitas ex iteratione Baptismi quid ferat? 9.1.1. Quid irregularitas ob exer- citium Ordinis Sacri cum violatione censuræ? 9.1.2. Quid ea, quæ imponitur Clerico ministranti in Or- dine Sacro, quem non habet? 9.1.3. Quid ea, quæ imponitur per indebi- tam susceptionem Ordinis Sacri? 9.1.4. Verius sape sola suspensio in his casibus incurritur. ibid. Quid de ea, quæ imponitur ob haeretum, aut apostasiam? 9.1.5 Irregularitas ex homicidio sive volun- tario, sive casuali, nec non ex multa- tione incurritur etiam a concur- rentibus ad illa. 9.2.3. Num etiam ratihabentibus? ibid. Quid si quem poen-

*Index Rerum Notabilium.*

poeniteat mandati, aut consilii dati? 9. 2. 6. Quisnam possit in hac irregularitate dispensare? 9. 2. 9. Quandonam per homicidium casuale irregularitas incurrit? 9. 2. 10. Quid si homicidium per accidens sequatur, quando quis dat operam rei illicitæ? 9. 2. 11. Irregularitas ex defectu lenitatis quandonam incurritur? 9. 3. 1. Num incurritur ab homicida, qui ratione ignorantiae excusetur ab irregularitate ex delicto? 9. 2. 5. Num accusator in causa sanguinis, secuta morte, sit irregularis? 9. 3. 4. Quænam protestatio requiratur ad evadendam irregularitatem? 9. 3. 5. Minoribus ordinibus initiatus, ac laicus non peccant, sed irregularitatem ex defectu lenitatis incurrit, si se immisceant in causa sanguinis: Peccat tamen, si se ad id immisceat initiatus Sacris Ordinibus, ac Beneficiatus. 9. 3. 3. Clericus non peccat, si in causa sanguinis testatur in sui favorem, secus vero si testatur contrareum, nec ad id potest a suo Prælato cogi. 9. 3. 9. Irregularitas ex defectu ætatis non est proprie irregularitas; & qui ante legitimam ætatem ordinatur, non fit irregularis, sed suspensus. 9. 4. 1. Ex defectu libertatis quinam est irregularis? 9. 4. 2. Quinam ratione bigamia? 9. 4. 4. Quinam ob infamiam? 9. 4. 6. Quinam ex defectu natalium? 9. 4. 8. Num illegitimus occultus sit irregularis? ibid. Num expositus præsumendum sit illegitimus, & irregularis? ibid. Quinam dicatur irregularis ex defectu usus rationis, aut scientiæ, aut fidei? 9. 4. 11. Quinam ex defectu corporis? 9. 4. 15. Quid de energumenis, & lunaticis? ibid. Irregularitas solum a jure imponitur. 8. 3. 1. Pontifex, utpote jure superior, incapax est irregularitatis. 8. 3. 3. Nec illius capax est fœmina, nec infidelis. 8. 3. 4. Irregularitatem incurrit, qui ad bellum, etiam justum, procedit animo pugnandi, cum se exponat proximo periculo occidendi, aut mutilandi. 8. 3. 9. Illam non incurrit, qui aliud occidit cum moderamine inculpatæ tutelæ. 8. 3. 10. Quid requiritur, ut occiso cum tali moderamine fiat? ibid. Nec irregularitatem incurrit, qui alios animant ad fortiter pugnandum in bello justo.

*Pars VIII.*

9. 3. 9. Peccant, qui Sacris ordinibus initiati citra necessitatem officium medici, aut chirurgi exercent incidendo, aut adurendo, sed irregularitatem non incurrint, si citra culpam mors sequatur. 9. 3. 11. Num etiam id vetatur Beneficiarii? ibid. Num possint Episcopi in hac irregularitate dispensare? 9. 3. 12. Possunt certe Prælati Regulares ex suis privilegiis cum suis subditis in ea dispensare. ibid.

Irregularitatem num incurrit, qui per exercitium Ordinis Sacri violat suspensionem, quæ sit poena vindicativa ob delictum præteritum? 6. 4. 5. Judicis excommunicati vitandi acta num sint invalida? Num Arbitri ad formam Judicis constituti? 4. 8. 2. Irregularitatem non incurrit per exercitium Ordinis Sacri, qui censura est irretitus, si non sit nominatum denunciatus, & Ordines exerceat ad petitionem fidelium. 6. 4. 5. Incurrit tamen Irregularitas, si per exercitium Ordinis Sacri violetur suspensio poenalis lata ad tempus indeterminatum, puta, Donec satisficeris, dummodo in scriptis ad modum censoriae ea imponatur. ibid. Suspensio lata per tempus determinatum, puta per mensem, non est censura; & ideo non trahit irregularitatem, si per exercitium Ordinis Sacri violetur. 6. 1. 2.

Irregularitatem non incurrit, qui excommunicationem minorem violat celebrando missam.

Irregularitatis effectus sunt duo, impediare Ordinum susceptionem, & eorumdem usum. 8. 1. 3. Potest irregularis actus jurisdictionis exercere, & fructus Beneficii percipere, si illud posset saltem per Vicarium exercere. 8. 1. 4. Num sit invalida Beneficii collatio facta irregulari? 8. 1. 5. Probabiliter irregularitas non impedit susceptionem primæ tonsuræ. 8. 1. 6. Enumerantur sex irregularitates ex delicto, & octo ex defectu. 8. 1. 7. Irregularitas aliquando est solum partialis. 8. 1. 8. Juxta Ecclesiasticus impediri non potest a potestate laica, quominus sua jurisdictione utatur.

Judex secularis num, & quomodo defendere possit oppresos a Judice Ecclesiastico, quin excommunicationem

G g Bul.

*Index Rerum Notabilium.*

- Bullæ Cœnæ incurrat? 5. 2. 13. Num possit uti literis Mortatoriis? 5. 2. 12 Ecclesiasticas personas nequit ad suum tribunal trahere prætextu consuetudinis, aut privilegii. 5. 2. 14
- Judex num possit secundum allegata, & probata tanquam reum aliquem excommunicare, si certo sciat, illum esse innocentem? 1. 6. 5
- Jurisdictio delegata per mortem delegantis expirat, si res sit integra. 1. 2. 5
- Jurisdictio gratiosa potest extra Dioecesim exerceri, secus vero contentiosa. 1. 2. 6.
- Jurisdictione privatur excommunicatus vitandus. 4. 6. 1. Toleratus licite actus jurisdictionis exercet, si ab eo petantur; illicite tamen, sed valide, si non petantur. 4. 6. 2. Illi tamen possunt per exceptionem repelliri. ibid. Num valide Episcopus vitandus det facultatem alteriaudiendi confessiones, baptizandi, aut assistendi matrimonio? 4. 6. 4. Electio ad Beneficium facta a vitando est invalida. 4. 6. 5. Necnon præsentatio Ecclesiastica. ibid.
- Jurisdictionis exterioris usu num privatitur Interdictus? 7. 2. 8

**L**

**L**aicus num possit moribundum a Cenfuris absolvere, deficiente Sacerdote, aut Clerico? 2. 5. 2

Lex indicens censuram potest multiplici ex capite esse nulla. 1. 6. 2

Libri hæticorum ad Bullam Cœnæ spectantes debent aut hæresim continere, aut de Religione tractare, non tamen obiter. 5. 1. 8. Excommunicationem quidem, sed non reservatam in Bulla Cœnæ incurrit, qui legit, aut retinet alios hæticorum libros; necnon aliorum Auctorum, qui ob hæresim, vel falsi dogmatis suspicionem sunt prohibiti. ibid. Nullam vero excommunicationem incurrit, quamvis mortaliter peccet, qui alios libros vetitos legit, aut retinet. ibid. Ob libros Necromantiae, & similes incurrit excommunicatione non reservata, quippe damnantur ob suspicionem hæresis. At si hujusmodi libri sint Auctoris hæretici, pertinent ad Bullam Cœnæ. ibid. Quid si liber damnatus

- ob hæresis suspicionem sit Auctoris Catholici, sed contineat Scholia, ac notas Auctoris hæretici? ibid. Quid si quis eos legat, sed non intelligat? 5. 1. 9
- Quid si quis audiat legentem? Num detur hac in re materiae parvitas, & quænam sit? ibid. Quid si quis eos comburat, aut apud alios retineat? Num possit Episcopus, aut Inquisitor facultatem dare eos legendi? 5. 1. 10
- Literas de obscuris mittens ad Moniales non incurrit excommunicationem latam contra mittentes, nisi literæ ad Moniales perveniant. 1. 4. 9
- Lunatici, dæmoniaci, furiosi quandam possint celebrare? Et quomodo? 9. 4. 15

**M**

**M**andantes non ligantur censura lata contra facientes, nisi exprimantur, & mandatum influat. 1. 4. 16. Quid si mandatum revocetur? ibid. Quando nam mandans æquiparatur facient? ibid.

Mendicantes absolvere possunt a censuris in Synodo reservatis, si non reservantur in tabella; Necnon a censuris, quas jus Episcopis reservat. 2. 2. 7. Non debent absolvere a censuris reservatis, si probabiliter deducenda sint ad forum judiciale. 2. 4. 4. Num possint absolvere a sex casibus Clem. VIII. si sint occulti? 2. 7. 3. An possint ab iis absolvere, ubi sunt occulti, licet alibi sint publici? 2. 7. 4. Num possint a suo Generali facultatem obtinere legendi libros vetitos? 5. 1. 10. Num possint aliquando absolvere ab excommunicatione ob duellum contracta. 5. 4. 5.

Metus gravis excusat a censura incurrenda, nisi in contemptum Ecclesie ferentis Censuram compellatur quis operari. 1. 6. 9

Metus gravis injuste incussus, ut censura feratur, non reddit istam invalidam; at invalida est absolutio pertalem metum extorta. 2. 5. 5

Monitio alia est canonica, alia non canonica. 1. 5. 1. Monitio non canonica per quid habeatur? ibid. Monitio saltem virtualiter tria prærequisitur, ne censura sit injusta; non vero ne sit in-

- invalida. 1. 5. 3. At si nulla praecat monitio, probabilius est invalida. ibid.  
 Moribundus num possit a censuris absolvi a Laico, aut saltem a Clerico, deficiente Sacerdote? 2. 5. 2  
 Moribundus, si non sit publice denunciatus, aut publicus Clerici percussor, potest a qualibet Sacerdote sine ullo onere ab omnibus omnino censuris, & peccatis absolvitur. 2. 6. 8. Num possit moribundo, aliis deficientibus, a Sacerdote excommunicato vitando post collatam absolutionem ministrari etiam Eucharistia? Et num etiam Extrema Unctio? 4. 3. 2  
 Mortui solum possunt declarari excommunicati, non vero excommunicari. 1. 3. 2. In quo sensu ab excommunicatione absolvantur? ibid.

N

**N**aufragantium bona surripientes quinam excommunicentur in Bulla Cœnæ? 3. 2. 3  
 Neophytus quousque dicendus est irregularis? 9. 4. 14  
 Nulla est censura quadruplici ex capite. 1. 6. 2. Similiter nulla esse potest sententia censuræ. ibid.

O

**O**ccultus casus quinam dicatur? 2. 6.  
 4. Num possit Episcopus, aut Privilegiatus absolvere a casu Papali, ubi est occultus, quamvis alibi sit publicus? ibid.  
 Officia divina celebrare vetatur excommunicatis. 4. 4. 1. Quid veniam nomine divinorum officiorum? ibid.  
 Ordinis Sacri actus quinam dicantur; qui scilicet ferant irregularitatem, si exerceantur ab irretito aliqua censura? 6. 4. 5., & 9. 1. 2. Non incurrit tamen irregularitatem, qui ad petitio nem fideliuni exercet Ordines Sacros, quando noui est nominati denunciatu s. 6. 4. 5.

P

**P**roclus excommunicatus vitandus valide affluit matrimonio. 4. 6. 3  
 Num etiam valide det licentiam alterius?

- administrandi baptismum, & assistendi matrimonio? 4. 6. 4  
 Percussor Clerici aliam excommunicationem incurrit magis reservata m, quam mandans Clerici percussionem, aut illam non impediens, si ad id tenetur ex officio. 1. 4. 10. Personaliter debet se presentare Pontifici pro absolutione, si non sit legitime impeditus. 2. 3. 4. Poteat a suo Praelato absolvitur Religiosus Clerici percussor, quamvis percussio fuerit enormis. 2. 7. 6. Quid requiritur, ut percussor Clerici sit vitandus? 2. 3. 5  
 Percussor Clerici, aut monachi quinam dicatur? 5. 3. 1. Quid si venenum Clerico propinetur? 5. 3. 2. Quænam sit actio graviter Clerico injuria? 5. 3. 3  
 Quid si Clericus seipsum percutiat? 5. 3. 4. Num possit Clericus delinquens a Laicis capi, ut suo Superiori presentetur? 5. 3. 5. Num, & quomodo possit a Suo Superiore verberari? ibid.  
 Quam excommunicationem incurvant mandantes, consulentes, non impedites, aut ratam habentes clerici percussionem? 5. 3. 6. Quibus de causis Clerici percussor excusat ab excommunicatione incurrenda? 5. 3. 7  
 Quænam dicatur percussio levis, quæ sit Episcopo reservata? 5. 3. 8. In dubio, num sit dicenda gravis, an levis? 5. 3. 9. Quid si percussio sit enormis, sed occulta? 5. 3. 10. Num Religiosi absolvere possint suos subditos, quamvis percussio fuerit enormis? ibid.  
 Peregrini, & Vagi a quoniam possint Sacra menta recipere? 1. 3. 11  
 Piratae quinam excommunicationem Bullæ Cœnæ incurvant? 5. 2. 2  
 Poena punitiva, ac ordinaria incurrit etiam ab ignorante illam invincibiliter fecus vero poena medicinalis, ut est censura; & probabiliter nec poena extraordinaria, ut est irregularitas. 1. 6. 7  
 Poenitentiae Sacramentum valide fuscipitur ab excommunicato nesciente suam excommunicationem. 4. 3. 4. Valide etiam administratur ab excommunicato tolerato; necnon a vitando in casu necessitatis extremae. 4. 3. 3. Quod si extra hunc casum illud administret, quamvis invalide, adhuc verius irregularitatem incurrit. 4. 3. 5  
 Poenitentiae Sacramentum ab Interdicto

G g 2 mi-

*Index Rerum Notabilium.*

- ministratum num sit etiam invalidum? 7.2.9.
- Pontifex incapax est irregularitatis. 8.3.3. Quid si irregularis in Pontificem eligatur? ibid. Protestatio, quæ præmitti debet ad declinandam irregularitatem ab eo, qui accusat in causa sanguinis, quænam sit? 9.3.5. Ea potest esse solum externa, & facta. ibid.
- Pontifex num possit in irregularitate bigamiae dispensare? 9.4.5
- Postulatio, ac Nominatio ad Beneficium facta ab excommunicato vitando, si sit solemnis, est invalida. 4.6.9. Est vero valida, si sit simplex, sed potest per exceptionem repelliri. ibid.
- Potestas ferendi censuras non extenditur ad actus mere internos; secus vero potestas reservandi peccata, & dispensandi in votis. 1.4.4
- Potestas instituendi censuras est in solo Pontifice; potestas vero eas ferendi est etiam in aliis; & quidem ordinaria iis, quibus competit jurisdictione Ecclesiastica in foro externo; Delegata vero iis, quibus ea committitur ab habente ordinariam. 1.2.1. Quibusnam competit potestas hæc ordinaria? 1.2.2. Quibus delegata? 1.2.3. Num possit delegari feminis? 1.2.4. Num possit delegatus subdelegare? 1.4.5. Nequit hæc potestas exerceri extra propriam Diœcesim. 1.2.6
- Prælatus regularis potest ubique Gentium excommunicare subditum suum: Episcopus vero nonnisi intra suum Diœcesim. 1.3.9
- Prælati regulares possunt cum suis subditis dispensare in irregularitate ex defectu lenitatis. 9.3.12
- Primæ tonsuræ suscepitio probabiliter non impeditur ab irregularitate. 8.1.6
- Prohibitio sub poena excommunicationis ferenda sententia num sit sub gravi? 3.5.1.
- R
- R Atam habere Clerici percussionem quid importet? 5.3.6
- Regulares Prælati habentes quasi Episcopalem jurisdictionem veniunt sæpe nomine Episcopi. 2.7.6
- Religiosi non servantes Interdictum quam poenam incurvant? 7.4.6
- Religiosus, qui ante ingressum in Reli-
- gionem est excommunicatus per sententiam specialem, nequit a Prælato Religionis absolviri. 2.2.11
- Religiosus solum de licentia sui Prælati potest ab Episcopo absolviri a reservatis Papalibus, si non possit adire Pontificem, ac in votis dispensari. 2.6.6. Si Religiosus enormiter Clericum percussit, poterit a suo Prælato absolviri. 2.6.6
- Religiosi num comprehendantur in sententia generali Suspensionis, aut Interdicti, si non exprimantur? 6.3.3
- Certe in favorabilibus nomine Clerici veniunt etiam Religiosi. ibid.
- Reges, & Imperatores nonnisi impro priè suspenduntur, ita ut nequeant ad Beneficia præsentare. 6.2.2
- Reincidere in censuram priorem num quis possit sine nova culpa? 2.3.3
- Resalutare, aut rescribere excommunicato num licet? 2.3.9. Num licet etiam illum salutare? ibid.
- Rescripta quænam sint irrita, si cedant in favorem excommunicati? 4.7.12
- Resignatio Beneficii facta in favorem tertii ab excommunicato num sit valida? 4.6.10
- Restituere num teneatur, qui omittit denunciare furem, quando id sub poena excommunicationis præcipitur? 3.5.8
- Restitutio rei alienæ levis quandoman possit sub censura præcipi? 1.6.2
- Reus voluntarius nequit esse in judicio, qui est excommunicatus; si tamensit reus involuntarius, potest se defendere. 4.7.5
- Ritus in ferendis censuris quinam sit? 1.5.1. Prærequiritur præter contumaciam Rei monitio sive canonica, siue non canonica, quæ habetur per legem vetantem aliquid sub censura latæ sententiaz) ibid. Ut vero quis declaretur excommunicatus, prærequiritur citatio Rei. 1.5.2. Plura requiruntur ad formam Censurae substantialem. 1.5.4. Plura etiam ad accidentalem. 1.5.7
- S
- S Acerdos offerens sacrificium tres personas repræsentat, [Ministri Christi. Ministri Ecclesiæ, & privatam. 4.2.3
- Tan-

*Index Rerum Notabilium.*

- Tanquam Minister Christi illicite, sed valide offert illud pro excommunicatione vitando; tanquam Minister Ecclesiae illicite, & invalide Tanquam persona privata licite, & valide. *Ibid.*  
Sacerdos simplex num possit ab excommunicatione minore absolvere? *2. 2. 5.*, & *3. 4. 8.*  
Sacraenta administrare, aut percipere excommunicatus, etiam toleratus, non potest. *4. 3. 1.* Potest tamen saepe per accidens pluribus de causis. *Ibid.*  
Sacraenta administrare potest excommunicatus toleratus, si id petatur. *3. 2. 4.* Num possit id licite ab eo peti? *Ibid.*  
Sacrificium, & publicas preces offerre pro excommunicato tolerato probabilius licet. *4. 2. 5*  
Satisfacta parte si conferenda sit absolutione a censura, quænam satisfactio requiratur? Et an valide conferatur parte non satisfacta? *2. 2. 8.* Et quid veniat nomine Partis? *Ibid.*  
Schismatici quinam dicantur? Et quando Schismatici sunt etiam hæretici? *5. 1. 5*  
Scripto ferri debet censura. *1. 5. 3.* Num sit invalida, si solo verbo feratur? *Ibid.*  
Sententia Censuræ multiplici ex capite potest esse nulla. *1. 6. 2*  
Sepultura Ecclesiastica dari potest excommunicato tolerato. *4. 2. 5*  
Statutum generale Episcopi quosnam comprehendat? *1. 3. 10*  
Subditus quinam dicantur alicui Episcopo relate ad suscipienda Sacraenta Pœnitentiæ, & Eucharistiae? Quinam relate ad Sacramentum Ordinis? Quinam relate ad Censuras? *1. 3. 11*  
Subditus quandonam teneatur non obediens Judici præcipienti aliquid sub censura? *1. 6. 4*  
Suspensio est censura, per quam Clericus privatur usu officii, vel beneficii. *6. 1. 1.* Ea multiplex est. *6. 1. 2.* Suspensus ab officio non est eatenus suspensus a beneficio, nec econtra. *6. 1. 3* Quandonam suspensus a beneficio potest fructus beneficij percipere? *Ibid.* Num possit eligere alium ad beneficium? *6. 1. 4.* Suspensus ab Ordine potest exercere actus jurisdictionis, qui usum Ordinis non requirunt. Et e converso suspensus a jurisdictione potest actus Ordinis exercere. *6. 1. 5*  
Num Sacerdos suspensus ab Ordine Diaconatus possit actus Ordinis Sacerdotalis exercere? Et quomodo explicandum est illud Axioma, *Qui non potest quod est minus, nec potest quod est maius?* *Ibid.*  
Suspensio quomodo differat ab Irregularitate? Et quomodo ab aliis censuris? *6. 1. 7.* Et quomodo a Depositio, & Degradatione? *6. 1. 6.* Potest Episcopus aliquos effectus suspensionis suspendere, non tamen excommunicationis. *6. 1. 7.* Suspendere potest, qui facultatem habet excommunicandi. *6. 2. 1.* Parochus nec potest suspendere nec excommunicare. *Ibid.*  
Suspensionis prese dictæ Clericus dum taxat est capax. *6. 3. 2.* Quid de Abbatissa? *6. 1. 2.* In sententia generali Suspensionis, aut Interdicti non comprehenduntur Episcopi, nec Cardinales, nisi exprimantur. *Ibid.* Quid de Religiosis? Num in favorabilibus dumtaxat veniant isti nomine Clerici? *Ibidem.* Quando suspenditur tanquam persona facta totum Capitulum, solum ligatur totum corpus, non vero singula personæ. *6. 3. 4.* Reges, Imperatores in quonam sensu dicantur suspendi, ita ut non possint ad Beneficia nominare? *6. 2. 2.* Communitas trifariam potest suspendi, videlicet quoad functiones totius corporis, quoad functiones singulorum, & quoad ultra que. *6. 2. 3*  
Suspensio partialis ferri potest ob culpam veniale; sed totalis ob mortalem. *6. 3. 1.*, & *1. 4. 1.* Ob culpam alienam nemo potest suspendi totaliter; sicut nec excommunicari: Potest tamen tota communitas suspendi quoad functiones proprias Communitatis ob culpam aliorum, vel solius Prælati. *6. 3. 2.* Cur possunt innocentes alicujus Communitatis interdicci, non vero totaliter suspendi? *6. 3. 4.* Ob delictum præteritum potest ferri suspensio tanquam poena vindicativa; non vero ut censura, & poena medicinalis. *6. 3. 5*  
Suspensio ab ingressu Ecclesiae quid importat? Et an ea includatur sub censura Interdicti? *6. 4. 3.* Suspensio lata per tempus determinatum non est censura, nec trahit irregularitatem, si violetur per exercitum Ordinis Sacri; *Tra-*

*Index Rerum Notabilium.*

- Trahit vero, si feratur in scriptis per modum censuræ ad tempus indeterminatum, puta, Donec satisficeris. 6.5.2. Suspensio pœnalis imposta per tempus determinatum, eo clapsō, cessat, nec indiget absolutione; imposta vero ad tempus indeterminatum, impleta conditione, cessat, non quidem sine absolutione, sed sine nova absolutione. ibid.  
Suspensio, quæ sit censura, unice per absolutionem tollitur; sed quisnam posse ab ea absolvere? V. *Absolvere*.  
Suspensio, si feratur pro tempore determinato, puta per mensem, non est rigorose censura. 2.1.2  
Suspensionis violatio per exercitium Ordinis Sacri trahit irregularitatem, si ea sit censura, & poena medicinalis. 6.3.5. Num etiam si ea sit poena vindicativa ob delictum præteritum? 6.4.5. Violans suspensionem graviter peccat, nisi materiae parvitas excusat. 6.4.2.  
Suspensiones juris communiores quænam sint? 6.5.6  
Suspensus universim privatur usu Ecclesiastice potestatis. 6.4.1. Suspensus a beneficio privatur ejus fructibus, & probabilius redditur incapax alterius beneficii. ibid. Actus jurisdictionis exerciti a suspenso nominatum denunciato sunt invalidi. 6.4.6. Peccat gra-

viter, qui cum Suspenso nominatum denunciato communicat in iis casibus, a quibus est suspensus. 6.4.4

T

- Abellionis excommunicati acta valent, & fidem faciunt, nisi a parte excipiatur. 4.7.6  
Tertiarii S. Francisci, si inserviant Conventui, & eleemosynam petant per Urbem, censentur personæ Ecclesiastice. 5.3.1  
Testimonium excommunicati quando sit validum. 4.7.7  
Testis irregularitatem non incurrit, morte secuta, quando jure naturali tenetur testificari in causa sanguinis. Idemque dicendum de Accusatore: Secus vero de Judice, quippe qui sponte sua tale munus acceptavit. 9.3.7  
Tutoris, & Curatoris excommunicati acta num sint valida? 4.7.10

V

- Agit, ac Peregrini a quonam posset sacramenta recipere? 1.3.12  
Vicarius Generalis Episcopi eandem facultatem habet relate ad causas Papales, ac ipse Episcopus, nisi aliter exprimatur. 2.6.4

F I N I S